




GAUDEO.



HISTORIA
DE
ABIPONIBUS
EQUESTRI, BELLICOSAQUE
PARAQUARIÆ
NATIONE

LOCUPLETATA
COPIOSIS BARBARARUM GENTIUM, URBIUM, FLUMINUM, FERARUM, AMPHIBIORUM, INSECTORUM, SERPENTIUM PRÆCIPUORUM, PISCIUM, AVIUM, ARBORUM, PLANTARUM, ALIARUMQUE EIUSDEM PROVINCIÆ PROPRIETATUM OBSERVATIONIBUS,

AUTHORE
MARTINO DOBRIZHOFFER
PRESBYTERO, ET PER ANNOS DUO DE VIGINTI PARAQUARIÆ MISSIONARIO.

PARS SECUNDA.



VIENNÆ,
TYPIS JOSEPHI NOB. DE KURZBEK
CÆS. REG. AUL. TYPOG. ET BIBLIOP.
ANNO 1784.



HISTORIA
DE
ABIPONIBUS.

CAPUT I.

De Abiponum territorio, origine, & variis nominibus.

Bellicoſa Abiponum natio in Chaco Provincia, araquariæ omnis umbilico, conſidet, rectius dim, vagatur; Haud illis equidem certæ ſedes, nec ii limites, niſi quos vicinorum metus fixerit. Hic abſit, ſeu ab Auſtro ad Boream, ſeu a ſolis

ortu ad occaſum latiſſime quaquaverſum, longiſſimeque excurrunt, prout vel hoſtis invadendi opportunitas, vel evadendi neceſſitas iter ſvaſerit. Boreale litus fluminis, quod jam magnum, jam rubrum Hiſpani, Indi Iñatè vocant, natale Abiponibus ſolum extitiſſe ſuperiori ſeculo, ex libris, tabulisque coævis, liquet. Inde jam belli, quod Hiſpani ſaltenſes ineunte hoc ſeculo Chaco intulerant, declinandi, jam Auſtralibus Hiſpanorum Coloniis inferendi gratia Auſtrum verſus demigrarunt denique, Valle, quam Calchaquics, equeſtris item natio, olim tenuere, occupata. Hoc territorium, quod ad ducentas prope leucas patet, Hiſpanis nec quidquam repugnantibus inſident etiamnum, ac ſuum putant. Cæterum quibus olim e terris in has Paraquariæ oras delati ſint Abiponum majores, nullus eſt vel conjecturæ locus. Illos trajectis aquis ingentibus, aſinô vectos huc quondam adventâſſe, nobis edixerat Ychamenraiquin Princeps Abiponum in Sancti Hieronymi oppido Caziquius, pro Delphica tripode, pro nationis tabulario apud ſuos habitus, ſeque id ab antiquioribus accepiſſe, affirmavit præterea. Verum primis ultima non cohærent, ut adeo inter fabulas rejiciendum. Neque, quod quidem ſciam, uſquam præſto ſunt literarum monumenta, e quibus veriſimile quid de hoc exſculpas. At vero hæc de Abiponum in Paraquariam adventu controverſia ad cæteros perinde Americanos pertinet, centies excuſſa, vix unquam, nî fallor, dirimenda. De hoc equidem argumento Solorzanus Hiſpanus undecim, ſi rite memini, ſententias recenſet, rejicitque ſingulas. Conjecturas alias adfert noſter Gumilla in hiſtoria ſua de fluvio Orinoco illuſtrato, alias alii. Quidquid dicas, erit, quod jure opponatur, & quod opponentibus reſpondeas, ægre invenies. Sæpius mihi in men-

mentem venit cogitare: Americanos ex ultimo Europæ ſeptentrione olim ortos Cœli mitioris deſiderio in illos terrarum tractus, quos hodie Americam dicimus, paulatim irrepſiſſe, alicubi forſan cum Europæ finibus conjunctos, tenui certe freto disjunctos, quod vel lintribus, vel quocunque cymbarum genere, vel natatu transmiſerint. Morum, rituumque, queis Lappones, & novæ zemblæ coloni uti dicuntur, imitationem quamdam in Abiponibus non obſcure deprehendimus, ut alibi opportunius adnotabo. Hos barbaros iñata quadam propenſione acus magneticæ inſtar ad ſeptentrionem, ceu ad patrium quondam ſolum inclinare ſemper obſervavimus; Caſu enim ſiniſtro fors irritati: *Abeo ſeptentrionem verſus Mahaik quer ereégem*, voce minitabunda fere exclamant. Quamvis ejusmodi cominatione illud duntaxat ſignificare mihi videbantur: Redituros ſe ad Borealia illa Paraquariæ loca, ubi illorum gentiles barbari extra Hiſpanorum obedientiam, extra Chriſtianorum diſciplinam arbitratu ſuo vivunt etiamnum.

Verum concedamus id graviſſimorum authorum opinioni: Americanos ex ſeptentrionali Europa oriundos eſſe, cur, amabo, Indi ex utroque parente Americano prognati barba carent omnes, qua tamen Boreales Europæ populi abundant? Aeri, climati, Cœli regioni cave id tribuas; Etſi enim plantas aliquas ex Europa in Americam translatas celeriter, inſigniterque degenerare videamus, experimur tamen Hiſpanos, Luſitanos, Germanos, Gallos in Europa egregie barbatos in nulla Americæ parte imberbes evadere, eorum item filios, nepotesque barba Europæam originem luculentiſſime teſtari. Noſtra ipſorum id experientia didicimus, quibus poſt viginti

annos in Paraquaria actos nunquam barba, ſæpe tonſor, ac novacula defuit, forficulis diu, frequenterque ſupplenda. Si quem Indum mediocriter barbatum conſpexeris, illius vel patrem, vel avum Europæum fuiſſe, quamvis mater Americana fuerit, nil dubita. Rariſſimi enim pili, qui Indis utrinque Americanis lanuginis inſtar circa mentum hic, illic aliquando pullulat, barbæ nomine videntur indigni.

Paraquaria quidem Africæ propinquior. Ecquis tamen ex hac in illam demigraſſe incolas dixerit? Secus enim Paraquarios perinde, ut Afri ſunt paſſim, atri, certe fuſci, plumbeive coloris eſſe oporteret. Angli, Hiſpani, luſitani, queis Africanorum mancipiorum ſeu mercatus, ſeu famulatus eſt familiarior, nôrunt plane ex utroque parente Afro, ubi ubi terrarum, nigram procreari ſobolem, cum tamen in Paraquaria proles ex Indo, Indaque natæ coloris ſint Candiduli, quem ætate procedente ſol ardentior, fumusque ex foco, quem diu noctuque ſuis alunt in tuguriis, tantillum obſcurat. His accedit: Americanos non criſpis, laneisque, ut Afri, Crinibus eſſe, ſed planiſſimis, licet ſemper nigerrimis. Sed abſint hæc omnia, ingens Oceani, qui Africam ab Americæ Auſtralis litoribus longiſſime ſeparat, latitudo trajectum reddit difficilem, & liceat mihi dicere, prope incredibilem illo ſcilicet ævo, quo acu magnetica deſtituti nautæ vix extra litoris conſpectum navigare auſi. Turbinis violenti procella ad Americæ ripas ejectos Afros dices? Verum qua, quæſo, via feræ nocentiores eo eluctatæ ſunt? Iſtud enimvero novis arduam quæſtionem intricat difficultatibus. Paraquariæ litoribus Bonæ ſpei promontorium objicitur, cujus incolæ Hottentotti moribus

ribus barbaris aliquam Indorum Paraquarienſium imaginem exprimunt, corporis tamen conformatione, ritibus, lingua penitiſſime differunt; Id quod libellus me docuit a Germano ſcriptus, qui in illo Bonæ ſpei promontorio diutius quondam fuerat commoratus. Erunt forſitan complures, qui Aſiam Americanorum matrem, & nexu aliquo, quem nemo adhucdum detexerit, cum America colligatam majori jure contendant? Per me licet. Neque, ſi Americanos ad unum omnes ex luna delapſos affirmaveris, repugnabo, quin expertus Indorum inconſtantiam, animorum volubilitatem, mutabilitatemque, lunæ propriam, pedibus, manibusque in tuam irem ſententiam, ni ſapientum omnium cachinnos jure reformidarem. Ex incredibili linguarum varietate, quæ apud innumeras Americæ nationes vigent, nullus de illarum origine eſt conjecturæ locus. Ne rude quidem lineamentum Europææ, Africanæ, Aſiaticæve linguæ per univerſam tam diverſo ore loquentem Americam usquam deprehendas. Hæc mea, hæc aliorum, quibuscum rem contuli, eſt ſententia. Verum de Americanorum origine copioſius diſſerere, haud mei eſt inſtituti. Conſule, ſi lubet alios, quibus propoſitum erat hoc argumentum pertractare. Quo tamen plures legeris, plus dubitabis Illud certiſſimum, hac in quæstione, quot capita, totidem ſententias eſſe.

Poſteri tamen animos ne deſpondeant. Spes equidem affulget ampliſſima, adfore aliquando tempus, quo Americæ, cum aliqua noti orbis parte connexio, certe propinquitas major noteſcat, ſi modo Angli, Ruſſique ſuas ad maris, terræque angulos omnes explorandos navigationes proſequantur porro, quæ noſtra ætate ab illis ſumptibus, peri-

 culis-

culisque maximis susceptæ optato quidem successu, non omni tamen fructu caruerunt. Quamvis enim sagacissimi hi marium speculatores ex septentrione ulterius semper progressi gentes, insulasque novas (quarum celebrior othaita) fretaque veteribus ignota detexerint, vicinaque Americæ, Asiæque litora eminus videre sibi visi sint, haud tamen illa sunt assecuti unquam. Idem prope illis, quod Moysi olim, fatum, cui altissimo ex monte Nebo Palæstina diuturno itinere quæsita a Deo ostensa quidem est eminus, ejus tamen ingressus neutiquam concessus. Catharina secunda Russorum augusta hodie Imperatrix, victoriis, belli, pacisque studiis clarissima uti quidquid ad imperii sui splendorem, ad rei militaris, navalisque perfectionem, ad literarum, artiumque nobilissimarum augmentum facere videtur, sibi cordi sumpsit maximopere, sic nullis pepercit sumptibus, ut ignoti Oceani recessus, vicinaque Europæ Boreali Americæ, Asiæque litora tandem detegerentur. Id negotium navarchis dexterrimis datum. Behring, & Tschirikow Capitanei duabus cum navibus in ochotz constructis ex Kamtschatka portu Austrum versus excurrerunt. Post varios casus, naviumque, ut res poscebant, flexus terras conspexerant eminus, quas Americanas esse, & observatis ad nauticæ regulas omnibus gradus pauculos abesse putarunt a Californiæ litoribus septentrionem inter, & occasum (Nord-west) sitis. Insulas adhuc ignoratas, gentes Americanis Borealibus perquam similes deprehenderunt præterea. Videbantur sibi votorum metam attigisse. Verum ante victoriam triumphum cecinere. Nam Capitaneus Krenizin anno 1768. idem negotium, idemque iter binis cum navibus aggressus easdem quidem, aliasque novas insulas vidit, sed artificiis omni-

omnibus nequidquam ufus nufquam videre potuit illas terras, quas illius anteceffores Behring, & Tfchirikow vidiffe fibi videbantur, ac pro Americæ continente habuerunt. Delufos fuiffe illorum oculos Krenizin ajebat, dum infulas arduis montium jugis infignes Americæ terram firmam putarunt, eodemque prorfus loco, ubi Americanum territorium illi perperam fibi finxerant, quaquaverfus mare longe, lateque patens a fe effe repertum. Verum qui erroris, credulitatisque nimiæ arguebantur anteceffores in fucceflorem fuum Krenizin culpam omnem terræ illius non confpectæ retorferunt caufantes: Illum nimis feptentrionem verfus navigaffe; fi enim Auftrum verfus proram flexiffet plufculum, haud dubie, quæ ipfi viderant, ab illo fpectanda fuiffe, affirmarunt. In re tam obfcura quis fententiam ferat? Ego quidem, fi aberrarunt forfitan, utrosque excufandos, puto. In mari tam procellofo, fub Cœlo denfis nubibus fæpe obducto fol in ipfo meridiei puncto plures interdum dies obfervari haud poteft, neque alia ratione, quo demum in fitu verfentur, refciri. Nebulæ in longius quandoque tempus productæ obftant oculis, & rerum etiam viciniffimarum eripiunt confpectum. Expertus hæc fcribo. Lufitani nautæ e mali fupremi faftigio detexerant Maderam infulam, quam nos pro nubecula habuimus. E contrario per Mediterraneum in Italiam renavigantes cum Norvegis nubem putavimus Minoricam Balearem infulam. Adeo Cœli obfcuritate navigantium oculi non raro falluntur.

Ex repetitis, licet non nihil difcordibus Ruſſorum obfervationibus arguunt plerique omnes, ex Europa feptentrionali ad Americam, Afiamque tran-

ſitum per mare patere navigantibus, illaſque orbis partes intervallo haud maximo a ſe ſejungi. Quid ſi igitur Tartari, gens vaga, per varias litori vicinas inſulas, ceu per ſcalas totidem, ex alia ad aliam, ac denique in Americam paulatim irrepſere? Id fieri potuiſſe ſibi perſuadeant alii; Ego, ut id factum eſſe credam, a me impetrare haud poſſum. Si enim Navarchi nauticæ ſcientiſſimi, acu magnetica, navibus firmis, nautis idoneis, aliisque ad perrumpenda maris, ac Cœli tumultuantis obſtacula præſidiis liberaliter inſtructi, eandem viam tentatis fruſtra omnibus toties remenſi ſcopum necdum aſſecuti ſunt ſuum, ecquis demum exiſtimet, barbaros ſtupidos, navicularia arte vix leviter tinctos, acus magneticæ uſu, neceſſariis ad obſervandum in meridie ſolem inſtrumentis deſtitutos, navigiolis imbecillis, vel ex arbore cavatis, vel ex arborum cortice, ferarumve pelle concinnatis per pelagi procelloſi longiores tractus ad ignota Americæ litora eluctatos fuiſſe? Niſi conſtet, hæc tenui ſolum freto ab Europa, Aſiave ſeparari, quod feliciſſimus illorum marium ſcrutator Cook Anglus dicitur aſſeruiſſe. Hic enim cum duabus navibus, quibus Reſolution, & Diſcovery nomen, e California iter proſequens Ruſſorum in mappis errores detexit, queis iterum, iterumque deceptus, graviſſimeque, dum iis fidem adhibuit, periclitatus eſt, ut Angli ſcribunt. Navigatione ſeptentrionem verſus juxta continuam litorum Americanorum ſeriem producta, tot meditationum, indagationumque finem, fines ſcilicet, extremos Aſiæ, Americæque detexit, quas freto ſat anguſto a ſe dividi obſervavit, in quo ſeptentrionem verſus tantillum progreſſus advertit mare minus profundum. In quo gradu longitudinis, latitudinisque hos Aſiæ, Americæque fines

Cook

Cook deprehenderit, necdum, quod ſciam, ab Anglis vulgatum eſt. obſervato tamen navium curſu, quem ſagax hic navarchus tenuit, fors citra erroris periculum licet nobis conjicere: Has Aſiæ, Americæque extremitates intra gradum ſexageſimum quintum, & ſeptimum latitudinis, & in ducenteſimo circiter gradu longitudinis a meridiano primo in Greenwich collocato ſitas eſſe, quam longitudinem, latitudinemque terræ Nitada, ſeu Americæ D. Maty ſtachtan olim deſignavit. Verum ab hoc multum diſcrepat mappa geographica Ruſſorum imperii ab Engel in lucem edita; Hic enim Americæ extremitatem Auſtro, occaſuique multo propius admovet. Hæc dubia, controverſiæque diſſipabuntur, ſpero, ut primum Angli vulgaverint ipſas ephemerides navigationis ultimæ præclariſſimi Cook, qui niſi barbarorum furentium telis ſuccubuiſſet, tot marium prius, ac tempeſtatum victor, plurimum lucis in re tam obſcura nobis ſuperſtes affudiſſet. Avidiſſime expectamus, quid demum nunciaturi ſint Ruſſi, qui paucos ante menſes ad ſpeculanda illa maria, reſumendumque controverſiæ examen excurrerunt. Planius iſta, uberiusque pertractat Clariſſimus Robertſon.

Ex Europa ſeptentrionali ad occaſum vergente (Nordwest) in Americam tranſitum quoque navigantibus patere, nemo dubitat. Anno 830. Norvegi detexerunt Groenlandiam, & coloniis iſtic conſtitutis reviſerunt frequenter. Angli quoque, Sueci, Dani &c. ad extremas illas ſeptentrionis oras delati, ſed jam maris glacie (quæ Joanne Miinkens Navarcho Dano teſte, alicubi trecentos, quin trecentos ſexaginta pedes alta eſt) jam barbarorum obluctantium ferocia ulterius progredi prohibebantur. Qui ſuperiore ſeculo Groenlandiam luſtrarunt, aſſerunt,

runt, illius litora Borealia, qua occaſum reſpiciunt (Nord-west) anguſto duntaxat freto ab America ſeparari, & maris ſinum, ad quem illud fretum navigantes ducit, probabiliter cum America connecti, Groenlandos cum Americanis commercium habere, barbaros Americanos, quos Eſquimaux vocitant, a Groenlandis corporum conformatione, veſtitu, linqua, vivendi ratione vix differre. Hæc Cranzius in ſua de Groenlandis hiſtoria. Quæ quidem omnia ſi ut veriſimilia, ſic vera, certaque forent, nullus porro de Americanorum origine dubitandi locus ſupereſſet. Cum tanta ſit per immenſam Americam nationum varietas, cumque iſtarum ſingulæ forma, lingua, moribus, ritibus, veſtibusque inſigniter differant, veri ſemper mihi ſimilius viſum eſt, non eandem omnibus Americanis originem, patriamque olim exſtitiſſe. cum Americanis populis ſat diu verſatus rideo, ſpernoque illos ſcriptores, qui affirmant: Eum, qui unum Americanum viderit, vidiſſe omnes; Indum Indo, ut ovum ovo, omnino ſimillimum eſſe. Verum de hoc argumento, quod multorum fatigat curioſitatem, fuſius, & prope invitus diſſerui; Neque enim mei eſt inſtituti.

Quamvis igitur, unde Abipones mei olim venerint, aſſeveranter tibi affirmare non auſim, dicam tamen, ubi noſtra ætate verſentur. Ingens terræ portio, quæ a ſeptentrionibus Auſtrum verſus flumine grandi Inate, & Sanctæ fidei territoriis, ab oriente ad occidentem jam Paraquayi fluvii ſolius, jam cum Parana conjuncti litoribus, & Jacobopolitana regione clauditur, ſtativa Abiponibus præbet varia in contubernia diſtributis. Agriculturæ, fixique ac ſtabilis domicilii impatientes ultro, citroque commeant

iden

identidem. Jam aquationis, cibariorumque opportunitas, jam, dum propinquum ſibi hoſtem ſuſpicantur, ſecuritas perpetuæ migrationis adfert neceſſitatem. Illos, qui latrunculorum ludum probe callent, imitantur, Abipones, latronum dexterrimi; Strage Hiſpanorum coloniis Auſtralibus illata Boream verſus longiſſime recedunt. Aſſumptionis urbe ſeptentrionali cædibus, latrociniisque vexata ad Auſtrum celerrime properant. Si Quaraniorum oppida, ſi Correntinam urbem infeſtis petiere armis, ad latibula, quæ occidentem verſus norunt, ſuis ſe cum familiis recipiunt. Si denique Jacobopolitanum, ſi cordubenſem agrum invaſere, inter paludes, inſulas, arundineta, quæ Parana paſſim offert, ſe, ſuosque contubernales abdunt ſagaciter. Quo enim remotiores, magisque occulti, eo certius oculis, manibusque ultricibus Hiſpanorum ſe ſubducunt, qui viarum vel ignoratione, vel aſperitate impediti acceptas a Barbaris injurias vindicare, ut ut velint, minime poſſunt. Lacus interdum, paluſve interjecta, quam Abipones luſitando transmittunt, Hiſpanos equites inſequentes ad reditum cogit.

Univerſa Abiponum regio pagum, quin ne tugurium quidem unum ſtabile quamvis non habeat, vix tamen locus ſuppetit ullus, aliquo qui nomine non eſſet inſignitus, quod vel eventui memorabili, vel cuipiam viciniæ illius proprietati originem debet ſuam, uti Hebræis quondam erat familiare. Juvat hic celebriora quædam loca adnotare: ſic Netagranàc Lpátage, nidus avium, quæ ciconiis hujatibus perſimiles hoc loco prægrandi in arbore quotannis nidificant. Liquinránala crux, quæ iſtic olim ab Hiſpanis fixa. Nihírenac Leënereřquie ſpecus tigri-

gridis. Paët latetà ubera confracta. Atopehènra lauaté Porcorum aquatilium diversorium. Lareca caëpa Arbores altæ. Lalegiaicavalca Reculæ albæ. Grando immanis magnitudinis hoc quondam loco delapsa bestiarum tantam multitudinem mactaverat, ut omnis latè campus cadaverum siccis ossibus albesceret. Pluribus aliis locis fluvii, a quibus alluuntur, nomen præbuere Notiores sunt: Evò'ayè Parana, vel Paraquayus fluvius. Iñatè flumen grande, vel rubrum. Ychimaye Hispanis Rey, Rex. Neboquelatèl mater palmarum, Hispanis Malabrigo. Narahagem Inespin. Lachaoquè nâuè, ycalc, ycham &c. Rio negro, Verde, Salado &c. flumen nigrum, viride, salsum &c. Omitto minoris notæ amnes, qui sine numero, haud tamen sine nomine.

Dixi, Abipones seculo superiore, ad fluminis magni Iñatè ripas habitasse, subindeque, dum Saltenses, aliæque e Tucumanis conflatæ copiæ majori armorum, quam victoriarum strepitu Chacum invaserant, ad Australes Paraquariæ plagas descendisse. Año tamen labentis seculi sexagesimo multæ Abiponum familiæ rebus jam tranquillis ad Magni fluminis ripas partim, partim ad remotiora trans flumen loca Borealia recesserunt, Hispanorum Australium metu, quibus repetitis assultibus multum damni dedere. Quid quod & Colonia postrema Abiponum, cui a Rosario nomen inditum, a me condita, ac per bieñium procurata Boream versus a flumine grandi decem prope leucas aberat, qua quidem in statione barbaros Tobas, qui Nataquebit se se vocant, paulo ante contubernia habuisse sua, nobis constabat. De hac colonia alius erit differendi locus.

De

De Nationis, quæ hiſtoriæ meæ argumentum, nomine dicenda per tranſeñam paucula. Abipones a Mocobiis, Tobis, & Yapitalakis vocantur Callagaik; A' Quaycuriis Comidì; A' Vilelis Luc-uanit, quod homines ad Auſtrum habitantes ſignificat. Ab Hiſpanis olim Callegaès, vel frontones dicebantur ob largam frontem, cum ſincipitis comas ad trium digitorum latitudinem cvellant, per quam affectatam calvitiem frons extenditur. Erit fortaſſe etymologus ridiculus aliquis, qui putidam eruditionem affectans vocabulum *Abipon* a Græco ἱππὸς, equus, & A privativo abſurdè derivet, ut, quemadmodum homines literarum, vel religionis Divinæ expertes amuſos, atheos dicimus, ita Abipones, quaſi Ahipones homines ſine equis appellemus. Quo quidem quid abſurdius, veritative magis repugnans dici poteſt? Etſi enim, ut Americani cæteri, ante Europæorum adventum equos ne de nomine quidem nôrint, hac tamen ætate nullam eſſe exiſtimo per omnem Americam nationem, quæ equis abundet magis, quam Abipones. Illorum in coloniis novi non paucos quadringentorum, quin & plurium equorum poſſeſſores. Neque id mirum cuiquam. In illis terrarum tractibus verſantur, ubi infinita equorum ſylveſtrium agmina per immenſam planitiem oberrant, qui nemine mortalium repugnante nullo negotio capiuntur, breviſſimo temporis intervallo perdomantur, ac citra omnes ſumptus ab altrice natura conſervantur; Campus equidem aquam illis, pabulum, ſtabulumque miniſtrat ſemper. Non deſit Abiponi induſtria, equi, quotquot voluerit, nunquam decrunt. Bello ardente, una ſæpe incurſione ter, quaterve mille equos Hiſpanorum e prædiis quondam rapuere.

CA-

CAPUT II.

De nativo Americanorum colore.

Pictores Europæi hominem fusci coloris, distortis, simisque naribus, minacibus oculis, vasto abdomine, a capite ad calcem nudum, ac hirsutum, Fauno, quam homini omnia similiorem, verbo monstrum hominis pharetra, arcu, hasta, vel clava armati, plumis versiculoribus coronati dum penicillo exprimunt, videntur sibi Indi Americani germanam imaginem egregie, feliciterque perfecisse. Et vero antequam Americam viderem, tales mihi Americanos ipse meo in cerebro depinxi; sed oculi meum me dedocuere errorem. Pictores, queis fidem adhibui, Americanæ gentis Calumniatores palam dixi, ac poetarum more fabulantes: Hi res sibi objectas verbis pingere, illi penicillo fingere impune solent. Plurimarum nationum Indis innumeris a me cominus spectatis illa formæ vitia, quæ passim Americanis affinguntur, nusquam deprehendi. Si verbis diffidis, oculis, quæso, crede meis. Americanorum nemo æthiopum more niger est, nemo candidissimi, ut Germanorum, Anglorum, Gallorum plurimi, est coloris; Multi tamen multis Hispanis, lusitanis, Italis candidiores. Id mihi exploratissimum. Vultu sunt Americani albicante, quæ tamen albitudo apud nationes aliquas ad triticium, apud alias ad obscuriorem propius accedit colorem. Quod discrimen jam a Cœli, sub quo degunt, regione, jam a vitæ, quam profitentur, rationibus, jam a cibariorum, queis aluntur, diversitate nasci,

expe-

experimur. Si enim, ovidio teste, *fuscantur corpora campo*, Indos, qui solis æstibus patente in campo, torrentur quotidie, fusci coloris plus habere oportet, quam alios, qui sylvis nativis immersi sub umbra per omnem ætatem latent æterna, ut nec solem videre unquam possint, neque a sole videri. Sylvicolas ejusmodi vidi quamplurimos vultu tam candido, tam Venusto, ut haberi pro Europæis possent, Europæa si veste ornarentnr. Fœminæ præ maribus semper albiores, quia & rarius extra tectum prodeunt, & si quando iter equo faciant, iñato huic sexui pulchritudinis studio formæ magis invigilant suæ, quæ ne solis ardore labefactetur, umbellam e struthionum plumis longioribus contextam vultui prætenduut suo.

Mirabar sæpe, barbaros Aucas, Puelches, seu Patagones, aliosque Magallanicæ terræ habitatores Australi, qui in Paraqnaria frigus afflat, polo viciniores, Chilensibus alpibus tanta nive rigidis confines vultu esse magis fusco, quam Abipones, Mocobii, Tobæ, aliique populi, qui decem circiter gradibns septentrioni, qui istic calidus, propriores in Chaco habitant, atque adeo caloribus plus vexantur. Quis nescit, Anglos, Gallos, sveços, Danos, Belgas, Germanos frigidiore sub Cœlo natos Hispanis, Lusitanis, Italis sub Cœlo magis æstuoso degentibus vultu plerumque candidiore esse? Cur igitur Indi Australes Paraquariæ frigidioris incolæ minus candent, quam Abipones septentrioni propriores, ubi auram hauriunt ardentiorem? Physicis id discutiendum lubens permitto. Quid si alimenta varia ad coloris varietatem conferant aliquid? Australibus illis barbaris caro struthionum, equorumque, quibus abundat campus, pro cibo est præcipuo, & fere

unico. Hæc forſitan ad fuſcandam eorum cutem facit non nihil? Nam Groenlandos, æternas licet inter nives, ac glaciem ſepultos coloris tamen eſſe non candidi, ſed ex fuſco, & flavo mixti, referunt hiſtorici, illudque balænarum adipi tribuunt; Hunc enim & vorant, & potant, ſemperque cupediis adnumerant. Quid ſi dicamus, ut ſolis æſtu præfervido, ſic rigidiſſima urentis frigoris aura corporum albitudinem labefactari? Quod ſi ita, cur, amabo, non mediocriter albent inſulæ ignis (terra del fuego) incolæ in 55. latitudinis gradu, ultimis Americæ Auſtralis finibus, poloque antarctico tam propingui, ubi Januario menſe iſtic æſtivo advenas Europæos frigore periiſſe, ſcribunt, menſeque Martio, qui autumni pars, montes nivibus obrui, geluque atrociſſimum paſſim ſævire, memorant. Id quod nautæ Hiſpani, a quibus in Europam ſum translatus, ampliſſime confirmarunt. Nam, dum paulo ante in inſula Maloina, ſeu Malvina, ſeu ut alii loquuntur, Macloviana, inſulæ ignis vicina, aliquamdiu verſabantur, nullum faciebant finem immania illa, quæ iſtic tolerarunt, frigora prædicandi. In ipſo portu navim oppletam quotidie nivibus, congelatisque prope corporibus ſuas adeo obriguiſſe manus, ut, ni Cremati vini hauſtu identidem incaluiſſent, nauticis functionibus ſe fuiſſe impares, dictitabant. Nationes hæ Auſtrales quidni novam nobis injiciant ſuſpicionem, illas ex Africa ſuam olim traxiſſe originem, colorem illum ſuum obſcuriorem, Afris hæreditarium, Americæ intuliſſe. Hæc ſi cui arriſerit opinio, diſpiciat iterum iterumque, qua demum ratione immenſum pelagus, quod Africam a Paraquaria dividit, ſine magneticæ acus uſu tranſmiſerint.

De

De barbaris Magallanicæ oræ incolis cum injecta sit mentio, juvat hoc loco opinionem refellere, quæ de Patagonibus multorum in animis dudum inveteravit. Hos Gigantes, & Polyphemi Cyclopis sors progeniem scripsere plures, plurimi credunt etiamnum. Verum, crede mihi, falluntur hi, fallunt illi. In commentariis de itinere architalassi Batavi Olivier Von Nord, qui anno 1598. continuata per triennium navigatione quatuor cum navibus orbem totum circumvectus, fretum Magallanicum quoque trajecit, Patagones decem, vel undecim pedes alti dicuntur. Angli, qui Byron duce idemfretum anno 1764. transmiserant, octo pedes altitudinis iisdem tribuerunt. Boni viri videntur illos barbaros vel microscopio contemplati, vel alia decempeda usi. Nam anno 1766. Capitanei Wallis, & Carteret mensi sunt Patagones, & solum sex pedes, vel sex pedes & sex circiter pollices illos altitudinis habuisse affirmarunt. Anno 1767. Clarissimus Bougainville eos denuo mensus est, & eandem, quam Wallis, proceritatem in illis deprehendit. Pater Thomas Falconer Anglus, Philosophus, Medicus, meus in Paraquaria socius, annos complures Magallanicæ regionis Apostolus ridet Europæorum opinionem, Patagones gigantibus adnumerantium, testaturque Caziquium terræ illius facile principem Kangapol, qui Patagones inter omnes proceritate maxime eminuit, septem circiter pedes altum sibi visum fuisse. Quid si & hujus oculi fallebantur? Meum jam testis pariter oculati testimonium accipe. Recens ex Europa appulsus in urbe Boni aeris numerosum vidi istorum barbarorum agmen. Nullum equidem illorum mensus, sed pluribus per interpretem collocutus sum. Fateor, plerosque omnes proceritate esse eximia, haud tamen tanta, ut

gigantum nomen mereantur; Quod ſi enim Patagones gigantibus accenſeamus, Indos omnes equeſtres Paraquariæ: Abipones, Mocobies, lenguas, ſeu oaécacalòt, Mbayas &c. gigantes dicamus, neceſſe erit; Horum plerique enim corporis proceritate Patagonibns haud cedunt, licet iſtos vaſtioris corporis, vultus magis fuſci, formæque minus venuſtæ non diffitear. Europæis in exercitibus equites, peditesque innumeros, in urbibus paſſim, quin & ruricolarum in tuguriis quam plurimos videmus quotidie Patagonibus neutiquam inferiores. Hæc fabula de giganteis Patagonum corporibus ex inventis illo in litore oſſibus, quæ gigantum fuiſſe putabantur, ſeu nata, ſeu confirmata eſt. Fuit equidem illorum, qui Magallanicum ſeculo ſuperiore æquor luſtraverant, quiſpiam, qui in portu deſiderato (el puerto deſeado) oſſa humana ſexdecim pedes longa ſe vidiſſe, aſſeruit. Hiſpani ad ſpeculandas illas oras a Rege Catholico, ut ſupra retuli, anno 1745. miſſi tria iſtic barbarorum cadavera invenerunt, in quibns nec moles, nec longitudo corporum inſolita obſervabatur. Pater Thomas Falconèr, cujus proxime memini, refert: ſe quoque in ripis Carcaranal, ſeu fluvii tertii, qui mox Paranæ miſcetur, vidiſſe Gigantum oſſa varia, coxendices, coſtas immanes, craniorum fragmenta, dentes molares in radice tres digitos diametri habentes. Ejusmodi oſſa è Paraquayi, & Paranæ litoribus frequenter erui, alii aſſerunt. Quin & Inca Garcilaſſus de la Vega, Peruviani imperii Livius, idem de Peruvio ſcribit, teſtaturque, apud Indos Peruvianos opinionem a majoribus ſuis acceptam perſiſtere: Gigantes terrarum ſuarum olim incolas in pœnam Sodomitici ſceleris a Vindice Deo

extin-

extinctos fuisse. Ast noveris, historicum hunc ejusmodi esse, ut in illius verba tutò jurari non semper possit; frequenterque vetularum arbitraria commenta pro majorum documentis obtrudi in historiis. Verum concedamus, ejusmodi ossa ubi ubi reperta, quæ forsan balænarum, aliarumque bestiarum grandium erant, gigantum fuisse, hoc argumento quis evincet, illius terræ, ubi inventæ eorum reliquiæ, habitatores gigantes fuisse? Poterant enim hæc ossa aliunde allata fluviorum alluvione in mare, ex hoc in remotissimas oras devolvi. In montium altissimorum visceribus sane elephantum ossa, anchoræ, navigiorum prægrandium frusta detecta sæpius legimus, quæ per subterrancos meatus haud dubie è mari olim advecta. Lege Kircheri mundum subterraneum, lege alios hoc super argumento. De Gigantum ossibus crede, quidquid lubuerit, dummodo me suasore, Patagones pro Gigantibus desinas habere.

CAPUT III.

De forma Abiponum, corporisque conformatione.

Abipones forma sunt plerumque liberali, facie concinna, iisdemque, quibus Europæi, oris lineamentis, colorem si excipias, qui, ut prius memoravi, in adultioribus haud equidem est omnino

 can-

candidus, ab æthiopum tamen, & ex his mixtorum nigrore abeſt longiſſime; Albitudo enim illa naturalis, cum qua in lucem prodire infantes dixi, procedente ætate partim ſolis æſtu, partim fumo aliquantulum obſcuratur. Siquidem vitam prope omnem per campos ſoli pervios equitando exigunt, & ſi tantiſper in tentorio conquieſcant ſuo, quod idem illis pro cubili, triclinio, ac culina eſt, diu, noctuque ignem humi fovent, cujus calore, ac fumo nigreſcant non nihil, neceſſe eſt. Auſter frigidiuſculus quoties aſpirat, ignem lecto admovent, vel reti penſili, in quo cubant., ſubjiciunt, atque adeo, ut pernæ ſuillæ e camino pendentes, ſenſim infumantur. Abiponum fœminæ campo obequitantes adverſus ſolis ardores umbella vultum tuentur ſuum; Hinc viris plerumque candidiores. Hi, quia formidari ab hoſtibus, non amari, terrere, non allicere obvios volunt, dum a ſole liberalius toſti, cicatricibus magis turpati ſunt, tum enimvero ſibi pulchriores videntur.

Abiponibus plerisque omnibus oculos nigros, ſed aliquantulum minutiores eſſe, adverti; ſed his ocellis acutius vident, quam nos grandioribus. Res enim jam mole ſua puſillas, jam admodum remotas clariſſime diſtinguunt, quæ oculos Europæi vel fugiebant, vel latebant, quamvis cætera perſpicaciſſimos. In noſtris ſæpe itineribus beſtiam longo terrarum interjectu diſſitam currere obſervavimus, quin tamen, qualis eſſet, noſtrum quiſpiam vel divinaret. Abipon beſtiam hanc equum, mulum, nigri, candidi, glauci coloris eſſe, nil hæſitans edixit. Dictum veritati conſentaneum comperimus ſemper, rei eminus conſpectæ propinquiores. Campo forte inambulabat Pater Joſephus Brigniel meus in Sancti

Hie-

Hieronymi oppido tum ſocius, corporis ſane perquam puſilli. Abipon procerus alto inſidens equo pulicem eius in facie hærentem detexit, eumque ex equo deſiliens manu cepitillico exclamans: *Haraì Paỳ! neteguink loapârât.* En tuum mi Pater pulicem! Ex pulice oculorum perſpicaciam diſce. Apiculas minutiſſimi corpuſculi per prata, pratorumque flores ſurſum, deorſum volitantes obſervant hi barbari, easque mellis legendi deſiderio ad earum in ſylvis alvearia ſequuntur. Ad grandem oculorum minus grandium perſpicacitatem probandam hæc ſufficiant, etſi adferre poſſem complura. Naturæ beneficio vident, quæ nos microſcopii, tubique optici ope vix aſſequimur.

Cæterum, ſi quæ alia Americæ natio, decora gaudent membrorum conformatione Abipones. Naſum, ut pleriſque in Æthiopibus ſpectamus, ſimum, compreſſum, aduncum, frontem verſus repandum, juſto pinquiorem vix memini me in illorum quopiam deprehendiſſe. Frequentior illis eſt aquilinus, cum decore longiuſculus, & acutus. Trecentæ corporum deformitates, pravitatesque, apud Europæos frequentiſſimæ, iſtic peregrinæ ſunt, ac ne de nomine quidem notæ. Abiponem gibbo, ſtruma, labro leporino, abdomine monſtroſo, cruribus divaricatis, diſtortis pedibus deformem, blæſum, qui literas R. vel S. Balbutiendo enuntiet, nusquam videris. Dentes candidos oſtentant, & per omnem vitam fere innoxios tumulo inferunt plerique plerosque. Equos pigmæos interdum gignit Paraquaria; Abiponem pigmæum nunquam, quin ne alterius quidem nationis Indum. Tot inter Indorum millia nullum detexi, id certe mihi exploratiſſimum. Abipones plerique omnes ea ſunt proceritate, ut ſi

corporis altitudini animorum excelſitas reſponderet, Auſtriacos inter pyrobolarios poſſent militare. In quatuor Abiponum coloniis, neque plures numerarunt, verſatus ſeptennium tres novi duntaxat, qui præter nationis morem exigui fuere corporis, ſed iidem animoſitate, militari ingenio, factis grandibus apud ſuos perinde, ac Hiſpanos maximi nominis. Primus horum Debayakaikin Caziquiorum Abiponenſium facile princeps, ob ſtaturæ exiguitatem ab Hiſpanis El *Petizo* parvus appellatus, ſed toti late provinciæ olim formidabilis. Frequens mihi de hoc recurret ſermo. Kevachichi alter, plurimarum palmarum Dux. Tertius Hamihegemkin impiger ad belli labores, intrepidus, aſtutus. Dum noſtra ob repentinum hoſtis numeroſi adventum trepidabat colonia, incolis tum venatione occupatis prope vacua, hic genii bellicoſi, & callidi ingenii dedit documenta, hoſtibus tum aſtu, tum audacia in fugam præcipitem actis. Ne mireris tantos animos tantillis homunculis fuiſſe. Ubi minus corporis, plus ſæpe ſpirituum eſt. Audi ſtatium I. Thebaidos: *Major in exiguo regnavit corpore virtus.* Audi Claudianum de bello Getico Alanam gentem bellicoſiſſimam laudibus proſecutum: *Cui natura breves animis ingentibus artus finxerat, immanique oculos infecerat ira.* Minutiſſimo grano piperis quid mordacius? Scorpii, ſerpentes alii parvuli vix ſpithamam longi præ vaſtiſſimis anguibus ſæpe nocentiores in America. Alexander Macedonum, Attila Hunnorum duces ambo parvi corpore, militari animoſitate maximi fuere. Verum ignoſce, quæſo quod parvis in rebus exemplis utar tam grandibus! Haud equidem ignoro, Alexandrum, Attilamque cum barbaris Debaya kaikin, Kebachichi, Hamihegemkin in comparationem venire neutiquam poſſe; Nam hi Hiſpanorum Para-

qua-

quarienſium maſtiges pagos vaſtarunt, & prædia; Illi mundi flagella, bellique fulmina urbes munitas, & provincias ſub jugum miſere.

Barba, quod alias dixeram, carent Abipones, mentumque glabrum gerunt reliquorum, qui quidem ex utroque parente Americano orti, Indorum more. Si quem Indum barbatulum videris, alterutrum illius parentum, certe avum Europææ originis fuiſſe, nil dubita. Cur Americani omnes imberbes ſint, hæc quæſtio nodus gordius eſt, quem, qui ſolvere adnitebantur, novis difficultatibus implicarunt. Quod quidem naturæ arcanum qui detexerit, erit mihi magnus Apollo. Haud inficior, Americanorum in mento lanuginis aliquid interdum ſuccreſcere eo fere modo, quo arenoſis, ſterilibusque in agris hinc illinc tritici culmus ſpectatur. Verum & teneram hanc lanuginem, quam nemo barbam dixerit, ſibi minime tolerandam putant, quin, ut funditus cum radice evertatur, iterum, iterumque curant. Audi inſolitam tonſtrinæ methodum. Vetula tonſoris officio fungitur. Humi ad focum conſidens tonſtricula Abiponis jacentis caput gremio complectitur ſuo. Vultum tondendi cinere calente affatim conſpergit, perfricatque liberaliter, id quod ſmigmatis ſupplet vices. Mox volſella, ſeu forcipula cornea, quæ elaſtica vi pollet, pilos ſingulos evellit diligenter. Quod negotium citra doloris ſenſum peragi, barbari affirmant, atque ut dictis fidem haberem, illorum aliquis applicata mento meo forcipula convincere me amice voluit de veritate. Infauſti tonſoris manibus vix, ac ne vix quidem me poteram extricare. Nam credere malui, quam gemere. Navaculæ uſus neque univerſalis Europæ, neque antiquiſſimus fuit. Forficulis reſecare,

candenti carbone cremare, volſella evellere barbam ſolebant veterum non nulli. Hinc & Varrone teſte l. 2. de re ruſtica c. 11. Lanæ vulſuram in ovibus, quam tonſuram antiquiorem eſſe; Poſt Romam conditam anno quadringenteſimo quinquageſimo quarto tonſores (virorum) primum ex Sicilia in italiam veniſſe a P. Ticinio Mena adductos, ait. Id refero, ne mireris Paraquarienſes barbaros etiamnum volſellam præ navacula malle.

Dolorem, qui vetulæ manu per forcipulam infertur, ſilentio concoquunt Abipones, ut faciem glabram, lævemque habeant; ſcabram enim, hirſutamque averſantur. Hinc neuter ſexus pilos, queis oculi a natura muniuntur, tolerat; Nam & palpebras, & ſupercilia ſibi evelli jubent identidem. Hæc oculorum nuditas, quamvis incredibiliter turpet faciem vel elegantiſſimam, præcipuum ab illis putatur elegantiæ, pulchritudinisque adjumentum. Europæos, quorum oculi denſo horrent ſupercilio, explodunt, aſpernantur, ſtruthionumque, quibus ſcilicet luculentiora ſunt ſupercilia, germanos fratres appellant. Per adjacentes pilos obtundi oculorum aciem, atque obumbrari, ſomniant. Hinc quoties mel per ſilvas conquiſituri excurrunt, vacuisque domum redeunt manibus, excuſatio illis in promptu eſt: ſuccreviſſe ſibi ajunt ſupercilia, ciliave, atque ideo apes volantes, alveariorum indices, haud potuiſſe a ſe diſcerni. Ridiculus nobis profecto Abiponum oculos pilis nudantium ritus, ſed antiquorum exemplo confirmatus. Si enim Herodoto fides in Euterpe, ſacrificuli Iſidis in Ægypto caput, ſupercilia, palpebras, corpus univerſum radere conſueverunt, idque, ne quis forte pilus alicubi ſuccreſcat, tertio quoque die ab illis repetitum fuit. Ad quos

Ægy-

Ægypti Sacerdotes alludens Martialis: *Extirpa, mihi crede, pilos de corpore toto*, cecinit. Eudoxum Geometram ſupercilia, ciliaque ſibi abraſiſſe, Laertius refert, confirmatque Syneſius in calvitii encomio. Quid quod lex data Hebræis ore divino: *Levitæ radant omnes pilos carnis ſuæ.* Numerorum 8. C. E quibus conjice, pilos vultu exterminandi conſuetudinem, quæ apud Abipones, Mocobios, Tobas, Quaicurus, aliosque equeſtres Paraquariæ populos viget, antiquitatem ſapere. A' pilis ad capillos tranſeamus.

Crinibus omnes denſis, corvoque nigrioribus pollent Abipones. Communis hic capillitii color univerſis, quas vidi, per Paraquariam nationibus. Albicomus, vel rufus in lucem ſi ederetur fœtus, monſtri inſtar illis foret, vix homines inter tolerandus. Pro nationum, temporum, ſtatuumque varietate varia eſt capillorum ſtructura. Abipones Sylveſtres, coloniis necdum adſcripti, comam ſibi raſerant, & relicto per capitis ambitum crinium circulo monachorum ritu tondebantur, quem apud barbaros ſylvicolas in Mbaèberà, apud aliosquoque populos obſervavi. Fœminæ tamen nationis Mbayæ reliquo capite attonſo Crines aliquos ſervant intactos, qui, ut criſta in caſſide militari, a fronte ad verticem aſſurgunt. Tonſoriis cultris, forficibusque cum fere careant barbari, conchâ ad lapidem exacutâ, vel piſcis palometæ mandibula eum in finem utuntur. Plerique Abipones coloniarum noſtrarum inquilini crines promiſſos in funem colligunt, ac Europæorum militum more contorquent. Idem eorum mulieribus mos hoc tamen diſcrimine, quod hæ illud capillorum volumen faſciola alba Goſſypina circumligent, uti hujates nigra involvere conſueverunt. Quoties templum adeundum, quoties recepto

more

more de vita functis lamentandum, crines ſolvunt, ſparguntque per humeros. E contrario Indi Quaranici, quamdiu religionis expertes ſylvis immorabantur, Comam promiſere; Nunc noſtra ſacra amplexi variis in coloniis, illam Sacerdotum more decurtant. Quaranicæ tamen mulieres, cælibes perinde, ac conjugatæ iisdem in oppidis crinibus promiſſis, quos in funem cogunt, albaque e Goſſypio faſcia circumdant, domi, forisque utuntur; Quamvis ad ſacras in templo functiones paſſis fluentibusque per tergum capillis religioſe accedunt. Hiſpani quoque ruricolæ ligatis militari more crinibus templi limen attingunt, ſolutis ingrediuntur. Perſuadent ſibi enimvero Americani omnes, hoc obſervantiæ genus eſſe reverentiæ ſignificationem, divinis quæ ædibus debeatur. Erubeſcant illi Europæi, qui capite non ſolum ſuperſtitioſe calamiſtrato, cincinnorum fimbriis ornato, ſed & mille crepundiis onerato audent templis pedem inferre.

Mane ſomno defunctæ Abiponenſes fœminæ humi ſedentes maritorum ſibi aſſidentium capillos concinnant, torquent, ligantque. Faſciculus ſetarum ex apro, vel urſi formicarii cauda illis pro pectine, pro calamiſtro eſt. Comam natura criſpam apud Indos rariſſime invenias, arte criſpatam nunquam. Tardiſſime, & non niſi decrepiti incaneſcunt; calveſcunt pauciſſimi. Illud memoratu, riſuque dignum, quod Abipones, Mocobii, Tobæ &c. nullo ſexus, vel ætatis diſcrimine crines a fronte ad verticem uſque evellant ea ratione, ut calvitium tres fere digitos latum in eorum ſincipite videatur, quod illi *Nalemra* dicunt, nationisque ſuæ nobiliſſimum, & quodamodo religioſum inſigne arbitrantur. Nam &

re-

recens natis infantulis Præſtig atoris, præſtigiatricisue manu (Hi enim veteratores & medicorum & Sacerdotum officio apud illos funguntur) coma ſincipitis reſecatur: Quæ cerimonia parentibus tantum cordi eſt, quantum Hebræis maſculorum circumciſio, baptiſmusque Chriſtianis, videturque mihi ab antiquiſſimis Peruvianis in hos Paraquariæ barbaros manâſſe; Illis equidem Solenne fuit prolibus bimulis comas primas reſcindere acuto ſilice, cultrum ſupplente. Id a conſanguineis cognationis ordine ſibi ſuccedentibus peractum, eodemque prorſus tempore ſic initiato infanti nomen inditum fuit. Hunc attondendi ſincipitis morem extra Americam quoque gentibus aliis antiquiſſimum fuiſſe, ne crines in prælio obeſſent, ex Plutarcho patet, qui in Theſeo hæc habet: *Verum cum pugnaciſſimi eſſent Germani, & cominus certare cum hoſte præcipue didiciſſent - - - igitur ne ex crinibus occaſionem adverſariis ſe invadendi præberent, eos tondebant.* Quamquam Francos illum crinium apicem in fronte ſparſiſſe legimus, ut præliantes viderentur hoſti terribiliores.

Id præterea in more poſitum apud Abipones, ut viduæ, non ſine multo fæminarum planctu, virorumque compotatione, caput radatur, & cucullo, qui e cannabinis Caraquatà filis cinerei, atrique coloris eſt, tegatur, quem abjicere nefas prius, quam ad novas denique nuptias pervenerit. Viduo multas inter cerimonias coma decurtatur, illiuſque capiti galericulus retiformis illigatur, qui non, niſi, poſtquam rurſus crines adoleverint, dimittendus. Ad luctum de Caziquio mortuo conteſtandum viri omnes Cæſariem reſcindunt ſuam. Apud Quaranios Chriſtianos pæna probroſiſſima, & ignominiæ plena putatur, ſi quam malæ frugis fœminam capillorum

ſpolia-

ſpoliatione multaverint. En! quot Crinium viciſſitudines, quantæ metamorphoſes apud barbaros! Verum nullus ſim, ſi non plures apud cultiſſimos Europæos videantur quotidie. Quot capita, totidem capillorum formas, & ſingulis bienniis novas inventiones videmus, ridemusque. Maximum, quin unicum quorundam negotium capillus, de quibus cum ſeneca auſis dicere: *Quis eſt iſtorum, qui non malit rempublicam turbari, quam comam ſuam? Hos tu otioſos vocas inter pectinem, ſpeculumque occupatos? Nemo illorum, qui non comptior eſſe malit, quam honeſtior.* L. de brevitate vitæ c. 11. Formam, quam liberalis natura indidit Abiponibus, expoſui. Jam, quibus eam modis corrumpant, reſtat dicendum.

CAPUT IV.

De avitis, communibusque formæ corruptelis.

Pulchritudinis cura barbarorum etiam mentibus innata. Aſt hunc in finem mediis utuntur, quibus pulchritudo omnis profligatur. Abipones profecto ornare ſe dum volunt, ſe turpant, fœdantque maximopere. Puellas, puellosque elegantes paſſim inter illos videas, apta figura membrorum, coloris, ſermonisque ea ſuavitate præditos, quam multi invideant Europæi. Verum hæc illorum venuſtas fluxa eſt, ac ut in floribus, exiqui ævi, dum enim adoleſcunt,

mar-

marcefcunt. Nativa equidem illorum elegantia ftigmatibus, aliifque, quos referre aggredior, trecentis modis aboletur. Europæorum quam multi pulchri effe definunt, dum exterorum avidi imitatores peregrinos, femperque novos comendi corporis modos venantur. Abipones formam depravant fuam, vifuque terribiles effe incipiunt, quia antiqui moris tenaciffimi, & avitis majorum fuorum fanctionibus ad amentiam ufque devoti. Illorum enim exemplo vultum notis variis infigniunt fuum, quarum aliæ utrique fexui communes, fœminis propriæaliæ. Spina acuta carni infculpuntur, infperfoque vulneri recenti cinere nigrefcunt, ac fiunt perennes. Crucis figuram fronti impreffam, duas lineolas ad oculi utriufque angulum, aures verfus protenfas, quatuor præterea lineas transverfas, ac craticulæ inftar cancellatas fupra nafi radicem inter fupercilia pro infignibus velut gentilitiis vultu circumferunt omnes, & per illa a nationibus cæteris internofcuntur. Hos figurarum ductus fpinis exarant vetulæ non foli cuti, fed vivæ carni impactis, quos cinis, ut dixeram, vulneribus cruore manantibus infperfus nigros reddit, nullo, aut modo aut tempore unquam delendos. Hæ quid figuræ denotent, quid portendant, nefcio, nefciuntque ipfi, qui his fignantur, Abipones. A' majoribus fe fuis hunc accepiffe ritum, id folum nôrunt, & illis fatis eft. Plurimæ Americanorum nationes vocabulo, quo crux fignificetur, penitus Carent. Hinc dum Chriftianis facris initiati crucis fe figno muniunt, latino nomine *Crux*, vel Hifpanico *Cruz* utuntur, quod tamen alii aliter corrumpunt. Indi Peruviani lingua Quichua dicunt: *Crufpa.* Quaranii: *Cruzù.* Chiquiti: *Curuzis.* Zamuci, & qui eadem linqua loquuntur, Ygaroñi, Kaipotades, Karaoi, Tunachi, Ymonii &c.: *Curuzirè.*

Lu-

Lules, Iſiſtines, Vilelæ *Cruz* Hiſpanorum more rite enuntiant. Plures tamen Paraquariæ populi vocabulo ſibi proprio crucem ſignificare nôrunt. Hanc, vocant Abipones: *Likinránala* Mocobii *Latízenranrat* Tobæ: *Lotisdagáñadac.* Mataquayi, ſeu ychibachi: *Lekakilús* - Mbayæ: *Nikenága.*

Non ſolum vidi crucem Abiponum ſingulorum frontibus inſculptam, ſed & Cruces nigras rubris multorum e lana veſtibus intextas. Id mirandum ſane vel hoc ex capite, quod Chriſti religionem nondum edocti hoc præſtiterint, cum nec ſignificationem, nec merita Sanctæ Crucis perſpexerint. Fors ex Hiſpanis Abiponum, vel ex Abiponibus Hiſpanorum olim Captivis Crucis venerationem aliquam, vel virtutem cunctis ſaluberrimam didicere. Quid ſi dicamus, hanc Crucis apud Abipones expreſſionem Hiſpanorum in Americam adventu longe antiquiorem? Illud certum, Crucem ex ſplendido marmore, quod alii jaſpidem criſtallinum vocant, ſculptam apud Incas Peruvianos Reges magno in pretio, & fors etiam veneratione quondam fuiſſe. Longitudine tres ulnæ partes, latitudine tres digitos, totidem craſſitudine æquabat. Omnes anguli fuere pares, ſplendorisque eximii. Inſigni artificio crux illa conſtat, ſed a quo artifice, quotempore elaborata, unde allata ſit, paſſim ignorabatur. In palatio regio urbis Cuſco, & in loco ſacrato, quem Huaca appellarunt, ſervata eſt ſemper, ab Hiſpanis dein' Peruvii expugnatoribus, quibus crux pretioſa cum Regiis theſauris in prædam ceſſerat, ad ejusdem urbis templum princeps translata. Mihi veriſimillimum videtur, crucis ſeu notitiam, ſeu æſtimationem ex Peruvio in vicinam Paraquariam, ut ritus alii, illatam fuiſſe, dum Indorum Peruvianorum

quam

experimur. Si enim, ovidio teſte, *fuſcantur corpora campo*, Indos, qui ſolis æſtibus patente in campo, torrentur quotidie, fuſci coloris plus habere oportet, quam alios, qui ſylvis nativis immerſi ſub umbra per omnem ætatem latent æterna, ut nec ſolem videre unquam poſſint, neque a ſole videri. Sylvicolas ejusmodi vidi quamplurimos vultu tam candido, tam Venuſto, ut haberi pro Europæis poſſent, Europæa ſi veſte ornarentur. Fœminæ præ maribus ſemper albiores, quia & rarius extra tectum prodeunt, & ſi quando iter equo faciant, iñato huic ſexui pulchritudinis ſtudio formæ magis invigilant ſuæ, quæ ne ſolis ardore labefactetur, umbellam e ſtruthionum plumis longioribus contextam vultui prætendunt ſuo.

Mirabar ſæpe, barbaros Aucas, Puelches, ſeu Patagones, aliosque Magallanicæ terræ habitatores Auſtrali, qui in Paraqnaria frigus afflat, polo viciniores, Chilenſibus alpibus tanta nive rigidis confines vultu eſſe magis fuſco, quam Abipones, Mocobii, Tobæ, aliique populi, qui decem circiter gradibns ſeptentrioni, qui iſtic calidus, propriores in Chaco habitant, atque adeo caloribus plus vexantur. Quis neſcit, Anglos, Gallos, ſvecos, Danos, Belgas, Germanos frigidiore ſub Cœlo natos Hiſpanis, Luſitanis, Italis ſub Cœlo magis æſtuoſo degentibus vultu plerumque candidiore eſſe? Cur igitur Indi Auſtrales Paraquariæ frigidioris incolæ minus candent, quam Abipones ſeptentrioni propriores, ubi auram hauriunt ardentiorem? Phyſicis id diſcutiendum lubens permitto. Quid ſi alimenta varia ad coloris varietatem conferant aliquid? Auſtralibus illis barbaris caro ſtruthionum, equorumque, quibus abundat campus, pro cibo eſt præcipuo, & fere

unico. Hæc forſitan ad fuſcandam eorum cutem facit non nihil? Nam Groenlandos, æternas licet inter nives, ac glaciem ſepultos coloris tamen eſſe non candidi, ſed ex fuſco, & flavo mixti, referunt hiſtorici, illudque balænarum adipi tribuunt; Hunc enim & vorant, & potant, ſemperque cupediis adnumerant. Quid ſi dicamus, ut ſolis æſtu præfervido, ſic rigidiſſima urentis frigoris aura corporum albitudinem labefactari? Quod ſi ita, cur, amabo, non mediocriter albent inſulæ ignis (terra del fuego) incolæ in 55. latitudinis gradu, ultimis Americæ Auſtralis finibus, poloque antarctico tam propingui, ubi Januario menſe iſtic æſtivo advenas Europæos frigore periiſſe, ſcribunt, menſeque Martio, qui autumni pars, montes nivibus obrui, geluque atrociſſimum paſſim ſævire, memorant. Id quod nautæ Hiſpani, a quibus in Europam ſum translatus, ampliſſime confirmarunt. Nam, dum paulo ante in inſula Maloina, ſeu Malvina, ſeu ut alii loquuntur, Macloviana, inſulæ ignis vicina, aliquamdiu verſabantur, nullum faciebant finem immania illa, quæ iſtic tolerarunt, frigora prædicandi. In ipſo portu navim oppletam quotidie nivibus, congelatisque prope corporibus ſuas adeo obriguiſſe manus, ut, ni Cremati vini hauſtu identidem incaluiſſent, nauticis functionibus ſe fuiſſe impares, dictitabant. Nationes hæ Auſtrales quidni novam nobis injiciant ſuſpicionem, illas ex Africa ſuam olim traxiſſe originem, colorem illum ſuum obſcuriorem, Afris hæreditarium, Americæ intuliſſe. Hæc ſi cui arriſerit opinio, diſpiciat iterum iterumque, qua demum ratione immenſum pelagus, quod Africam a Paraquaria dividit, ſine magneticæ acus uſu tranſmiſerint.

De

De barbaris Magallanicæ oræ incolis cum injecta sit mentio, juvat hoc loco opinionem refellere, quæ de Patagonibus multorum in animis dudum inveteravit. Hos Gigantes, & Polyphemi Cyclopis fors progeniem scripsere plures, plurimi credunt etiamnum. Verum, crede mihi, falluntur hi, fallunt illi. In commentariis de itinere architalassi Batavi Olivier Von Nord, qui anno 1598. continuata per triennium navigatione quatuor cum navibus orbem totum circumvectus, fretum Magallanicum quoque trajecit, Patagones decem, vel undecim pedes alti dicuntur. Angli, qui Byron duce idemfretum anno 1764. transmiserant, octo pedes altitudinis iisdem tribuerunt. Boni viri videntur illos barbaros vel microscopio contemplati, vel alia decempeda usi. Nam anno 1766. Capitanei Wallis, & Carteret mensi sunt Patagones, & solum sex pedes, vel sex pedes & sex circiter pollices illos altitudinis habuisse affirmarunt. Anno 1767. Clarissimus Bougainville eos denuo mensus est, & eandem, quam Wallis, proceritatem in illis deprehendit. Pater Thomas Falconer Anglus, Philosophus, Medicus, meus in Paraquaria socius, annos complures Magallanicæ regionis Apostolus ridet Europæorum opinionem, Patagones gigantibus adnumerantium, testaturque Caziquium terræ illius facile principem Kangapol, qui Patagones inter omnes proceritate maxime eminuit, septem circiter pedes altum sibi visum fuisse. Quid si & hujus oculi fallebantur? Meum jam testis pariter oculati testimonium accipe. Recens ex Europa appulsus in urbe Boni aëris numerosum vidi istorum barbarorum agmen. Nullum equidem illorum mensus, sed pluribus per interpretem collocutus sum. Fateor, plerosque omnes proceritate esse eximia, haud tamen tanta, ut

gigantum nomen mereantur; Quod ſi enim Patagones gigantibus accenſeamus, Indos omnes equeſtres Paraquariæ: Abipones, Mocobies, lenguas, ſeu oaécacalòt, Mbayas &c. gigantes dicamus, neceſſe erit; Horum plerique enim corporis proceritate Patagonibus haud cedunt, licet iſtos vaſtioris corporis, vultus magis fuſci, formæque minus venuſtæ non diffitear. Europæis in exercitibus equites, peditesque innumeros, in urbibus paſſim, quin & ruricolarum in tuguriis quam plurimos videmus quotidie Patagonibus neutiquam inferiores. Hæc fabula de giganteis Patagonum corporibus ex inventis illo in litore oſſibus, quæ gigantum fuiſſe putabantur, ſeu nata, ſeu confirmata eſt. Fuit equidem illorum, qui Magallanicum ſeculo ſuperiore æquor luſtraverant, quiſpiam, qui in portu deſiderato (el puerto deſeado) oſſa humana ſexdecim pedes longa ſe vidiſſe, aſſeruit. Hiſpani ad ſpeculandas illas oras a Rege Catholico, ut ſupra retuli, anno 1745. miſſi tria iſtic barbarorum cadavera invenerunt, in quibus nec moles, nec longitudo corporum inſolita obſervabatur. Pater Thomas Falconèr, cujus proxime memini, refert: ſe quoque in ripis Carcaranal, ſeu fluvii tertii, qui mox Paranæ miſcetur, vidiſſe Gigantum oſſa varia, coxendices, coſtas immanes, craniorum fragmenta, dentes molares in radice tres digitos diametri habentes. Ejusmodi oſſa è Paraquayi, & Paranæ litoribus frequenter erui, alii aſſerunt. Quin & Inca Garcilaſſus de la Vega, Peruviani imperii Livius, idem de Peruvio ſcribit, teſtaturque, apud Indos Peruvianos opinionem a majoribus ſuis acceptam perſiſtere: Gigantes terrarum ſuarum olim incolas in pœnam Sodomitici ſceleris a Vindice Deo extin-

extinctos fuisse. Ast noveris, historicum hunc ejusmodi esse, ut in illius verba tutò jurari non semper possit; frequenterque vetularum arbitraria commenta pro majorum documentis obtrudi in historiis. Verum concedamus, ejusmodi ossa ubi ubi reperta, quæ forsan balænarum, aliarumque bestiarum grandium erant, gigantum fuisse, hoc argumento quis evincet, illius terræ, ubi inventæ eorum reliquiæ, habitatores gigantes fuisse? Poterant enim hæc ossa aliunde allata fluviorum alluvione in mare, ex hoc in remotissimas oras devolvi. In montium altissimorum visceribus sane elephantum ossa, anchoræ, navigiorum prægrandium frusta detecta sæpius legimus, quæ per subterrancos meatus haud dubie è mari olim advecta. Lege Kircheri mundum subterraneum, lege alios hoc super argumento. De Gigantum ossibus crede, quidquid lubuerit, dummodo me suasore, Patagones pro Gigantibus desinas habere.

CAPUT III.

De forma Abiponum, corporisque conformatione.

Abipones forma sunt plerumque liberali, facie concinna, iisdemque, quibus Europæi, oris lineamentis, colorem si excipias, qui, ut prius memoravi, in adultioribus haud equidem est omnino

candidus, ab æthiopum tamen, & ex his mixtorum nigrore abest longissime; Albitudo enim illa naturalis, cum qua in lucem prodire infantes dixi, procedente ætate partim solis æstu, partim fumo aliquantulum obscuratur. Siquidem vitam prope omnem per campos soli pervios equitando exigunt, & si tantisper in tentorio conquiescant suo, quod idem illis pro cubili, triclinio, ac culina est, diu, noctuque ignem humi fovent, cujus calore, ac fumo nigrescant non nihil, necesse est. Auster frigidiusculus quoties aspirat; ignem lecto admovent, vel reti pensili, in quo cubant., subjiciunt, atque adeo, ut pernæ suillæ e camino pendentes, sensim infumantur. Abiponum fœminæ campo obequitantes adversus solis ardores umbella vultum tuentur suum; Hinc viris plerumque candidiores. Hi, quia formidari ab hostibus, non amari, terrere, non allicere obvios volunt, dum a sole liberalius tosti, cicatricibus magis turpati sunt, tum enimvero sibi pulchriores videntur.

Abiponibus plerisque omnibus oculos nigros, sed aliquantulum minutiores esse, adverti; sed his ocellis acutius vident, quam nos grandioribus. Res enim jam mole sua pusillas, jam admodum remotas clarissime distinguunt, quæ oculos Europæi vel fugiebant, vel latebant, quamvis cætera perspicacissimos In nostris sæpe itineribus bestiam longo terrarum interjectu dissitam currere observavimus, quin tamen, qualis esset, nostrum quispiam vel divinaret. Abipon bestiam hanc equum, mulum, nigri, candidi, glauci coloris esse, nil hæsitans edixit. Dictum veritati consentaneum comperimus semper, rei eminus conspectæ propinquiores. Campo forte inambulabat Pater Josephus Brigniel meus in Sancti

Hic-

Hieronymi oppido tum ſocius, corporis ſane perquam puſilli. Abipon procerus alto inſidens equo pulicem eius in facie hærentem detexit, eumque ex equo deſiliens manu cepitillico exclamans: *Haraì Pày! neteguink loapârât.* En tuum mi Pater pulicem! Ex pulice oculorum perſpicaciam diſce. Apiculas minutiſſimi corpuſculi per prata, pratorumque flores ſurſum, deorſum volitantes obſervant hi barbari, easque mellis legendi deſiderio ad earum in ſylvis alvearia ſequuntur. Ad grandem oculorum minus grandium perſpicacitatem probandam hæc ſufficiant, etſi afferre poſſem complura. Naturæ beneficio vident, quæ nos microſcopii, tubique optici ope vix aſſequimur.

Cæterum, ſi quæ alia Americæ natio, decora gaudent membrorum conformatione Abipones. Naſum, ut plerisque in Æthiopibus ſpectamus, ſimum, compreſſum, aduncum, frontem verſus repandum, juſto pinquiorem vix memini me in illorum quopiam deprehendiſſe. Frequentior illis eſt aquilinus, cum decore longiuſculus, & acutus. Trecentæ corporum deformitates, pravitatesque, apud Europæos frequentiſſimæ, iſtic peregrinæ ſunt, ac ne de nomine quidem notæ. Abiponem gibbo, ſtruma, labro leporino, abdomine monſtroſo, cruribus divaricatis, diſtortis pedibus deformem, blæſum, qui literas R. vel S. Balbutiendo enuntiet, nusquam videris. Dentes candidos oſtentant, & per omnem vitam fere innoxios tumulo inferunt plerique plerosque. Equos pigmæos interdum gignit Paraquaria; Abiponem pigmæum nunquam, quin ne alterius quidem nationis Indum. Tot inter Indorum millia nullum detexi, id certe mihi exploratiſſimum. Abipones plerique omnes ea ſunt proceritate, ut ſi

corporis altitudini animorum excelſitas reſponderet, Auſtriacos inter pyrobolarios poſſent militare. In quatuor Abiponum coloniis, neque plures numerarunt, verſatus ſeptennium tres novi duntaxat, qui præter nationis morem exigui fuere corporis, ſed iidem animoſitate, militari ingenio, factis grandibus apud ſuos perinde, ac Hiſpanos maximi nominis. Primus horum Debayakaikin Caziquiorum Abiponenſium facile princeps, ob ſtaturæ exiguitatem ab Hiſpanis El *Petizo* parvus appellatus, ſed toti late provinciæ olim formidabilis. Frequens mihi de hoc recurret ſermo. Kevachichi alter, plurimarum palmarum Dux. Tertius Hamihegemkin impiger ad belli labores, intrepidus, aſtutus. Dum noſtra ob repentinum hoſtis numeroſi adventum trepidabat colonia, incolis tum venatione occupatis prope vacua, hic genii bellicoſi, & callidi ingenii dedit documenta, hoſtibus tum aſtu, tum audacia in fugam præcipitem actis. Ne mireris tantos animos tantillis homunculis fuiſſe. Ubi minus corporis, plus ſæpe ſpirituum eſt. Audi ſtatium I. Thebaidos: *Major in exiguo regnavit corpore virtus*. Audi Claudianum de bello Getico Alanam gentem bellicoſiſſimam laudibus proſecutum: *Cui natura breves animis ingentibus artus finxerat, immanique oculos infecerat ira*. Minutiſſimo grano piperis quid mordacius? Scorpii, ſerpentes alii parvuli vix ſpithamam longi præ vaſtiſſimis anguibus ſæpe nocentiores in America. Alexander Macedonum, Attila Hunnorum duces ambo parvi corpore, militari animoſitate maximi fuere. Verum ignoſce, quæſo quod parvis in rebus exemplis utar tam grandibus! Haud equidem ignoro, Alexandrum, Attilamque cum barbaris Debaya kaikin, Kebachichi, Hamihegemkin in comparationem venire neutiquam poſſe; Nam hi Hiſpanorum Paraqua-

qua-

quarienſium maſtiges pagos vaſtarunt, & prædia; Illi mundi flagella, belliquc fulmina urbes munitas, & provincias ſub jugum miſere.

Barba, quod alias dixeram, carent Abipones, mentumque glabrum gerunt reliquorum, qui quidem ex utroque parente Americano orti, Indorum more. Si quem Indum barbatulum videris, alterutrum illius parentum, certe avum Europææ originis fuiſſe, nil dubita. Cur Americani omnes imberbes ſint, hæc quæſtio nodus gordius eſt, quem, qui ſolvere adnitebantur, novis difficultatibus implicarunt. Quod quidem naturæ arcanum qui detexerit, erit mihi magnus Apollo. Haud inficior, Americanorum in mento lanuginis aliquid interdum ſuccreſcere eo fere modo, quo arenoſis, ſterilibusque in agris hinc illinc tritici culmus ſpectatur. Verum & teneram hanc lanuginem, quam nemo barbam dixerit, ſibi minime tolerandam putant, quin, ut funditus cum radice evertatur, iterum, iterumque curant. Audi inſolitam tonſtrinæ methodum. Vetula tonſoris officio fungitur. Humi ad focum conſidens tonſtricula Abiponis jacentis caput gremio complectitur ſuo. Vultum tondendi cinere calente affatim conſpergit, perfricatque liberaliter, id quod ſmigmatis ſupplet vices. Mox volſella, ſeu forcipula cornea, quæ elaſtica vi pollet, pilos ſingulos evellit diligenter. Quod negotium citra doloris ſenſum peragi, barbari affirmant, atque ut dictis fidem haberem, illorum aliquis applicata mento meo forcipula convincere me amice voluit de veritate. Infauſti tonſoris manibus vix, ac ne vix quidem me poteram extricare. Nam credere malui, quam gemere. Navaculæ uſus neque univerſalis Europæ, neque antiquiſſimus fuit. Forficulis reſecare,

 can-

candenti carbone cremare, volſella evellere barbam ſolebant veterum non nulli. Hinc & Varrone teſte l. 2. de re ruſtica c. 11. Lanæ vulſuram in ovibus, quam tonſuram antiquiorem eſſe; Poſt Romam conditam anno quadringenteſimo quinquageſimo quarto tonſores (virorum) primum ex Sicilia in italiam veniſſe a P. Ticinio Mena adductos, ait. Id refero, ne mireris Paraquarienſes barbaros etiamnum volſellam præ navacula malle.

Dolorem, qui vetulæ manu per forcipulam infertur, ſilentio concoquunt Abipones, ut faciem glabram, lævemque habeant; ſcabram enim, hirſutamque averſantur. Hinc neuter ſexus pilos, queis oculi a natura muniuntur, tolerat; Nam & palpebras, & ſupercilia ſibi evelli jubent identidem. Hæc oculorum nuditas, quamvis incredibiliter turpet faciem vel elegantiſſimam, præcipuum ab illis putatur elegantiæ, pulchritudinisque adjumentum. Europæos, quorum oculi denſo horrent ſupercilio, explodunt, aſpernantur, ſtruthionumque, quibus ſcilicet luculentiora ſunt ſupercilia, germanos fratres appellant. Per adjacentes pilos obtundi oculorum aciem, atque obumbrari, ſomniant. Hinc quoties mel per ſilvas conquiſituri excurrunt, vacuisque domum redeunt manibus, excuſatio illis in promptu eſt: ſuccreviſſe ſibi ajunt ſupercilia, ciliave, atque ideo apes volantes, alveariorum indices, haud potuiſſe a ſe diſcerni. Ridiculus nobis profecto Abiponum oculos pilis nudantium ritus, ſed antiquorum exemplo confirmatus. Si enim Herodoto fides in Euterpe, ſacrificuli Iſidis in Ægypto caput, ſupercilia, palpebras, corpus univerſum radere conſueverunt, idque, ne quis forte pilus alicubi ſuccreſcat, tertio quoque die ab illis repetitum fuit. Ad quos

Ægy-

Ægypti Sacerdotes alludens Martialis: *Extirpa, mihi crede, pilos de corpore toto*, cecinit. Eudoxum Geometram ſupercilia, ciliaque ſibi abraſiſſe, Laertius refert, confirmatque Syneſius in calvitii encomio. Quid quod lex data Hebræis ore divino: *Levitæ radant omnes pilos carnis ſuæ.* Numerorum 8. C. E quibus conjice, pilos vultu exterminandi conſuetudinem, quæ apud Abipones, Mocobios, Tobas, Quaicurus, aliosque equeſtres Paraquariæ populos viget, antiquitatem ſapere. A' pilis ad capillos tranſeamus.

Crinibus omnes denſis, corvoque nigrioribus pollent Abipones. Communis hic capillitii color univerſis, quas vidi, per Paraquariam nationibus. Albicomus, vel rufus in lucem ſi ederetur fœtus, monſtri inſtar illis foret, vix homines inter tolerandus. Pro nationum, temporum, ſtatuumque varietate varia eſt capillorum ſtructura. Abipones Sylveſtres, coloniis necdum adſcripti, comam ſibi raſerant, & relicto per capitis ambitum crinium circulo monachorum ritu tondebantur, quem apud barbaros ſylvicolas in Mbaèberà, apud aliosquoque populos obſervavi. Fœminæ tamen nationis Mbayæ reliquo capite attonſo Crines aliquos ſervant intactos, qui, ut criſta in caſſide militari, a fronte ad verticem aſſurgunt. Tonſoriis cultris, forficibusque cum fere careant barbari, conchâ ad lapidem exacutâ, vel piſcis palometæ mandibula eum in finem utuntur. Plerique Abipones coloniarum noſtrarum inquilini crines promiſſos in funem colligunt, ac Europæorum militum more contorquent. Idem eorum mulieribus mos hoc tamen diſcrimine, quod hæ illud capillorum volumen faſciola alba Goſſypina circumligent, uti hujates nigra involvere conſueverunt. Quoties templum adeundum, quoties recepto

more de vita functis lamentandum, crines solvunt, sparguntque per humeros. E contrario Indi Quaranici, quamdiu religionis expertes sylvis immorabantur, Comam promisere; Nunc, nostra sacra amplexi variis in coloniis, illam Sacerdotum more decurtant. Quaranicæ tamen mulieres, cælibes perinde, ac conjugatæ iisdem in oppidis crinibus promissis, quos in funem cogunt, albaque e Gossypio fascia circumdant, domi, forisque utuntur; Quamvis ad sacras in templo functiones passis fluentibusque per tergum capillis religiose accedunt. Hispani quoque ruricolæ ligatis militari more crinibus templi limen attingunt, solutis ingrediuntur. Persuadent sibi enimvero Americani omnes, hoc observantiæ genus esse reverentiæ significationem, divinis quæ ædibus debeatur. Erubescant illi Europæi, qui capite non solum superstitiose calamistrato, cincinnorum fimbriis ornato, sed & mille crepundiis onerato audent templis pedem inferre.

Mane somno defunctæ Abiponenses fœminæ humi sedentes maritorum sibi assidentium capillos concinnant, torquent, ligantque. Fasciculus setarum ex apro, vel ursi formicarii cauda illis pro pectine, pro calamistro est. Comam natura crispam apud Indos rarissime invenias, arte crispatam nunquam. Tardissime, & non nisi decrepiti incanescunt; calvescunt paucissimi. Illud memoratu, risuque dignum, quod Abipones, Mocobii, Tobæ &c. nullo sexus, vel ætatis discrimine crines a fronte ad verticem usque evellant ea ratione, ut calvitium tres fere digitos latum in eorum sincipite videatur, quod illi *Nalemra* dicunt, nationisque suæ nobilissimum, & quodamodo religiosum insigne arbitrantur. Nam & re-

recens natis infantulis Præftig atoris, præftigiatricifue manu (Hi enim veteratores & medicorum & Sacerdotum officio apud illos funguntur) coma fincipitis refecatur: Quæ cerimonia parentibus tantum cordi eft, quantum Hebræis mafculorum circumcifio, baptifmusque Chriftianis, videturque mihi ab antiquiffimis Peruvianis in hos Paraquariæ barbaros manâffe; Illis equidem Solenne fuit prolibus bimulis comas primas refcindere acuto filice, cultrum fupplente. Id a confanguineis cognationis ordine fibi fuccedentibus peractum, eodemque prorfus tempore fic initiato infanti nomen inditum fuit. Hunc attondendi fincipitis morem extra Americam quoque gentibus aliis antiquiffimum fuiffe, ne crines in prælio obeffent, ex Plutarcho patet, qui in Thefeo hæc habet: *Verum cum pugnaciffimi effent Germani, & cominus certare cum hofte præcipue didiciffent --- igitur ne ex crinibus occafionem adverfariis fe invadendi præberent, eos tondebant.* Quamquam Francos illum crinium apicem in fronte fparfiffe legimus, ut præliantes viderentur hofti terribiliores.

Id præterea in more pofitum apud Abipones, ut viduæ, non fine multo fæminarum planctu, virorumque compotatione, caput radatur, & cucullo, qui e cannabinis Caraquatà filis cinerei, atrique coloris eft, tegatur, quem abjicere nefas prius, quam ad novas denique nuptias pervenerit. Viduo multas inter cerimonias coma decurtatur, illiusque capiti galericulus retiformis illigatur, qui non, nifi, poftquam rurfus crines adoleverint, dimittendus. Ad luctum de Caziquio mortuo conteftandum viri omnes Cæfariem refcindunt fuam. Apud Quaranios Chriftianos pœna probrofiffima, & ignominiæ plena putatur, fi quam malæ frugis fœminam capillorum

fpolia-

ſpoliatione multaverint. En! quot Crinium viciſſitudines, quantæ metamorphoſes apud barbaros! Verum nullus ſim, ſi non plures apud cultiſſimos Europæos videantur quotidie. Quot capita, totidem capillorum formas, & ſingulis bienniis novas inventiones videmus, ridemusque. Maximum, quin unicum quorundam negotium capillus, de quibus cum ſeneca auſis dicere: *Quis eſt iſtorum, qui non malit rempublicam turbari, quam comam ſuam? Hos tu otioſos vocas inter pectinem, ſpeculumque occupatos? Nemo illorum, qui non comptior eſſe malit, quam honeſtior.* L. de brevitate vitæ c. 11. Formam, quam liberalis natura indidit Abiponibus, expoſui. Jam, quibus eam modis corrumpant, reſtat dicendum.

CAPUT IV.

De avitis, communibusque formæ corruptelis.

Pulchritudinis cura barbarorum etiam mentibus innata. Aſt hunc in finem mediis utuntur, quibus pulchritudo omnis profligatur. Abipones profecto ornare ſe dum volunt, ſe turpant, fædantque maximopere. Puellas, puellosque elegantes paſſim inter illos videas, apta figura membrorum, coloris, ſermonisque ea ſuavitate præditos, quam multi invideant Europæi. Verum hæc illorum venuſtas fluxa eſt, ac ut in floribus, exiqui ævi, dum enim adoleſcunt,

mar-

Abiponum





Foeminarum *Variæ* *ætatis* *Virorum*





Effigies







Europæi. Verum hæc illorum venustas fluxa est, ac ut in floribus, exiqui ævi, dum enim adolescunt,

mar-

marcescunt. Nativa equidem illorum elegantia stigmatibus, aliisque, quos referre aggredior, trecentis modis aboletur. Europæorum quam multi pulchri esse desinunt, dum exterorum avidi imitatores peregrinos, semperque novos comendi corporis modos venantur. Abipones formam depravant suam, visuque terribiles esse incipiunt, quia antiqui moris tenacissimi, & avitis majorum suorum sanctionibus ad amentiam usque devoti. Illorum enim exemplo vultum notis variis insigniunt suum, quarum aliæ utrique sexui communes, fœminis propriæ aliæ. Spina acuta carni insculpuntur, inspersoque vulneri recenti cinere nigrescunt, ac fiunt perennes. Crucis figuram fronti impressam, duas lineolas ad oculi utriusque angulum, aures versus protensas, quatuor præterea lineas transversas, ac craticulæ instar cancellatas supra nasi radicem inter supercilia pro insignibus velut gentilitiis vultu circumferunt omnes, & per illa a nationibus cæteris internoscuntur. Hos figurarum ductus spinis exarant vetulæ non soli cuti, sed vivæ carni impactis, quos cinis, ut dixeram, vulneribus cruore manantibus inspersus nigros reddit, nullo, aut modo aut tempore unquam delendos. Hæ quid figuræ denotent, quid portendant, nescio, nesciuntque ipsi, qui his signantur, Abipones. A' majoribus se suis hunc accepisse ritum, id solum nôrunt, & illis satis est. Plurimæ Americanorum nationes vocabulo, quo crux significetur, penitus carent. Hinc dum Christianis sacris initiati crucis se signo muniunt, latino nomine *Crux*, vel Hispanico *Cruz* utuntur, quod tamen alii aliter corrumpunt. Indi Peruviani lingua Quichua dicunt: *Cruspa.* Quaranii: *Cruzù.* Chiquiti: *Curuzis.* Zamuci, & qui eadem linqua loquuntur, Ygaroñi, Kaipotades, Karaoi, Tunachi, Ymonii &c.: *Curuzirè.*

Lu-



Lules, Isiſtines, Vilelæ *Cruz* Hiſpanorum more rite enuntiant. Plures tamen Paraquariæ populi vocabulo ſibi proprio crucem ſignificare nôrunt. Hanc. vocant Abipones: *Likinránala* Mocobii *Laíizenrañraí* Tobæ: *Lotisdagáñadac.* Mataquayi, ſeu ychibachi: *Lekakilús* - Mbayæ: *Nikenága.*

Non ſolum vidi crucem Abiponum ſingulorum frontibus inſculptam, ſed & Cruces nigras rubris multorum e lana veſtibus intextas. Id mirandum ſane vel hoc ex capite, quod Chriſti religionem nondum edocti hoc præſtiterint, cum nec ſignificationem, nec merita Sanctæ Crucis perſpexerint. Fors ex Hiſpanis Abiponum, vel ex Abiponibus Hiſpanorum olim Captivis Crucis venerationem aliquam, vel virtutem cunctis ſaluberrimam didicere. Quid ſi dicamus, hanc Crucis apud Abipones expreſſionem Hiſpanorum in Americam adventu longe antiquiorem? Illud certum, Crucem ex ſplendido marmore, quod alii jaſpidem criſtallinum vocant, ſculptam apud Incas Peruvianos Reges magno in pretio, & fors etiam veneratione quondam fuiſſe. Longitudine tres ulnæ partes, latitudine tres digitos, totidem craſſitudine æquabat. Omnes anguli fuere pares, ſplendoriſque eximii. Inſigni artificio crux illa conſtat, ſed a quo artifice, quotempore elaborata, unde allata ſit, paſſim ignorabatur. In palatio regio urbis Cuſco, & in loco ſacrato, quem Huaca appellarunt, ſervata eſt ſemper, ab Hiſpanis dein' Peruvii expugnatoribus, quibus crux pretioſa cum Regiis theſauris in prædam ceſſerat, ad ejusdem urbis templum princeps translata. Mihi veriſimillimum videtur, crucis ſeu notitiam, ſeu æſtimationem ex Peruvio in vicinam Paraquariam, ut ritus alii, illatam fuiſſe, dum Indorum Peruvianorum

quam

quam plurimi Hiſpanorum metu in illam provinciam commigrârunt. opportune mihi in mentem venit illius, quod Nicephorus l. 18. c. 20. refert: Turcas a Coſroe Perſarum Rege miſſos Conſtantinopolim, qui crucem frontibus ſuis inuſtam oſtentabant. Rogati, eccur ſignum, quod non colerent, fronte geſtarent? reſpondere: Edoctos ſe a Chriſtianis crucis inſigne ad peſtem arcendam valere, dictique veritatem luculenter expertos ſe fuiſſe. Pia hæc crucis ſtigmata ex Chriſtianorum inſtitutione frontibus Turcarum impreſſa etiam Paulus Diaconus memorat, & Cardinali Baronio teſte ad annum quingenteſimum nonageſimum primum ſacra, hac induſtria Turcæ tunc a peſte immunes exſtitere. Jacobitæ, Jacobi Syri hæretici ſectatores circumferebant ſignum crucis frontibus candente ferro inuſtum, ut refert Joachimus Abbas in appendice nationum Chriſtianarum. Dictum S. Joannis Baptiſtæ: *Ipſe vos Baptizabit in Spiritu Sancto., & igni.* Matthæi 3. c. v. 11. perperam intellectum a Jacobitis illorum hæreſi anſam dederat; Nam crucis figura ignito ferro frontibus catechumenorum inuſta apud eos pro baptiſmo fuit. Tranquillis Eccleſiæ temporibus dum Chriſtiani veteres Chriſti religionem impune profitebantur, Chriſti nomen manibus inuſſere ſuis, ut ſancius teſtatur. Quid, quod & Afri Alarues, etſi religionis Chriſtianæ ignari crucem brachio impreſſam geſſerunt. Eandem brachiis inuſtam ſuis pleriqne nautarum Hiſpanorum, Luſitanorumque, quod ipſe ſpectavi toties, habent eum in finem, ne a Mauris in captivitatem abducti Chriſtianos ſe eſſe poſſent inficiari. Aſt quo fine barbari Abipones & frontibus, & ſæpe veſtibus crucis figuram impreſſerint, ultro fateor me ignorare.

Stigmatibus, quæ utrique ſexui communia apud Abipones, haud contentæ fœminæ & vultum, & pectus, & brachia atris lineamentorum diverſiſſimorum imaginibus compuncta gerunt adeo, ut tapetis Turcici ſimilitudinem referre videantur. Quo magis patritia fuerit quæque inter ſuos, ac ſpectabilior, eo plus figuris abundat. At vero multo ſanguine emitur barbarus iſte ornatus, gemitibus conſtat multis. Audi tragœdiam, & ſi flere non lubeat puellarum cruciatum, ride nationis inſanos ritus. Adoleſcentula ut primum naturæ indicio nubilis declaratur, recepto jam more ſignari jubetur. In vetulæ humi ſedentis gremio caput reclinat ſuum. Ut pingatur, pungitur. Spinæ pro penicillo; cinis cruori miſtus pro colore eſt. Dilaniatur, ut gentilium ſuorum more ornetur. Aculeis ſpinarum in carnem alte immerſis artifex, ſed crudelis vetula, alios aliis, figurarum, linearumque ductus deſcribit, tota mox ut facies ſanguine diffluat. Quod ſi doloris impatiens vel ingemiſcat miſera puella, vel tergiverſantis inſtar caput ſubtrahat, probris, ſatyris, vituperiis peſſime onerabitur. Apage iſtam ignaviam, furens exclamabit anus, næ tu noſtri generis labes es, ac monſtrum, cui ſpinæ titillatio tantilla intolerabilis! An neſcis, eorum te ſanguine prognatam, qui vulnera in votis habent, atque adeo in lucris numerant? Tui te pudeat imbellis muliercula! Goſſypio mollior videris. Cælebs moriêre, nil dubita. Tam impudenter meticuloſam, ecquiſnam demum noſtrorum heroum ſuo dignam conjugio exiſtimabit? Quod ſi quieta mihi morem geſſeris, ipſa te pulchritudine reddam pulchriorem - - His vociferationibus perterrita juvencula, nî ſociarum fabula fieri, ni explodi palam omnium ore malit, nec hiſcere audet porro, doloris acutiſſimi ſenſum ſi-

len-

lentio premit, fronte ſerena, compreſſis metu convitiorum labiis tolerat aculeorum laniatum, qui quidem non uno abſolvitur die. Nam hodie ſpinis compuncta faciei parte una domum remittitur, ad partem faciei alteram, ad pectus, ac brachia compungenda cras, perendie, ac ſæpius revocanda. Interea dum finis imponatur laborioſo operi, per dies non paucos paterno ſub tentorio clauſa circumvallatur coriis bubulis, aura frigidior ne obſit. Carne, piſcibus, aliis, neſcio, quibus dapibus religioſe interdicta veſcitur pomulis quibusdam, quæ Kakiè, Roayamì, Nanaprahete dicta dumetis innaſcuntur. Hæc licet aliis non raro febris tertianæ origo ad ſanguinem tamen refrigerandum conducunt.

Hac tum plurium dierum inedia, tum cruoris quotidiana effuſione exangnes palleſcunt adoleſcentulæ. Mentum non punctulis, ut aliæ partes, ſed lineis rectis uno ſpinæ ductu exaratur, ac finditur. Quæ quidem lineæ ejusmodi ſunt, characteres muſici illis inſcribi ut poſſent. Spinæ quæcunque venenatum quid habere videntur; Hinc dira earum impreſſione oculi, genæ, labia horrendum in modum intumeſcunt, illitisque ſauciæ cuti cineribus nigrorem triſtem imbibunt, ut ſtygiarum furiarum quampiam videre tibi videaris, dum puellam ex crudeli illa Vetulæ officina prodeuntem cernis, adeo jam ſui diſſimilem, ut vel invitus exclames: o quantum Niobe Niobe diſtabat ab illa. Illius aſpectu ad miſerationem ipſi ſæpe moventur barbari parentes, quin tamen de abolendo immani hoc ritu cogitent unquam; opinantur equidem, per hanc ſpinarum laniationem filias ſuas ornari ſimul, ſimul ad ferendos ſubinde partûs dolores erudiri, præpararique. Ut deteſtandam ſemper putavi vetularum in cruciandis



puellis sævitiem, ita habilitatem illarum in istis pingendis suspexi. Nam figuras alias atque alias mira lineamentorum proportione, punctorum varietate, ac ductuum utraque in maxilla æqualitate exprimunt curatissime, quin tamen alio præter spinas variæ magnitudinis utantur instrumento. Quot fœminas Abiponenses videris, totidem figurarum variationes earum in vultibus deprehendes. Quæ maxime picta, plurimumque compuncta aculeis, hanc noveris esse patritiam, ac nobilissimo loco natam. Illam vel captivam, vel plebeji generis esse nil dubitaveris, quæ ternas duntaxat, quaternasve vultu lineolas nigras circumfert. Apud Thraces quoque nobilis fœminæ insigne fuisse faciem stigmatibus compunctam, refert Herodotus l. 5. aitque, Ignobiles pura facie fuisse, & nullis notis impressis insignitâ. Idem Dio Prusæus in oratione 14. confirmat: Christiana postquam disciplina Abiponum in coloniis radices fixit, eliminata nobis suasoribus ferali hac consuetudine eam fœminæ retinent formam, quam unicuique natura impressit. Dolendum sane, mirandumque, quod Europææ a cunabulis Christianæ fuci, ac pigmentorum abusu ridiculas se reddant iis, quibus student placere. Dum pinguntur equidem, venustatis nativæ jacturam faciunt perinde, ac Americanæ, dum spinis compunguntur. Color sanguine diffusus, non fuco adscitus laudem feret, oculisque probabitur spectatoris.



CA-

CAPUT V.

De labiis, ac auribus barbarorum perforatis.

Præter hæc vultus ſtigmata aliis quoque utuntur ad ſe ſe, ut quidem putant, ornandos, re tamen ipſa ad formæ humanæ extinctionem; Artubus enim ſuis jam mutilatis, jam pertuſis ab hominis ad beſtiæ figuram videntur abiiſſe. Abiponibus, ut plerisque omnibus per Americam Indis, ſolenē fuit quondam vel ferro ignito, vel arundine acuta labium inferius terebrare. Parato ſic foramini arundinem alii, alii tubulum ex oſſe, vitro, gum̄i, vel flavo ære, quod ab Hiſpanis accepere, conflatum roſtri inſtar inſertum circumferunt. Solis maribus, vix dum etiam ſeptеñibus, is ornatus permittitur, nunquam fœminis. Apud Abipones recentiores mos hic exolevit dudum, viget tamen noſtra adhuc ætate inter Quaranios ſylvicolas, inter Mbayas, Quanas, Payaquas &c. Ob im̄anem labii appendicem ab Abiponibus *Petegmek* dictos. Hi elegantiſſimi, ornatiſſimique ſibi videntur, dum fiſtulam æneam, quæ calami ſcriptorii diametrum æquat, longitudine ſpithamam excedit, e labio ad pectus protenſam non ſine oſtentatione geſtant. Verum hoc pulchritudinis imaginariæ inſtrumento Europæis advenis formidabiles ſe reddunt; Nam vaſta proceritate tumidi, coloribus e ſucco variis totum corpus picti, crinibus colore, qui ſanguini ſimillimus, purpureo tinctis, ala ingentis vulturis uni auricularum

affixa, globulorum vitreorum fafcibus per cóllum, per brachia, genua, & furas relucentibus, tabacæ fumum ex prælonga arundine haurientes foro inambulant, omni ex parte terribiles vifu formæ.

Quod labii pertufi hiatui inferitur, cujuscunque demum fit materiæ, *Tembetà* vocant Quaranii, & quamdiu religionis expertes nemora pervagantur, adhibent ad unum omnes; Aft hunc labii appendicem abjiciunt ad Romana facra in coloniis traducti, labii foramine, quippe quod nec lateribus, cæmentoque claudi, neque ulla arte coalefcere unquam poteft, folo remanente, per quod, dum colloquuntur, faliva ubertim profluit aliquando, & in enunciandis rite vocibus tantillum impediuntur. Indi plebeji omnes, quos in fylvis Mbae berá detexi, & adolefcentes, & adulti arundine tenui, curtaque pro *Tembeta* utebantur; Trium Caziquiorum vero illud ex gumi, feu refina aurei coloris fuit. Vitreum effe, primo afpectu juraffem. Sole plufculum exæftuante gumi illud nobile ex arbore Abati timbabý copiofiffime emanat, & in fubjectos tembetà, crucis, globuli, alteriúsve, quam expreffam cupiunt, figuræ modulos effunditur fenfim: Aura, accedente lapidis inftar induratur, nullo humore liquandum: vitri tamen inftar pellucidum manet. Ni enim hæc refina arboris Abatitimbaý infigni duritie polleret, tembetà ex illa conftans barbarorum labio diebus integris inferta, ac falivæ femper innatans mollefceret denique, & diffolveretur. Dolui fæpe hoc gumi pretiofiffimum ex America non afferri, artificibus Europæis vario ufui futurum.

Ne-

Neque putes unicum eſſe apud Barbaros labii terebrandi modum. Anthropophagi enim, quos Hiſpani Caribes, Quaranii Abaporú dicunt, venandis, devorandisque hominibus per ſylvas occupati inferius labium non pertundunt, ſed ad oris longitudinem ſcindunt adeo, ut vulnere in cicatricem coeunte duplici bucca inſtructi videantur. Sparſi per nemora oberrant, a noſtris hominibus non ſine periculo ad religionem perſuadendam ſæpe, ſed fruſtra conquiſiti. Caro humana ab Indis Braſiliæ, Paraquariæque prope omnibus cupedias inter quondam numerabatur. Multi illorum Chriſtianæ diſciplinæ noſtris in oppidis dudum aſſuefacti, quamcunque ſeu bubulam, ſeu ferinam carnem præ humana ſibi inſigniter faſtidioſam, inſipidamque videri, hujus deſiderio ardere ſe, fatebantur interdum. Mocobios, Tobàsque adhuc barbaros fame urgente, aliæ ſi deſint dapes, humanis etiamnum carnibus veſci, novimus. Iſtorum centuriæ aliquot Abiponum in conceptionis oppido Caziquium Principem Alaikin in campis remotioribus cum ſuorum turma ruſticantem, compotantemque ſub diluculum per inſidias oppreſſere. Pugnatum eſt acriter aliquamdiu. Abiponibus ſauciis fuga dilapſis Alaikin cum ſex comitonibus in acie cæſus, aſſatus ſubinde, devoratusque a famelicis victoribus fuit, qui opiparo hoc epulo egregie refecti, ovantesque abiere. Puer quoque Abipon duodenis, ad menſam nobis famulari ſolitus, ab iisdem barbari tunc jugulatus, & vitulinæ carnis inſtar abſumptus menſæ cupedias auxit bellariorum loco. Vetulam tamen Abiponenſem multis vulneribus ibidem trucidatam in campo reliquerunt intactam, quod illius caro jam durior, nullique proin uſui eſſet *Cachêrgaiè Lpabè Chigàt eyga, tan la ybòt*, ut Mocobiorum quidam, pugnæ,

mensæque illius particeps, biennio post mihi multa hac super re sciscitanti reposuerat. Hæc occasione anthropophagorum, qui labium cæterorum more non terebrant. sed ad buccæ mensuram secare consueverunt. Jam de aurium ornatu, vel rectius, cruciatu pauca.

Inaurium usus ut antiquissimus, sic apud nationes varias varius, apud Americanos plerumque ridiculus, sæpeque incredibilis est. Missis reliquis, quæ hoc de argumento in mentem veniunt, de Abiponibus meis duntaxat differo. Auriculæ pueris æquè, ac puellis teneris perforantur. Virorum plerisque nullus inaurium est usus; seniores tamen nonnulli cornu bubuli, ligni, ossis frustulum, fila lanea varii coloris, nodulum e cornu fictum auribus perforatis infigunt. Conjugatarum mulierum vix ulla inauribus caret. Illarum figuram accipe. Folium palmæ prælongum duos digitos latum in spiram convolvunt (uti ligularum sericearum volumen esse solet) quæ peripheriam majoris hostiæ, qua in sacrificio utimur, aliquando excedit. Auriculæ pertusæ foramini lignellum majus semper majusque intruditur. Qua industria annis procedentibus illa auriculæ cutis adeo extenditur sensim, amplificaturque foramen, ut illam ex palmæ folio spiram, quanta quanta est, arctissime circumplectatur, & ad humeros prope defluat. Ipsum palmæ folium inspiram convolutum vi elastica, qua pollet, auriculæ foramen magis indies, magisque dilatat. Exaggeratam, cave, putes hanc spiræ magnitudinem, auriculæque capacitatem. Hisce, quibus ad scribendum utor, oculis, vidi quotidie innumerabiles fœminas monstrosa hac inauri oneratas, quin & viros aliarum nationum permultos. Nam & barbarissimi Oaèkakalòt, & Tobæ, alii-

aliique extra Paraquariam Americani populi iisdem prorſus, quibus Abiponenſes fœminæ, inauribus ſuperbiunt. Ferdinandus ſextus Rex Catholicus hiſtoriam fluminis urinoco a noſtro Patre Gumilla ſcriptam avidiſſime legerat. Incidit forte in libri paginam, ubi refert, barbaros quosdam pro locandis inauribus tanta auricularum foramina habere, ut globus eburneus, quo in tabula (vulgo Billard) tudiculis luditur, comode per illa transmitti poſſit. Tunc enimvero ſubridens Monarcha: videtur mihi vir bonus poetam, non hiſtoricum agere aliquando, exclamavit. In has voces erupit Rex non de hiſtorici fide, reique veritate hæſitans, ſed novitate tantarum inaurium attonitus Indorum ſtultitiam demirans. Matritenſium tamen aliqui hoc Regis dictum cuipiam ex Paraquaria advenæ oggannicbant, amice illi inſinuantes, fabulam interdum pro hiſtoria ab Americanis vendi Europæ. Verum de rei, quam Rex prope incredibilem duxit, veritate certiſſimus Paraquarienſis repoſuit: Patrem Gumilla verum, ſed parum ſcripſiſſe de imani inaurium mole; Auricularum foramina multo ampliora varias apud Paraquariæ nationes ſe vidiſſe. Nosque omnes, quotquot inter barbaros illius provinciæ verſati ſumus, idem vidimus quotidie, & veriſſimum uno ore teſtamur. Æthiopes ex inſula Madagasgar in Paraquariam adductos inauribus nihilominoribus uti, ipſus in valle calamuchita ſpectavi. Quaranicæ mulieres annulos ex ære, qui tres aliquando digitos diametri habent, non auricularum foramini incluſos, ſed ex illo pendentes geſtant Europæorum ritu.

Inaurium multiplicem uſum, ut multa alia, Paraquarii didiciſſe videntur ex vicino, & Auſtrali Americæ dominante Peruvio. Illius Rex clariſſimus,

 legis.

legislatorque Inca Manco capac in benevolentiæ significationem ſubjectis ſibi populis facultatem olim impertiit, exemplo ſuo aures perforandi ſuas ita tamen, ut aurium foramina altero tanto minora eſſent, quam illa, quibus ipſe uteretur. Pro provinciarum varietate varias ſingulis populis inaures aſſignavit: Hi perforatis auribus infigebant ligni particulam; Illi faſciculum lanæ albæ, qui mole ſua pollicem non excederet; Iſti juncum; Alii arboris corticem. Tribus nationibus auricularum foramina ſolito ampliora indulta. Quot quot ſtirpis erant Regiæ, pro inauribus annulos latiſſime patentes adhibuere, qui ex longa faſcia ſuſpenſi ad pectus porrigebantur. Paraquarii Peruvianorum olim imitatores progredientibus ſeculis varias demum, alias aliis magis ridiculas inaurium formas excogitarunt, quarum nullam Europæus ſine riſu ſpectaverit. Hæc aures terebrandi conſvetudo, ut divinis e literis patet, mundo prope Coæva, nationibusque prope univerſis communis erat, quamvis diverſa apud plerosque inaurium figura, ſignificatioque. Indis orientalibus, Perſis, Athenienſibus nobilitatis inſigne fuit auris perforata, cui jam aurum, jam gemma, jam ebur ab opulentioribus appendebatur, ut Arrianus de geſtis Alexandri adnotavit.

Cum Abipones ſuperciliis, ciliisque nudent oculos, labia, auresque pertundant, faciem ſpinarum aculeis compungant, totque figuris inſigniant, barbæ lanuginem e mento evellant, comæque ingentem portionem e ſincipite, vehementer mirabar ſæpius, quod naſum intactum, illæſumque conſeruent, cujus cartilaginem Afri, Peruviani, Mexicanique olim perforarunt, monileque aliquod foramini inſeruere. Patre Joſepho Acoſta Authore L. 7. Hiſtor. C. 17. Tikorik Mexicanorum Rex Smaragdum inſignem e naribus tere-

rebra-

rebratis pendentem oſtentabat. Braſili jam a prima ætate non labium inferius modo, ſed & alias faciei partes perforant, illarumque hiatibus lapillos vulgares prælongos inſerunt, tetro ſane, ut Maffejus noſter L. 2. Hiſtor. Indic. ait, ſpectaculo! opus teſſellatum, vel Moſaicum dixeris Braſilorum vultus. Sed his liberaliores fuere Parthi in ſe deformandis, qui ornatus gratia omnes prope corporis artus perforarunt, illisque lapillos, grana pretioſa inſeruerant Tertulliano teſte L. 1. de cultu Fœmin. C. 10. Si Diodoro ſiculo L. 4. C. 1. fides, etiam fœminæ Æthiopum ad Arabiæ fines labia terebrata pro vultus ornamento habuerunt. Ex his liquet non ſolos Americæ barbaros ſtigmatum variorum uſu deſipuiſſe. Diverſiſſimi tamen diverſis populis erant horum ſtigmatum fines, ac ſignificationes. Apud Thraces, teſte Herodoto L. 5. apud Dacos, & Sarmatas juxta Plinium L. 22. nobiles his ſtigmatibus deſignabantur interdum: ſæpe alias ſervi, ut pecoribus Domini ſui nomen inuritur. Quandoque Æthiopum frontibus, qui e fuga retracti, vel ingenio ſuo fugaces putantur, Hiſpani heri primam nominis ſui literam candenti ferro imprimi curant. Vegetius L. 2. C. 5. *Victuris in cute punctis milites ſcriptos*, ait. Quod de militiæ tyronibus belli imperatoris nomine notatis intelligendum putat Juſtus Lipſius L. 1. de Milit. C. ultimo. Apud Hebræos idololatriam olim denotabant ſtigmata. Hinc 3. Reg. 18. V. 28. de Baalis ſacrificulis: *Incidebant ſe juxta ritum ſuum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine.* Ethnici equidem, dum ſacra faciebant Magnæ matri, Bellonæ, Dianæ, corpus dilaniabant, perfodiebantque ſuum modis, inſtrumentisque variis, impreſſo jam fronti, jam volæ manus, jam cervici ſtigmate. Id quod C. 19. levitici interdicitur Judæis: *Neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis.*

Sæ-

Sæpe tamen alias notæ corporibus impressæ gentis originem, patriamque prodidere. Affirmat Herodotus L. 4. Lybies, ut e Trojanis ortos se probarent, quædam stigmata corpori inurebant suo, ex quo infertur, apud Troes eiusmodi stigmatum consvetudinem olim viguisse. Britanni quoque veteres tota corpora pungebant, expingebantque figuris variis, Cæruleo colore imbutis, ut Julius Cæsar L. 5. de bello Gallico, & Herodianus L. 3. meminerunt. Quod Martiali argumentum præbuit epigrammatis 54. L. 2. Claudia cæruleis cum sit Ruffina Britannis edita, cur latiæ pectora plebis habet? Abiponibus certe illas vultus picturas, punctiunculasque eum maxime in finem familiares esse, ab aliis ut nationibus se dignoscerent, majorumque suorum institutis conformarent. Aliam ex illis causam exsculpsimus nunquam.

CAPUT VI.

De Abiponum firmitate, ac vivacitate.

Ridendi profecto, qui America nec eminus conspecta, Americanos promiscue omnes viribus uti parum firmis, corpore imbecillo, valetudine tenui esse, audacter magis, quam vere scripserunt. Id generatim affirmari haud potest. Pro cœli, regionis, victus, occupationumque varietate variat corporum habitudo. Robustiores utique experimur Europæos, qui saluberrimos Styriæ montuosæ aeres hauriunt, quam qui palustri Bannatus in planitie tertiana flavescunt.

Afri-

Africana mancipia navibus advecta Ulyssiponensi in foro pecorum instar venialia prostabant sæpe, me istic agente. Singulorum patriam expiscantur emptores, non nisi robustissimos sibi peroptantes. Ex Angola, ex congo, ex promontorio viridi, & maxime ex Madagascar insula oriundi certatim, avidissimeque deliguntur, quippe qui fidæ plerumque valetudinis, solertiæ majoris. Afros in regione, quam Lusitani la costa de la mina appellant, natos vix est, qui emat; Debiles fere sunt, segnes, & laboris impatientes, quia æquatori vicinissimi, ubi ventus aut nullus, aut brevis, aura tepida, imbres frequentes. Hac certe in vicinia ad Paraquariam navigantes malacia continua detenti, cœli æstu prope assi, calidisque imbribus quotidie aspersi ternas prorsus hebdomades hæsimus. Cui mirum sit, sub hoc cœli languescentis situ corpora item lanquida imbecillaque procreari, licet in aliis passim Africæ oris robustos, strenuosque populos reperiri noverimus. Ex hoc prona est ad longe, lateque patentem Americam, & ejus incolas conjectura. Illius provinciæ, quin singula provinciarum loca ut maximo terrarum intervallo a se distant, sic aeris, alimentorum, habitationum proprietatibus discrepant maximopere; Ex quibus alia, atque alia incolarum habitudo consequitur ita, ut hic debiliores, istic robustissimos deprehendas.

De Americanis aliis alii, per me, scribant, quibus, & quidquid visum fuerit. Nil repugnabo. De Paraquariensibus confidenter affirmo, nationes equestres, quas in chaco vidimus, pedestribus formæ concinnitate, corporum proceritate, virium robore, sanitate, vivacitateque ut plurimum præstare. Abipones sane corpore pollent lacertoso, robusto, agili & cœli injuriarum tolerantissimo. Obesum, vastaque

ab-

abdominis mole gravem vix usquam reperias. Quotidiana equitatione, venatu, ludicris, ſeriisque certaminibus identidem occupati raro pinqueſcunt, quia ſimiorum more ſemper inquieti. Optimo humorum temperamento, fidaque idcirco valetudine gaudent, quam Europæorum plurimi inviderent. Pleraque morborum genera, quæ Europam ſeu cruciant, ſeu exhauriunt, ne de nomine quidem nôrunt. Podagra, hydrops, epilepſia, icterus, calculus, hernia &c. peregrina illis vocabula, & monſtrorum inſtar. Caput nudum ſoli æſtuanti objiciunt diebus integris, quin tamen de capitis moleſtia conquerenten ullum audias. Jurares illos ſenſus expertes, ex ære, vel marmore conflatos, cum tamen vel iſta ſolis æſtu incalescant. Siti per aridas ſolitudines diu ardentes aquas paluſtres, ſalſas, lutulentas, putres, amaras, quasquas demum deprehenderint, plenis hauriunt faucibus citra noxam. Carnem bubulam, cervinam, tigrinam, duram, ſemiaſſam, ſtruthionum ſeu ova ſeu carnes, varia arborum poma immatura liberaliter in ſe ingurgitant, neque tamen ſtomachi languorem, aut alvi difficultates ſentiunt. Cœlo ſæpe pluvio, aere perfrigido vaſta flumina nando transmittunt citra viſcerum, veſicæque perturbationem, quæ Europæis natantibus moleſta ſæpe, ſæpe, ſtranguria accedente, periculoſa. Ephippiis duro è corio conſutis inſident producto in multas hebdomades itinere, quin tamen usque ſeſſitando vel extimam cuticulam offendant. Ad fulciendos pedes ſtapede nullo, equis fere ſuccuſſatoribus utuntur, poſt equitationem tamen horis pluribus non interruptam nullum corporis exagitati, fatigatique indicium in ullo horum obſervabis. Gelido ſtrati in ceſpite, non rarò, dum ſubitus ingraveſcit imber, aquis prope innatantes noctem agunt, quid tamen rei

Co-

Colica ſit, quid arthritis, omnino ignorant. Utriusque periculum ſubeunt Hiſpani, aquis pluviis diutius madefacti; Hæ cuti illapſæ, neſcio, quam peſtem toti afflant corpori in America, ſæpe animi defectionem, ſyncopen, aliquando puſtulas, ulceraque producunt. Vidi frequenter Hiſpanos milites in templo exanimis ſimiles corruiſſe, quia per viam ab imbre pertinacius conſperſi. Abipones inter diuturnas toties pluvias ſub dio dies, noctesque complures perſtant incolumes, quia ſemper pedes nudi; calceatis equidem plus quam nudatis pedibus officit humor ex pluvia contractus, qui, cum, unde expiret, exitum non inveniat, introrſum ſerpens oſſa, nervosque penetrat, ac reliquum peſſime afficit corpus. Ad hanc perniciem cavendam ſolenne fuit nobis equo iter facientibus, pluvia invaleſcente pedes calceis, tibialibusque nudare protinus. Verum in ſcyllam ſæpe incidimus, vitantes Charybdim. Timendum erat equidem, ne equo ceſpitante pes nudus ligneo ſtapedi allidatur, offendaturque. Sed audi reliqua, quæ ad Abiponum firmitatem probandam, faciunt.

Si quæ forte ſpina plantæ pedis infigatur, illamque confractam nec digitis aſſequi, neque evellere queant, portiunculam carnis, cui ſpina inhæret, ipſam ſerena fronte cultro exſcindunt. Hoſtem, vel remotiora ſpeculaturi loca utroque pede equi dorſo inſiſtunt. Arbores, nubibus minantes, conſcendunt, illarum in ramo quieti conſident, ex abditis illic alveariis mel exempturi, nullo unquam vertiginis aut ſenſu aut periculo. Ad colonias noſtras translati, ſecuris, aratrique tractatione, cui ſcilicet nunquam inſueverant, defatigati dum a viribus defici, dum ſudore diffluere, ac æſtuare corpus advertunt ſuum: Sanguis mihi iraſcitur jam *la Yivichigui* Yauigra, excla-

clamant. Ad hunc placandum in promtu illis est remedium: cultrum in suram altissime demergunt, profluentemque inde cruorem lætis spectant oculis aliquamdiu, eumque applicata vulneri gleba sistunt denique, ac se jam revixisse, bene sibi esse, voce hilari fatentur: *là rioamcatà.* Jam bene valeo. Adeo in fundendo, quasivero alienus esset, sanguine prodigi, ac fere nimii sunt non valetudinis duntaxat, sed & gloriæ desiderio. Nam publicis in compotationibus spinarum fasciculo, vel acutis Crocodilorum e dorso ossiculis pectus, brachia, linquam, & — sed pudet dicere, crudeliter compungunt multa cum sanguinis effusione. Idque certatim factitant, ut fortitudinis famam adipiscantur, ut sanguinis, dum cum hostibus res est, fundendi metum per spontanea vulnera deperdant, ut cutem densis cicatricibus obductam telis reddant impenetrabiliorem. Septennes pueri, parentum imitatores, spinis perinde in sua sæviunt brachiola, cicatricesque ostentant copiosas, magnanimitatis scilicet ætate majoris documenta, ac belli, ad quod a teneris educantur, præludia. Ritus hic semet vulnerandi utut barbarus in barbaris tamen, qui militiam profitentur, vix non probandus. Nam, ut vegetius rei militaris apud Romanos magister C. 10. folio mihi 66. scripserat: *Qui ante longum tempus, aut omnino nunquam videre homines vulnerari, vel occidi, cum primum adspexerint, perhorrescunt, & pavore confusi de fuga magis, quam de conflictu incipiunt cogitare.*

Non nullos macie confectos, de tabe, hecticave suspectissimos siliquæ Græcæ esu, potuque quotidiano vidimus convaluisse. Morbo interdum atrociore correpti, periculosissime sauciati parabili plerumque remedio brevissime consanescunt, & sæpe nullo, canum instar. Multos eorum vario telorum genere perfos-

sos

ſos trajecto latere, oſſibus, coſtisve confractis ægre ſpiritum ducentes, ſanguini multis e vulneribus mananti immerſos exhorrui, ſpirantia mortis ſimulacra. Paucis poſt hebdomadibus eosdem incolumes equo procurrentes jam, vel compotantes dum forte viderem, quidni eorum ſanationem corporum firmitati tribuendam putarem, cum medicis illorum, medicamentisque futilibus neutiquam poſſem. Variolas, morbillosque unicam prope, qua America exhauritur, ac calamitoſiſſimam eſſe peſtem quis ignorat? Corripiuntur ea Abipones, ut cæteri Indi, at pauciſſimi extinquuntur, quamvis eo morbo laborantes negligentius certe, quam reliquæ nationes, ſibi caveant. Sanguinis nempe, ac humorum temperies melior ſaniem nec tantam in illis, neque tam exitialem progignit. De variolis alio loco plura. Plumbeis vulnerati globis, quin eos e' corpore evelli ſinant ſuo, annos plurimos vivunt, valentque; Plumbum ſeu brachio, ſeu pedi impune inhærens, ceu firmitatis ſuæ monumentum nobis oſtentarunt ſæpius, manibusque tangendum noſtris obtulere. Quod quidem novitatis nihil, admirationisque adfert medicis. Teſtatur enim Bartholomæus Maggius in diſſertatione de Vulneribus, plumbum alterius in corpore per triginta annos ſine dolore detentum ſe vidiſſe. Horſtius medicus familiariter novit virum nobilem, qui ultra quadraginta annos ſine notabili incommodo globulum plumbeum in talo circumferebat. Illud memorabilius, globum ſclopetarium, niſi cor feriat, vel caput, raro lethalem eſſe Abiponibus; Quin illorum Caziquius præclarus Kaapetraikin glandem ejusmodi fronti ſuæ ab Hiſpano impactam citra diſcrimen excepit, provectiſſima jam ætate ab infenſis ſibi Mocobiis iter faciens per inſidias oppreſſus, cum ſex commilitonibus ſuis haſta trucidatus, devoratusque eſt, me in con-

ceptionis oppido id temporis agente. Hæc mecum reputans mirabar ſæpe, ignivomas Europæorum fiſtulas tantopere a barbaris formidari, rariſſime illis lethales. Sed nimirum ut pueri ignes fatuos, etſi innoxios, metuunt; Sic Indi plus nitrati pulveris crepitum, quam plumbi jactum expaveſcunt, quem caſſum toties, & aeri duntaxat timendum experiuntur. Militum enim Paraquariorum bombardæ nubibus ſimillimæ mihi videbantur, e quibus tempeſtate coorta fulgura plurima, lethifera fulmina pauciſſima excutiuntur. Hæc, quæ memoravi, ad Europæos de Abiponum robore convincendos, ni fallor, aliquantum valebunt. Neque enim mihi unquam probabitur illorum opinio, qui Americanis ſtupidum, hebetiorem obtuſioremque corporum ad percipienda incommoda ſenſum tribuere. Enimvero perſentiſcunt Abipones elementorum impreſſiones, telorum injurias, ortos inde dolores, ſed illorum ſenſu non fatiſcunt, non opprimuntur, ut plerique alii, ſeu quia ſanguinis, humorumque temperatione meliori, majori nervorum, artuumque robore gaudent, ſeu quia a pueris aſſveti ejusmodi incommodis dudum obduxere callum, ſeu quia militaris gloriæ appetentiſſimi negant ſibi dolere quiddam, etſi dolore afficiantur aliquando. Jam reliqua, e quibus Abiponum vigor, vivacitasque incredibilis eluceſcat, argumenta perſtringamus.

Illos raro calveſcere, incaneſcere ſero, ſuperius memini. Provectiſſima ætate vix denique conſeneſcunt, plantarum quarundam more, ſemper virides, vegetique. Summis laudibus, atque adeo admiratione proſecutus eſt Cicero libro de ſenectute Maſiniſſam Regem Mauritaniæ nonaginta annos natum, qui, *cum ingreſſus iter pedibus ſit, in equum omnino non aſcendit: Cum equo, ex equo non deſcendit. Nullo imbre, nullo*

fri-

frigore adducitur, ut capite operto sit. — — *Exequitur omnia Regis officia, & munera &c.* Quot Abipones decrepitos, totidem Masinissas, & Masinissa vegetiores tolerantioresque suspiceret Romanus orator. Suis vix fidem haberet oculis, dum videret senes prope seculares duodennis adolescentuli instar sine stapedum adminiculo in equum ferocem uno impetu assilire: Cœlo ardentissimo illi insidere horis, quin & diebus continuis; Mellis legendi gratia celsas arbores scandere: sub Jove jam frigido, jam pluvio iter prosequi, humi cubare, hostibus in acie obluctari, nullos, quos seu venatus, seu militia offert, labores recusare: Oculorum acie incredibili, auditu promptissimo pollere, dentibus integerrimis abundare: Solum annorum numero, non alia re a florentissimæ ætatis viro distinqui. Quæ quidem omnia, quamvis per omnem Europam rarissima, quid si Europæorum fide majora? Sine admiratione spectavi quotidie Abiponum in Coloniis, quæ senes juvenibus, præter ætatem, omnia similes copiosos numerabant. Si quis octogenarius vivere desinat, ceu in ætatis flore extinctus deploratur. Fœminæ viros plerumque vivendo superant; quia bello non absumuntur; quia suapte natura, humidiores cum sint, vivaciores esse solent. Centenarias vetulas, seculo majores tot Abiponum in solo invenias, ut illas admirari quidem, vix tamen numerare queas. Eandem firmitatem corporum, vivacitatemque pedestribus Paraquariæ nationibus non ausim asserere. Quaranii, Lules, Ysistines, Vilelæ, aliique Indi pedites Europæorum more morbos, senectutemque & sentiunt, & corporis habitu produnt suam. Illorum vita, ut Europæis passim usuvenit, jam brevior, jam productior. Paucos illorum seculares deprehendas, vel seculo propinquos. Operæ pretium fuerit, fontes, e quibus Abiponum vigor tantus profluat, indagare.

CAPUT VII.

Cur Abipones tam vegeti, & vivaces?

Vivida, vivaciaque corpora & parentibus debent ſuis Abipones, & Sibi. Profecto vigor juventæ per temperantiam conſervatus in cæteram ætatem, atque adeo in ipſam ſobolem derivatur. A morbidis enim languentibusque morbidos liberos procreari, experientia docet. Abipones toto, quo adoleſcunt, tempore laſciviam neſciunt, & licet indolis ſint fervidæ, nullo libidinum genere labefiunt. Confabulationibus, ludis, facetiis indulgent, aſt verecundiæ intra limites ſemper. Ipſo, quo inter illos verſabar, ſeptennio nihil a me viſum eſſe, auditum nihil, quod petulantiam, obſcænitatemve oleret, aſſeveranter affirmo. Inſtinctu quodam naturali, ſibi proprio, pudoris profanandi modos, occaſionesque perhorreſcunt pueri, puellæque: Has cum illis ſeu clam, ſeu palam confabulantes nusquam videas, nunquam in foro otioſas. Matribus domeſtico labore occupatis ſociam navare operam, in deliciis habent. Armorum, equorumque exercitatione quotidiana adoleſcentes maxime capiuntur: In horum ſingulos belliſſime convenit Horatianum illud: *Imberbis juvenis, tandem cuſtode relicto, gaudet equis, canibusque, & aprici gramine campi.*

Aliarum nationum Indi brevioris ſæpe, gracilis, & imbecilli ſunt corporis. Multi eorum, antequam viri, marceſcunt: Alii necdum ſenes miſerè conſeneſcunt,

ſcunt, aut præcoci ſato extinquuntur ante tempus. Cauſam quæris? dicam, quod ſentio. Multi miſeri, quia miſeris parentibus prognati: Alii, quia laboris onere oppreſſi, indumento, cibo, habitatione parciſſime inſtructi: Complures alii, quia a prima adoleſcentia in voluptates obſcænas effuſi laſciviendo vigorem naturalem exhauſere. *Libidinoſa etenim, & intemperans adoleſcentia effoetum corpus tradit ſenectuti*, ut Cicero Lib. de Senect. aſſerit. Quam multis eheu præmatura morte ſublatis epitaphii loco illud ovidii faſt. 1. quadraret: *Nequitia eſt, quæ te non ſinit eſſe ſenem.* Nuptiæ a juvenculis nimium acceleratæ non raro in cauſa ſunt, cur Indos reliquos Abiponibus vel infirmiores, vel minus vegetos, minus vivaces experiamur; Hi equidem, niſi anno trigeſimo quam vigeſimo propiores de conjugio vix cogitant: Raro fœminas quatuor luſtra nondum emenſas ducunt. Quod ſane ut ad conſervandum robur, ſic ad vitam producendam, ſobolemque robuſtiorem procreandam plurimum conferre, Philoſophi, medicique affirmant. Cur germani veteres tam vegeti, tam proceri, tam longi plerumque ævi? Tacitum de his diſſerentem audi: *Sera venus, eoque inexhauſta pubertas; Nec virgines feſtinantur. Eadem juventa, ſimilis proceritas; Pares, validæque miſcentur, ac robora parentum liberi referunt.* Nil dubitandum a teneris parentibus prolem edi non robuſtiſſimam; Et cum corporis habitum animi affectio conſequatur, ut Galenus prolixe docet, mirum haud eſt, tales fœtus eſſe quoque ſenſu tenues, ac mente imbecillos. Bellicoſa hæc noſtra ætas cum homines & multos, & proceritate inſignes ſuis pro legionibus peroptet, præmaturas juvenum nuptias cohibere ſtudeat. Audiatur hoc ſuper argumento Ariſtoteles L. 7. politicorum C. 16. *Eſt adoleſcentum conjunctio* (verba illius ad apicem recito) *improba ad fi-*

liorum procreationem. In cunctis enim animalibus juveniles partus imperfecti sunt, & fœminæ crebrius, quam mares & parva corporis forma gignuntur. Quocirca necesse est hoc idem in hominibus provenire. Hujus autem conjectura fuerit, quod in quibuscunque civitatibus consvetudo est adolescentes mares, puellasque conjugari, in eisdem inutilia, ac pusilla hominum corpora existunt. In partu quoque laborant magis puellæ, ac pereunt plures. — Masculorum corpora crescere impediuntur, si adhuc &c. &c. Hanc Philosophi sententiam mire probarunt Ægydius Romanus, & Albertus Magnus, rationibusque solidis stabilierunt. Proh! quoties parentes genere illustres, summoque loco nati, dum liberorum connubia nimium accelerant stirpis suæ perpetuandæ studio, hanc subito extinctam, seque sine filiis, ac nepotibus lamentantur. Si qua in re, in conjugandis filiis festinandum est lente parentibus, habita ætatis, viriumque ratione. Quod quidem consilium Abiponum, Germanorumque veterum exemplis prorsus conforme, de quibus Cæsar L. 6. de bello Gallico: *Ab parvulis labori, ac duritiæ student. Qui diutissime impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem. Hoc ali staturam, ali vires, nervosque confirmari putant. Infra annum vero vigesimum fœminæ notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus.* A priscis illis, quos Cæsar laudat Germanis quam alii sunt germani hodie! Sed aliud, quo Abiponum firmitati, proceritatique consulitur, præsidium videamus.

Matres suo, non alieno ubere proles lactant suas, idque nutricis officium in tertium fere annum prosequuntur. Quo quidem temporis intervallo a maritis abstinere eas omnino, ajunt. Id quod certe ad roborandos fœtus magnopere, si medicis fides, conducit. Nam Galenus L. 1. de Sanitate tuenda: *Ad-*

mo-

moneo, inquit, *quæ lactant proles*, *ut ab omni impuritate abſtineant*; *Hac enim lac noxium efficitur &c. ſanguis equidem melior* (in prægnantibus) *abit ad nutriendum fœtum; Hinc in uberibus lac modicum*, *& noxium remanet.* Infantes, qui a gravida lactantur, a Plinio dicuntur coloſtrati, a coagulato ſcilicet, & ſpongioſo lacte paſti, deſtructique. Ad hæc confirmanda valet, quod Cinna Catullus in Libro de 20. conſulibus refert: Cajum Fabricium virum cætera præſtantem cum morbis inſolitis per omnem vitam conflictatum eſſe vel ea de cauſa, quod a matre jam prægnante per quatuor menſes fuerit lactatus. Quod diſcrimen a ſuá ut averteret filiola, illius nutricem veſtalium in ædibus per triennium cuſtodiendam dedit. Hæc, pluraque, quæ huc faciunt, alia adſert Petrus Juſtinelli in ſuo de educatione prolium commentario.

Ipſa quoque educatio multum habet momenti ut ad formandos mores, ſic ad corpora Abiponum induranda. Nam, quod Quintilianus L. 1. inſtitut. ſcripſerat, mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis, & corporis frangit. Dicti veritas noſtris quotidie obſervatur oculis. Videmus equidem homines delicias inter, cupediasque ſuaviter educatos languere, moleſtiisque leviſſimis frangi: Ruſtico in mapali adultos laborum, belli, cœlique cujuscunque aſperitatum tolerantiſſimos usque vigere, & valere. Abiponum educationem delicatam nemo dixerit. Vix natæ proles gelido, ſi ad manum ſit, flumine abluuntur. Cunas, plumas, pulvillos, faſcias, oſcula, crepundia plane neſciunt. Levi ex lutræ pellibus lacinia tectæ, ubi ſors tulerit, cubant modo, modo nefrendulorum more ſolum perreptant. Quoties equo faciendum iter matri, prolem in mantica, aprugnis e pellibus conſuta, atque ex

 ephi-



ephippiis pendente una cum catulis, ollis, cucurbitis &c. collocat. Sæpe alias maritus lactentem filiolum matris e brachiis raptum equo imponit suo, oculisque liquida voluptate plenissimis equitantem spectat. Balnei gratia flumen pernatans mater parvulum pectori appressum suo manu tenet altera, altera ceu remo utitur. Majuscula si sit proles, flumini injicitur, ut natare discat, dum ambulare incipit. Puellos vix ab uberibus remotos raro sine sagittis, & arcu in forum prodeuntes videas. Aviculas, muscas, omne animalculorum genus insectantur. Solenne illis, ac volupe in scopum designatum collineare, quod militiæ præludium dixeris. Equo turmatim procurrunt quotidie, & cursus velocitate certant. Quæ omnia ad corporum integritatem, augmentumque incredibiliter conferre quis dubitet? Supersederent utinam Europææ matres violentis naturæ artificiis, blandimentisque, quibus ad infantulorum cultum abutuntur. Moderarentur utinam fascias, ac linteola, queis tenera prolium corpuscula ceu vinculis coercent, ac veluti carcere claudunt, næ! pauciores loripedes, varos divaricatis cruribus, compernes, gibbo onustos, pumiliones, imbecillos, morbidosque Europa nostra numeraret.

Abipones veste non corpori adstricta, sed laxa, & ad talos usque defluente utuntur, quæ corpus tegat, non oneret, neque premat, quæ adversus aeris injurias illud tueatur, quin tamen corporis expirationi obstet, vel sanguinis circuitionem moretur. Quod utique Europæis contingere necesse est, qui vestibus sæpe oppressi & collum, & pedes, & manus, & latera jam arctis indumentis, jam tot fibulis, tot cingulis, tot fasciis ornatus gratia constringunt, ipsumque adeo caput, ut plaustrum, adscititiis crinibus, tre-

cen-

centis crepundiis, appendicibusque oneratum quotidie circumferunt, certo valetudinis detrimento. Sapientes tot ad Orientem populi, quin & prisci germani fere amplum, laxumque indumenti genus sapienter maluerunt. Quid si illis vel propterea & corpora ampliora, & laxiora vitæ spatia obtigere? Qui incolumitati consultum suæ cupit, ut aliis in rebus, sic in vestitu illud curandum sibi putet: *Ne quid nimis.* Tenuitatem tamen vestium nimiam perinde valetudini perniciosam, arbitramur. Aere variante variant amictum prudentiores, ut nautæ vela. Ipsi Abipones barbari textis e lana vestibus contenti alias, ut primum Auster gelidior aspiraverit, pallium quoddam e lutræ pelliculis scite compositum arripiunt sine ætatis, sexusve discrimine omnes. Pellicea hæc vestis pallii, quo sacerdotes ad cantandas in templo vesperas utimur, aliquam refert similitudinem, & ab illis *nichigerit* vocatur à *nichihegè*, quod lutram significat.

Galenus libro de sanitate tuenda libere, vereque asseruit: *Maximum esse malum ad sanitatis custodiam quietem nimiam corporis, ac maximum bonum moderatam, & justam motionem esse.* Huic consonat Celsus L. I. C. I. *Ignavia corpus hebetat, labor firmat; Illa præmaturam senectam: Iste longam adolescentiam reddit.* Hinc veteribus Romanis quotidiano prope in usu palæstra, discus, saltus, luctatio, cursus, equitatio, pugilatus, pilæ ludus, natatio, venatio &c. fuere. Nil porro mireris, Abipones athletice valere, ac Macrobiorum instar multum vivere. Continuo in motu versantur. Equitatio, venatio, natatus illis quotidianus. Bellum, quod vel feris, vel hostibus inferunt, creberrimæ excursionis est causa. Flumina nando superare, arbores mellis gratia scandere, hastas, arcus, sagittas cultello elaborare, funes è corio texere, ephippia concinnare

 fre-

ſrequens, & quod pedes, manuſve fatiget, illis negotium. Quod ſi ab his vacationem ſibi indulgeant, curſu certant equites, præmio propoſito, quod, qui metam attigerit primus, victori cedit. Sæpe ipſi, quibus currunt, equi victoriæ præmium deſignantur. Familiariſſimus item Abiponibus, quo pedites utuntur, Ludus alter. Illius inſtrumentum eſt lignum tres palmos longum, affabre baculi inſtar rotundatum. Illius extremitates craſſiores, medium gracilius eſt: Ab illis Yüele, vel Hepiginſancatè, ab Hiſpanis macána dicitur, & Hungarorum Puſagan aliquomodo refert. Hoc lignum ad metam jactant niſu maximo ita, ut per intervalla terræ illidatur identidem, identidem in altum ſubſiliat eo fere modo, quo pueri hujates lapillos per fluvii ſuperficiem vibrare ſolent. Quinquageni ſæpe, ſæpe centeni longo conſiſtunt ordine, ſingulique, mutatis, vicibus, lignum jaciunt ſuum. Qui longius qui rectius jecerit, præmium, laudemque refert. Hoc ludo, quem a pueris in plures continuant horas, & oblectantur, & fatigantur incredibili corporis utilitate. Ejusdem ligni, quod ludi modo, modo belli inſtrumentum, ad hoſtium, ferarumque quaſſanda corpora frequens ac formidabilis uſus eſt plerisque barbaris. Ignavi, oſcitantesque nolunt cochleæ vitam vivere Abipones; Hinc neque aliorum more, qui otio torpent, culcitris, menſæ, tabulæ luſoriæ ſemper affixi, quique rariſſime ad forum, vel campum prorepunt, cito, miſereque computreſcunt. Abiponenſes fœminæ, etſi virorum ludis, certaminibusque equeſtribus interdicantur, rei domeſticæ procuratione dies, noctesque diſtentæ vix reſpirandi, conquieſcendique tantiſper habent opportunitatem. Hinc maſculus ille matrum vigor ad producenda fœtuum gigantea prope

cor-

corpora, hinc robur, vitæque diuturnitas tanta. Ex medicorum namque ſententia, corporis excrcitatio ac motus frequentior innatum calorem fovet, plethoram arcet, ſuccos ſuperfluos expellit, ac diſſipat, artus agiliores reddit, promptioresque ſenſus, pulmonum ſpiramina promovet, nervos corroborat, corporis poros, & meatus per ſudorem aperit, digerit alimenta, ac digeſta excernit, corpus animumque convaleſcere facit. Aquas ſine motu videmus putreſcere. Aer ſine ventorum impulſu, ingraveſcit. Enſis in vagina diu feriatus rubigine obducitur. Veſtes diuturno ſitu ſquallent. Deſidia, otioque cutis meatus in hominibus obſtruuntur, humorum fluxiones invaleſcunt, morbi articulares, epilepſia, apoplexia, languor ſtomachi, cibi, atque ipſius adeo vitæ faſtidium naſcuntur. Has, quas medici deſidibus minari ſolent, calamitates ignorant Abipones, quia deſidiam, otioſamque quietem ignorant, niſi eam defatigati reſtaurandis viribus neceſſariam arbitrentur.

Victus quoque, cui hi aſſveverant, ratione illorum incredibiliter firmari corpora, vitamque ultra ſolitos limites produci, nunquam dubitavi. Quod Tacitus de veteribus Germanis ſcripſit, de illis ſcriptum puta. *Cibi ſimplices, agreſtia poma, recens fera, aut lac concretum ſine apparatu, ſine blandimentis expellunt famem.* Carne quidem bubula, vel ferina plerumque aſſa, raro elixa veſcuntur, ut ſors tulerit. campus ſi venantibus feras neget, aqua ſuppeditabit eſurientibus præter varii generis piſces, lutras, anates, porcos fluviatiles &c. Ex aere quoque aves non ſpernendi ſaporis, ex ſylva diverſas ſeu humi, ſeu in arboribus ſponte natas, fruges famis remedia, accipiunt. Deſint hæc omnia, ſub terra, vel

vel aqua latentes radices pro eſca paſſim adhibent. Piſcium, præſtantiſſimorum licet, eſum ſola illis neceſſitas perſvadet. Carnem tigrinam, teterrimi quamvis odoris, tanti faciunt, ut ſiquis tigridem necaverit, illam in minutas portiones diſſectam cum ſociis partiatur, ne vel unus contubernalium ſuaviſſimo hoc, ut illi putant, gulæ irritamento careat. Vetus eſt medicorum querimonia, novis ciborum condimentis novo ex orbe allatis novos quoque morbos in Europam fuiſſe invectos, ut cocos plus obeſſe mortalium valetudini putent, quam pharmacopœi omnes prodeſſe unquam poſſint. Hæc in Abipones querela non cadit; Nam condimenta omnia neſciunt, dape ſimplici veſcuntur. Acetum, uti & ipſi Hiſpani Americani, peſſime averſantur. Salem, caprarum more, ſitientiſſime appetunt, ſed rariſſime adhibent, quia ſale, ſaliniſque carent ſuis in terris. Hanc ut ſupplerent penuriam, fruticem ab Hiſpanis Vidriera dictum cremare ſolent, ejusque cineres, ſalſuginis aliquid habentes ſalis loco carnibus, tabacæque foliis, quæ vetularum ſaliva prius ſubacta mandunt, aſpergere conſveverunt. Verum cum hoc frutice, cujus cineres ſalis dixi ſupplementum, multa Abiponum contubernia careant, inſulſis plerumque dapibus utuntur. Salis uſum moderatum humanis corporibus eſſe ſaluberrimum, nemo negaverit, quippe qui noxios depaſcitur humores, arcetque putredinem; Salis tamen abuſu crebriore oculornm obtundi aciem, ſuccos meliores exhauriri, ac mordaces tum ſanguini, tum cuti infeſtos progenerari, atque adeo urinarios meatus ſæpe offendi, affirmant medici. Experti ſumus in Paraquaria, equos, mulos, boves, ovesque in illis ſolum paſcuis pingueſcere, ubi nitri, vel ſalſuginis aliquid gramini admixtum; Hoc ſi abſit, ſtrigoſa

eva-

evadunt pecora, & breviſſime emaciantur. Sale conſperſæ carnes perdurant, ſed quo liberalius ſalitæ, eo citius putent, ac putreſcunt, humore ſcilicet, in quem ſal reſolvitur, calori conjuncto putredinem accelerante. Si carnes bubulæ ſolo aere, ſi piſces ſolo ad ignem remotum fumo durentur, nulla ſalis vel mica accedente, ad menſes plurimos citra noxam durabunt. Id meo mihi experimento certiſſimum, quin & barbaris omnibus. Dum e Paraquaria in Europam renavigavimus, commeatus noſter tum carne ſalita, tum ſolo aere ſiccata potiſſimum definiebatur. Hæc, quia ſalis expers poſt quadrimeſtrem navigationem ad portum Gaditanum uſque ſemper incolumis manſit, & boni ſaporis. Illa mox putrefacta, & vel a famelicis nautis in mare abjecta. Audi jam, quid ex his inferam. Abipones, licet ſale rarius, parciusque utantur, cum bene tamen valeant, vivantque perdiu prope omnes, quidni ſuſpicari liceat, ſalis abſtinentiam plus ad corporum robur conſervandum facere, quam illius, maxime ſi nimius ſit, uſum.

Diætam, cibi, potusque moderatricem tardæ ſenectutis, firmæ valetudinis, vitæque productioris fontem eſſe, pleno ore clamant medicorum, philoſophorumque principes. His concors poeta Brittannus: ſi quis tarde cupit eſſe ſenex, cibo, ut medicina, modico utatur, ait. Abipones validos, proceros, vegetos, diuque ſuperſtites dixi iterum, iterumque, diætæ ſtudioſos quis dicat? Bibunt, edunt, quando, quoties, quantum lubet. Haud definita illis prandii, Cœnæque tempora. Prandent, ſi cibus præſto ſit, dum evigilant. Horis omnibus ut eſuriunt, ita comedunt; Modo dapes non deſint, fames aderit ſemper. Quanto voraverint plus, tanto cele-



celerius esurire illos diceres. Idque certissimum apud illos valetudinis integerrimæ seu indicium, seu remedium vulgo putatur. Oblatum sibi cibum si quis respuat, vel quia dudum satur, vel quavis alia de causa, mox ægrotus a circumstantibus proclamatur. *La oachin, Chic rquenne.* Jam ægrotat, jam non comedit, cum gemitu ajunt omnes, eumque moribundum vix non declarant. Voraces sunt Abipones, & ut Americani cæteri Carnibus se farciunt egregie, sed nullo valetudinis detrimento. Illorum stomachus equidem ut multi cibi, sic longæ inediæ patientissimus nec comessatione liberaliori, nec diuturna esurie labefactatur. Plurium mensium itinera nullo instructi commeatu suscipiunt. Nulla sæpe per viam alimenti congrui copia vel, quia nulla venationis opportunitas, vel quia hostis per insidias opprimendi consilio diu, noctuque iter præcipitant, vel quia hostem terga prementem fugientes ad tutiora festinant loca. Vacuo etiam aliquamdiu ventre, latrante quamvis stomacho incolumes semper, hilaresque famem confabulatione tranquillant. Commoti animi indicium nullum, nullam seu querimoniam, seu corporis jejuni ægrimoniam in illis deprehendas. Sed mox inediam toleratam solita voracitate pensare nôrunt, viresque restaurare. Cibi; potusque temperantiam longævitatis matrem, helluationem morborum, mortisque præproperæ radicem esse, haud nego; Novi equidem Sanctos solitudinum cultores complures quotidiana inter jejunia vitam ultra seculi unius spatium produxisse, fors & ulterius victuros, si liberalius corpus aluissent suum. Hos Christi heroes tamen parco, inopique victu senectutem tantam consecutos vix miror, quod semper cælibes, eidem semper loco affixi, motus, defatigationisque durioris expertes plerum-

que

que conquieverint. Neque Abiponum tantam vivacitatem tanta cum voracitate conjunctam demiror. Hi equidem mariti omnes, curſu, venatu, natatu, equitatione, militari labore propemodum quotidiano laſſi ad vires recreandas obſonium amplius & poſcunt, & facillime digerunt. Deflueret enimvero illorum vigor, vaſta illorum corpora marceſcerent, ni cibo copioſo, ut flores affuſa frigida, identidem recrearentur. A' me impetrare nunquam ſane potui, ut credam, morbos plures intemperantia, quam inopia ciborum accerſiri. Ut lampadem oleo deficiente ſæpius, non ſuperfluente exſtingui videmus; Ita mihi perſuaſum, multo pauciores edacitate, quam inedia quotidie necari. Medici diætæ acerrimi defenſores mihi utique repugnabunt; Aſt veſpillones, Abiponesque ad unum omnes in meam ibunt ſententiam, ſcio. Quid, quod & Cornelius Bontekoe Batavus artis medicæ Francofurti ad Viadrum quondam magiſter ſuis in commentariis pertinaciſſime contendit: cibi parſimoniam magis, quam immoderationem humanis corporibus obeſſe, viamque certius ad tumulum ſternere. Ejusdem prorſus ſententiæ fuit Franciſcus Bacon de Verulamio, qui in hiſtoria vitæ & mortis folio 80. ait: *Longæviores reperti ſunt ſæpenumero Edaces, & Epulones, denique qui liberaliore menſa uſi ſunt.* Aqua non ſemper dulciſſima, nunquam fontana, ſemper fluviatilis, vel paluſtris, atque adeo plerumque tepida, vel calida, rariſſime frigida Abiponibus ſitis levandæ quotidianum eſt remedium, quidſi & valetudinis eximiæ inſtrumentum? fluviatilem, pluvialemque aquam enimvero medici fontanæ præferunt, quippe leviorem, & particulis noxiis minus prægnantem. Frigidam ſinenſes per omnem ætatem ne primoribus quidem labris delibant unquam. Nivem, gla-

cialemque aquam multarum ægritudinum fontem plerique putant. Sed hoc ad medicos. Nives, glaciem, fontes, e quibus aquæ ſcaturiant, cellas ſubterraneas pro refrigeranda potione nusquam deprehendas Abiponum in territorio. Vinum quoque ex uvis expreſſum, vel arte Chymica e fructibus crematum, dum vivunt, omnino ignorant. Sed quamvis promactanda ſiti præter aquam nil adhibent, pro celebrando tamen prolis nobilioris natali, cognatorum funere, conſilio bellico, vel victoria, temetum hauriunt uno in loco collecti, quod vel ex melle, vel e ſiliquis Græcis affuſa aqua paratum, ac coaceſcens ebrietatem adfert quidem, ſed moderate potum incredibiles corpori præſtat utilitates. Nam & ſiliquas Græcas, & mel Sylveſtre ad vitam prorogandam, roborandamque valetudinem plurimum valere, paſſim affirmant. Mel, quaſi mortales immortales redderet, nectar divinum appellatur a Plinio. Illius ſeu eſu, ſeu potu moderato ſummam ſenectutem aſſecuti ſcribuntur Pythagoras, Antiochus medicus, Democritus, Thelephus Grammaticus, Pollio Romanus: Hic ſeculum vivendo exceſſerat. Rogatus ab Auguſto Cæſare, quo demum ſubſidio ætatem tam provectam attigiſſet: *Melle intus, foris oleo*, reſpondit. Vindobonenſes ephemerides anno 1770. 14. Februarii nunciarunt: In Smoleniz Hungariæ loco Comitis Chriſtophori Erdôdi juribus obnoxio Franciſcum Waſcho quatuor, ſupra centum annos natum obiiſſe. Ad extremum uſque diem & memoria, & tantis viribus pollebat, ut ſolus rhedam lignis onuſtam traxerit Vegetam, illius Senectutem crebro mellis uſui cumprimis tribuerunt, quem in finem ſemper apes dicitur aluiſſe. Abipones mel, quo ſylvæ omnes abundant, jam bibere ſolent perfrequenter, quid ſi inde tantus illorum

rum

rum vigor, ætas tanta? Sed utrumque etiam ſiliquarum Græcarum uſui ex parte debent, quas tum ſiccas mandere, tum ex aquæ permixtione nativi caloris fermento vineſcentes liberaliter potare conſueverunt. Utrolibet modo dulcedinis ſunt eximiæ, & luculentæ virtutis; Proſtratas enim vires reſtaurant, corpus inſigniter ſaginant, purgant pectus, recreantque, vi diuretica, qua pollent, veſicam celerrime, ac copioſe exonerant, plures ægritudinum radices evellunt, calculo validiſſime obſtant, doloresque nephriticos Europæorum mirifice leniunt. Illud experti de hac virtute me fecêre certiorem. Equos robuſtiores, ſanioresque haud habet ampla Paraquaria, quam qui in Sancti Jacobi de ſtorea territorio naſcuntur, ubi ſiliquis Græcis, quæ iſtic copioſiſſimæ, per ſylvas ſparſi paſcuntur potiſſimum, ſolideque pingueſcunt. Verum noveris, ſiliquas Græcas, quæ in Paraquaria naſcuntur, mole, & virtute plurimum differre ab illis, quæ ſeu ex Africa, ſeu ex Hiſpania afferuntur, & in Germania paſſim venales proſtant, quamvis & iſtæ magnum in re medica locum habeant ſæpe.

His adde: Abipones ſingulis prope diebus, nî rigidiore aura abſterreantur, in obvio lacu, vel flumine lavari. Balneum certe apud antiquos maximi fuit uſus, & eximiæ ſemper utilitatis. Dum enim undâ ſordes abſterguntur, cutis meatus pateſiunt, & pronior, commodiorque redditur expiratio corporis, non mediocri valetudinis levamento. Equi, mulique Paraquarienſes, uberrimo licet pabulo fruantur, macie, ſcabieque tabeſcunt, niſi flumen, locumve, ubi abluendi ſe opportunitas adſit, propinquum habeant. Pulveres enim cuti inſidentes pinguedinem impediunt; Hinc ad illos excutiendos equi

 Euro-



Europæi ſtrigili perfricantur diligenter. Sunt, qui venæ ſectioni balneum frigidum præferant; Nam per hoc ſanguis refrigeratur duntaxat, per illam exhauritur. Magna igitur ex parte balneorum quotidiano uſui debere Abipones, dixerim, quod fere ſoſpites, diutiſſime ſuperſtites ſe ſe videant ad invidiam plurimorum. Hanc opinionem firmat Hiſtoria vitæ, & mortis authore Franciſco Bacone de Verulamio, qui aſſerit: *Lavatio corporis in frigida bona ad longitudinem vitæ; Uſus balneorum tepidorum malus.* Folio mihi 131. Ejusdem ex ſententia: *Vivaciores fere ſunt, qui ſub dio vivunt, quam qui ſub tecto.* Abipones maximam ætatis partem in campo exigunt, atque adeo purum, ſincerumque cœli patentis aerem, corporibus ſaluberrimum haurire ſolent. Etſi aliquando ſub ſtoreis, tentorii in morem expanſis, vel in fixis tuguriis habitent, nunquam ita ſe claudi patiuntur, ut non aliqua ex parte aeri aditus pateat. Nec vivere ſolum ſub dio, ſed & ſepeliri cupiunt. Incredibile, quantum a ſepulchris, quæ in templo fiunt, abhorreant.

Medicorum ſane, ac pharmacopœorum eſt ea ſuggerere, quæ ad vitam tuendam, ad retardandam mortem, ad morbos, doloresque profligandos facere videntur. Cum Abipones artem medicam doctis, pharmacopolisque omnino deſtitutos vivere perdiu, belliſſimeque valere videamus, parum abeſt, quin medicorum, pharmacopolarumque abſentiam inter cauſas connumerem, cur iſti barbari vitæ diuturnitate, corporum firmitate pleroſque Europæos ſuperent, apud quos ut multi medici, multus pharmacorum uſus, ſic multi ægroti, pauci capulares ſenes. Laertio teſte L. 4. cap. 6. Arceſilaus id dudum dictitabat: Quemadmodum ubi multæ leges, ibi plurimum vi-

tio-

tiorum: Ita quoque, ubi multi ſunt medici, ibi etiam ſunt multi morbi. Abiponum medici, de quibus plurima dicam alias, veteratores ſunt, & jumentis rudiores, neque unquam medicorum ſplendido nomine dignandi, quippe non ad ægros curandos, ſed præſtigiis, fraudibusque circumveniendos nati. Miſſionarii noſtri, qui chiquitorum in coloniis verſabantur, cæteros omnes Paraquariæ ſocios vivendo ſuperarunt, extremam plerique ſenectutem aſſecuti, quamvis ad multa terrarum ſpatia nulla iſtic vel umbra medici ſuppeteret, ac ipſa regio annuis alluvionibus obnoxia à cœli, aerisque ſalubritate commendari minime poſſet. Provincialis tamen ſuorum incolumitati conſulturus de mittendo ad illas chiquitorum colonias fratre laico chyrurgo cogitaverat, qui Patribus, ſi qui forte in morbum inciderent, opem medendo ferret. Verum miſſionarii benevolum hoc Provincialis propoſitum una omnes voce ſibi periculoſum affirmabant veriti ſcilicet, ne cum medico morbi quoque ſuas irreperent in terras, & florentiſſimæ adhuc valetudinis jacturam artificioſi medicaminis uſu ipſi facerent ſubinde. Hinc ſibi, naturæque relicti ætatem quam longiſſime extenderunt ſuam, Abiponum more & vegeti, & medicorum expertes. Verum quæ hactenus memoravi, externa ſunt vigoris, vivacitatisque fomenta.

Ex animi tranquillitate incolumitatem corporis plurimum pendere, extra controverſiam eſt. Hinc Salernitani medici, dum Roberto Normanniæ Duci, ſceptrique Britannici hæredi ſanitatis remedia ſuggerunt: *Curas tolle graveis* primo mox loco ajunt. Turbabuntur enimvero cerebri functiones, ſtomachus elanqueſcet, cibo deficiente deficient magis, magisque vires, ſucci meliores evertentur, ſi mens turbu-

lentis affectionibus, solicitudine, amore, timore, ira, mœstitia opprimatur. Sanum erit corpus, si ab animo sano habitetur. Jam nemo Abipones longioris ævi, vigoris optimi esse, mirabitur. Pacato fere sunt animo. Vivunt præteritorum immemores, præsentium parum curiosi, de futuris rarissime anxii. Timent periculum, sed, quia ejus gravitatem haud assequuntur, plerumque spernunt, cum illi vel superando, vel evadendo se pares existiment semper. Numerosus hostis propediem adfuturus dum nunciatur, interdum fuga sibi consulunt tempestive, alias expectato assultu mulsum, illud suum strenuitatis remedium, timorisque sepulchrum hilares inter cantus hauriunt certatim. Mordaces curæ de augenda re domestica, de indumento, vel alimento apud illos vix locum habent. Neminem mortalium tanti faciunt, ut illum amore, vel desiderio depereant, &, quod Europæis toties evenit, prope ad insaniam redigantur. Affectionibus quibuscunque nec diu, neque vehementer inhærent. Hac animi tranquillitate corpus demulcent suum, vitamque ad ultimam usque senectutem producunt. Non nego, ipsum etiam, sub quo degunt, cœlum neque frigoribns rigidum, neque solis ardore nimio exæstuans Valetudinis firmamentum esse, sed non unicum; Nam & Hispani, & Indi alii, eadem aeris temperie fruantur licet, non perinde ut Abipones vigent, durantque. Europæi si hanc Abiponibus invident vitæ diuturnitatem, illorum vitæ rationes, quà licet, imitentur. Affectionum vehementium rejectione tranquillent animum. Commotiunculas corporis otio, ac sessitationi, aquam vino, laboribus quietem interponant. Ciborum, vestiumque luxum moderentur. Dapibus obviis non per artem corruptis ad tollendam, non ad irritandam famem medice, medicis vero medicinisque modice

utan-

utantur. Et, in quo plurimum eſt ad ſervandum vigorem momenti, voluptates, certiſſimam corporum peſtem, tantum horreant, quantum viridem ſibi ſenectutem peroptant. Quod cum multis parum cordi ſit, tot adoleſcentes, pomorum inſtar, putridos jam videmus, antequam maturos, quia: Venena dulci ſub melle latere, immemores.

CAPUT VIII.

De Abiponum religione.

N*ulla gens eſt neque tam immanſveta, neque tam fera, quæ non, etiamſi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat* ait Cicero L. 1. de legibus. *Omnibus innatum eſt, & in animo quaſi inſculptum, eſſe Deos.* Idem 2. de natura Deorum affirmat. Eandem ſententiam aliis, aliisque verbis 1. Tuſculan. Quæſt. & 1. de reſponſis aruſpicum repetit. *Hæc eſt ſumma delicti, nolle recognoſcere* (Deum) *quem ignorare non poſſit.* Tertullianus in apologetico contra gentes ſcripſit. Deum per longius tempus citra culpam ignorari poſſe ab homine rationis compote, uno ore negant Theologi. Hanc ſententiam ego acerrime tuebar, dum Theologicum quadriennium, quod Græcii Styrorum cæpi, in Cordubenſi Tucumanorum univerſitate abſolvi. Sed enim quantum obſtupui, dum inde ad Abiponum coloniam translatus in omni iſtorum barbarorum linqua, cæterum minime ſterili,

vocem penitus desiderari intellexeram, qua Deus, vel Divinitas quoquo demum modo significaretur. Ad illos religione imbuendos, ex Hispanico mutuari oportebat Dei nomen. Hinc Catechismo inserere nobis visum: *Dios, ecnam caogaric* Deus, rerum effector; Etymon enim *ncàoé* facere significat.

Peñafiel noster Theologus Indos non paucos exstitisse testatur, qui, num per omnem vitam de Deo cogitaverint aliquando rogati: *Nunquam omnino*, respondere. Lusitani, Hispanique ad Americæ litora primum appulsi vix aliquod Divinæ cognitionis vestigium apud Brasilos, aliosque barbaros se detexisse, affirmarunt. Idem de Groenlandis antiquioribus scribitur. Ut adeo non temere arbitratus sit ille apud Ciceronem I. de natura Deorum: *Dari gentes sic immanitate efferatas, apud quas nulla sit Deorum suspicio.* Quid quod & Paulus ipse I. ad Thessalonicenses 4. c. scribit: *Sicut & gentes, quæ ignorant Deum.* Quamvis idem Apostolus ad Romanos cap. I. asserat, hanc Dei ignorationem neutiquam culpa vacare, neqne excusari posse: *Ita ut sint inexcusabiles*, quippe qui ex rerum creatarum aspectu in Dei creatoris cognitionem possint venire. Quod si quis tamen excusationi locus esse videretur cuipiam, diceret forsitan, Americanos barbaros ad omnia, quæ non videntur, tardos, hebetes, ac obtusi esse ingenii. Ratiocinatio molesta illis, & fere peregrina. Nil mirum adeo, illos ex rerum terrestrium, cœlestiumque contemplatione neque earum architectum Deum, neque cœleste quidpiam suspicari. Argumento sit, quod referam. Iter faciens cum quatuordecim Abiponibus in fluminis argentei alto litore sub dio, ut istic moris, ad focum considebam noctu. Cœlum undique sudum astris scintillantibus oculos pascebat nostros.

Ca-

Caziquium Ychoálay Abiponum, quos quidem novi, omnium ſagaciſſimum, belloque clariſſimum, alloqui placuit. Viden' hanc Cœli majeſtatem, ajebam, magnificam hanc Stellarum ſeriem, ordinemque? Fortuitum quid, quis, quæſo, iſtud exiſtimet? Plauſtrum, ut tute noſti, niſi boves regantur a quopiam, evertitur. Cymba, ni gubernetur, vel a via aberrat, vel fatiſcit. Ecquis adeo delirus, tantas cœli pulchritudines caſu exſtitiſſe, hos orbium cœleſtium curſus, ac viciſſitudines ſine mentis ſapientiſſimæ conſilio gubernari ut credat? Quis iſtorum author, moderatorque tibi videtur? Quid, amabo, de his opinati ſunt majores veſtri? Pater mi, prompte, ingenueque reſpondit Ychoalay, avi, atavique noſtri terram duntaxat circum ſpectare ſolebant, num gramen, num aquam pro equis campus offerat, ſoliciti. Quid in cœlo agatur, quis ſyderum architectus, rectorque ſit, de hoc nil omnino angebantur. Hæc ille. Et vero rem ita eſſe, vix dubito. Obſervavi identidem, Abipones, dum rem objectam oculis primo aſpectu non capiunt, ſcrutandi moleſtiam pertæſos mox dicere: *orqueenàm?* Quid tandem erit hoc? Familiare illud Quaraniis: *Mbaenipo?* idem ſignificat. Interdum caperata fronte, dum res captum videtur tranſcendere, iidem ſubjungunt. *Tupâ oiquaà. Deus novit, quid ſit.* Cum Indorum in cerebro tam curta rationis ſupellex, tantaque in ratiocinando deſidia, quid mirum, illos rem aliam ex alia inferre jam neſcire, jam nolle. Ne quis ſupremi Numinis ignorationem Barbaris quibusdam Americanis perperam affingi exiſtimet, Apoſtolicam Bullam hoc loco recitare juvat, quam Pius V. e divi Dominici cœtu & ſcientia, & ſanctitate Clariſſimus Pontifex anno 1568. die 29. Aprilis edidit. Illius verba accipe: *Innumerabiles fructus, quos benedicente Domino Chriſtiano orbi ſocietas Je-*

 ſu,

ſu, viros literarum, præcipue ſacrarum ſcientia, religione, vita exemplari, morumque ſanctimonia conſpicuos, multorumque religioſiſſimos Præceptores, ac verbi Divini, etiam apud longinquas, & Barbaras illas nationes, quæ (Nota bene) *Deum penitus non noverant, optimos Prædicatores, & interpretes producendo, feliciſſime hactenus attulit, & adhuc ſolicitis ſtudiis afferre non deſiſtit, animo ſæpius revolventes noſtro — Societatem præfatam Nobis, & Apoſtolicæ Sedi apprime charam ſingulari, Paternoque amore proſequimur &c.*

Fidem ſuperat, quam atris coloribus pinxerint Americanorum ſtupiditatem Europæi, qui illorum provincias primi attigerunt. Eos vix hominibus adnumerandos, belluarum inſtar habendos putaverunt. Ut teſte Cyriaco Morelli in faſtis novi orbis Gomara in hiſtoria Indiarum capite 217. refert. Frater Thomas Ortiz, ſubinde Epiſcopus ſanctæ Marthæ, literis ad aulam Matritenſem datis ait: Americanos eſſe jumentorum inſtar ſtolidos, hebetes, fatuos, dementes, ad perdiſcenda religionis capita prorſus inhabiles, humani ingenii, judiciique expertes. Pudet infanda ſcelerum genera, quorum eos accuſat, hoc loco commemorare. Suis porro literis ut fidem conciliaret, eas his claudit verbis: Quotquot cum Americanis egimus, tales eos eſſe ſumus experti. Hiſpanorum alii nonnulli Americanos tam ſtupidos affirmarunt, ut eos, adultos licet, ceu infantes rationis nondum compotes ſacro baptiſmi fonte expiandos: Confeſſionis ſacramentalis onere eximendos: A ſacramentorum reliquorum uſu arcendos voluerint. Pauli tertii ſummi Pontificis oraculo opus fuit, quo Americani *veri homines, fidei catholicæ, & ſacramentorum capaces* anno 1537. ſecunda Junii palam declarabantur, Bartholomæo caſaus, ſeu de las caſas, chia-

penſi

pensi post episcopo Indorum causam agente, qui quidem, quod Europæorum in Indos crudelitates nimium exaggerasse vidatur nonnullis, male audit apud Hispanos. Idem Pontifex Paulus tertius decrevit, ne Indis negaretur Eucharistia. Ita Torquemada L. 16. Monarchiæ Indicæ c. 20. Decretum Pontificium incipit: *Veritas ipsa*, extatque apud Haroldum. Hoc nil obstante *in Peruvio Indi adulti, jam baptizati, iidemque peccata legitime confessi neque semel singulis annis, neque vero mortis urgente discrimine communicantur.* Ut Acosta libro 6. de procuranda Indorum salute c. 8. & sequentibus loquitur. Neque, ut Eucharistia Indis impertiretur, per trium conciliorum Limæ celebratorum adhortationes, comminationesque impetratum est. Id quod patet ex querimoniis, decretisque synodorum Limanæ, Platensis, Arequipensis, Pazensis, & Paraquariensis, quæ seculo sequente habitæ fuerunt. Semper enim Parochi, qni Eucharistiam negabant, Indorum stupiditatem, ignorantiam, inveterata flagitia causabantur. Verum synodus Pazensis anno 1638. habita hanc Indorum ignorantiam Pastorum socordiæ tribuendam putavit, quorum sedula institutione e nativis ingenii tenebris, flagitiorumque cœno miseri utique emersuri credebantur.

Annorum duodeviginti, quos tum Quaraniis, tum Abiponibus impendi, experimento doctus idem prorsus sentio. Nam ipse novi barbaros barbarissimos, in sylvis natos, ab ineunte ætate superstitionibus, rapinis, cædibus assvefactos, brutorum instar bardos, hebetesque, qui tamen ad nostras colonias traducti quotidiana institutione, veteranorumque exemplo legis divinæ & scientissimi, & tenacissimi evaserunt denique. Neque miror. Elephanti, canes, equi, feræ aliæ cicurantur equidem, & si magi-

 stros

ſtros idoneos nanciſcantur, quas non artes condiſcunt? Adamantes nonniſi artificis impigra manu politi ſplendeſcunt. Truncus in Mercurium Praxitelis opera transformatur. Tardo ſint, ac hebetiore ingenio Americani, ſolertia magiſtrorum imbecillitatem diſcipulorum ſupplente ad omnem humanitatem, pietatemque, quin ad omne artium genus feliciſſime formantur. Quantum diſciplina acuat ingenium Indorum, ad quanta illorum ſe extendat captus, oculis videre tuis ſi cupias, Quaraniorum tibi adeunda ſunt oppida. In horum ſingulis deprehendes indos in muſicorum inſtrumentorum & fabricatione, & tractatione dexterrimos, pictores, ſculptores, arcularios, cujuscunque metalli fabros, textores, architectos, ſcribas eximios, alios, qui horologia, campanas, fimbrias aureas, & quid non? ad omnem artis regulam norunt conſtruere. Quin fuere non pauci, qui libros, majoris etiam molis, non patria ſolum, ſed & latina lingua typis excuderunt, quos, characterum ſcilicet notas, ipſi quoque ex ære fuderant. Norunt & calamo libros tanta arte deſcribere, ut typographi opera eſſe jurent vel oculatiſſimi Europæi. Indorum artificia, quæ Quaraniorum in oppidis ſeu videre, ſeu audiere, obſtupuerunt Epiſcopi, Gubernatores, cæteri quicunque hoſpites. Si hæ artes in aliis paſſim oppidis, ac Americæ provinciis ignorantur, id non Indorum ſtupiditati, ſed magiſtrorum, a quibus erudirentur, penuriæ tribuendum. Quaraniis miſſionarii noſtri Itali, Belgæ, Germani jam muſices, jam cæterarum artium magiſtri obtigerunt, Indos ſupra expectationem dociliores non experti modo, ſed & incredibiter ſæpe admirati. Illud tamen nobis exploratum: facilius, citiusque comprehendi ab Indis ea, quæ vident, quam quæ audiunt,

uti

uti & reliqui mortalium per oculos promptius, quam per aures erudiuntur. Si quid ſeu pingendum, ſeu ſculpendum imperas quaranio, exemplar, ſive typum rei faciendæ illius propone oculis, hunc inſigniter exprimet imitando, rem affabre, eleganterque factam obtinebis. Deſit exemplar, ſibi relinquatur Indus, nil niſi ineptias, artisque abortum ab illo expecta, quamvis omni verborum contentione tuam illi mentem copioſiſſime expoſueris. Neque memoriæ fidelitatem in Americanis deſiderari putes, velim. Conſvetudo vetus Quaranicis in oppidis obtinuit, ut ſermonem ſacrum a ſacerdote e pulpito dictum jam oppidi prætor Indus, jam alius e primoribus magiſtratus coram populo in foro, vel domus noſtræ area repetat. Id plerique omnes, nulla prope ſententia omiſſa, fideliſſime præſtant. Symphoniam, quam defixis in characteres muſicos oculis bis, terve ſeu voce, ſeu fidibus, ſeu organo expreſſerunt, mox memoriæ impreſſam habent adeo, ut illo muſico folio, ſi a vento raperetur, porro non indigeant. E quibus memoriæ fidelitas, tenacitasque jure arguitur. Hæc viſum eſt memorare, ut videas Americanis haud tantas eſſe ingenii anguſtias, quantas ſcriptores plurimi illis perperam affinxerunt. Non tamen diffiteor, alias aliis nationibus eſſe ſagaciores, idque in Paraquaria a me obſervatum, nationes Indorum equeſtres pedeſtribus ut corporis, ſic mentis vigore antecellere. Perſpicacitatis ſane documenta dederunt Abipones, dum bello multis abhinc annis continuato militari toties aſtu Hiſpanos, quantumvis ſagaces, jam eluſerunt, jam per inſidias non ſine multa ſtrage oppreſſerunt. De quo alius erit dicendi locus. Verum quo luculentius produnt ingenio ſe valere ad expeditiones militares tutò, proſpereque ſuſcipiendas, eo minus illis ignoſcenda videtur tanta Dei ignoratio,

ratio, ut ne nomen quidem illius noverint, cum ad pleraque alia ſignificanda vocabulis abundent. Ex his inferet Theologus, Abiponum cogitandi facultatem non tam arctis circumſcribi limitibus, ut ex conditis, quæ ſub aſpectum cadunt, rebus univerſorum conditorem, Rectoremque Deum cognoſcere, certe ſuſpicari non poſſint. *Quis eſt tam vecors*, ait Cicero in Aruſpicum reſponſis, *qui aut quum ſuſpexit in Cælum, Deos eſſe non ſentiat?* Quaraniorum, ut ut ferociſſima olim, natio Numen ſupremum novit, ac nativa lingua *Tupâ* appellat. Hoc vocabulum e duabus particulis componitur: *Tû* enim admirantis, *Pà* interrogantis vox eſt. Cœlo tonante metu perculſi: *Tupâ* exclamare ſolebant. Ut adeo ex tonitru fragore, fulminisque miris virtutibus Numinis potentiam ſummam, Majeſtatemque revereri cæperint, videanturque Papinii non probandam ſententiam aliquomodo confirmaſſe: *Primus in orbe Deos fecit timor.* Ipſi quoque Romani Jovem ſuum optimum, maximum Tonantem dixere.

Ab ingenio mentisque vigore commendandos videri dixeram Abipones. Verum laudationis me pudet præproperæ. Palinodiam cano. Mentis impotes, deliros, inſanientes illos pronuncio. En amentiæ argumentum! Deum neſciunt, Deique nomen. Malum dæmonem, quem Aharaigichi, vel Queevèt dicunt, avum ſuum, Groaperikie, ſvaviſſime appellant. Hunc & ſuum, & Hiſpanorum avum profitentur, hoc tamen diſcrimine, quod iſtis veſtes ſplendidas, aurum, argentumque, ſibi vero magnanimitatem hæreditatis nomine conceſſerit; Se ſe enim præ quovis Hiſpano intrepidos magis, magisque ſtrenuos arbitrantur. Sciſcitari ex illis tibi ſi lubeat: Quidnam ille avus olim fuerit, cujus conditionis?

Id

Id ſe neſcire planiſſime fatebuntur. Si interrogationibus porro inſtes, avum hunc ſuum Indum ſui ſimilem quondam extitiſſe, ajunt. Adeo ſicca, abſurdaque eſt illorum theologia. Colunt, quem ignorant, Athenienſibus forte ſimiles, qui Ignoto Deo aram poſuere. Ut Abipones ſe ſe dæmonis nepotes, ſic priſci Galli ſe ſe dæmonis filios jactarunt Audi Julium Cæſarem de bello Gallico Libro 6. id affirmantem: *Galli ſe omnes ab Dite patre prognatos prædicant: Idque a Druidibus proditum dicunt.* Latini Ditem Plutonem inferorum Deum appellarunt. Plejades, ſeptem e ſtellis compoſitas, avi ſui imaginem Abipones putant. Hæ dum Americæ meridionalis in Cœlo aliquot per menſes ſpectabiles non ſunt, avum ſuum ægrotare credunt, & moriturum quot annis peſſime timent. Aſt quam primum dictæ Stellæ Majo menſe rurſus ſpectandas ſe præbuerint, avum ſuum reducem, ac e morbo, ut putant, recreatum feſtivis clamoribus, læto tibiarum cornuumque militarium clangore conſalutant, valetudinem recuperatam illi gratulantur. *Quemen naachic latenc! layàm nauichi enà? Ta Yegàm! Layámini* Quantas tibi gratias debemus! Tandem huc rediiſti? Hem feliciter convaluiſti! Ejusmodi, quibus lætitiam produnt, ſtultitiamque ſuam, vocibus aerem implent. Poſtridie ad mel conquirendum excurrunt omnes, è quo potio paretur. Hæc in promtu ut fuerit, in publicam hilaritatis conteſtationem magni fiunt undique concurſus, ſole occumbente. Abipones conjugati tigridum in pellibus humi conſidentes potando, circumſtantes fœminæ ululanti voce cantando, reliqua cælibum turma cachinnando, plaudendoque noctem tranſigunt, tædis hinc atque illinc per forum collucentibus. Præſtigiatrix aliqua, cerimoniarum feſti moderatrix, per intervalla choreas agit; Cucurbitam, quæ crepitaculi

lo-

loco, ſeminibus frugum duriusculis fœtam ad numeros muſicos manu circumagit ſimul, ſimul eidem terræ puncto inſiſtens dextrorſum pede altero, altero ſiniſtrorſum ſubſilit, ſine ulla motuum variatione. Abſurdiſſimum hoc lymphaticæ mulieris tripudium horrificus lituorum, buccinarumque militarium ſtridor identidem excipit, cui circumfuſi ſpectatores, admota labiis manu vociferantes, applaudunt. Nihil tamen hæc inter, quod laſciviam, petulantiamve oleat, usquam obſervaveris. Viri a fœminis, a pueris puellæ decenter ſejunguntur. Has geſtientis populi ineptias functionem avo ſuo convaleſcenti ſacram putant. Superſtitioſa hæc ſoteria non niſi multo cum labore, apud Abipones Nakaigetergehes maxime, a nobis exterminata fuere. Saltatrix illa, feſti ridiculi antiſtita, ad benevolentiæ ſingularis teſtificationem virorum aliquot ſuras cucurbita ſua perfricat, illisque velocitatem in hoſtibus, ferisque curſu aſſequendis avi ſui nomine pollicetur. Sub idem tempus ab eadem non ſine multis ritibus novi præſtigiatores, præſtigiatricesque, quotquot huic officio pares judicaverit, inaugurantur. De peſtilentiſſimo hoc hominum genere jam uberius agendum.



CA-

CAPUT IX.

De Abiponum Magis, re tamen ipſa præſtigatoribus, Veteratoribusque.

Ridicula præſtigiatorum fæx, etſi tota è fraudibus, fallaciisque conſuta, ac compacta ſit, tantundem authoritatis, venerationisque apud Abipones obtinet, quantum apud Perſas Magi, apud Aſſyrios Chaldæi, apud Græcos Philoſophi, apud Hebræos Prophetæ, apud Indos, qui ad Orientem degunt, Brachmanes, apud Italos Hetruſci Aruſpices, apud Gallos veteres Druydes habuiſſe olim leguntur. Nulla, ſi rite memini, per Paraquariam natio detecta eſt, quæ Præſtigiatoribus careat ſuis, quos latini magos, vel maleficos, Hiſpani Hechizeros, germani *Zauberer*, vel *Hexenmeiſter*, Quaranii Indi aba payè, Payaquæ Pay', Abipones vero eodem prorſus, quo diabolum, nomine Keebèt, ſeu artifices diabolicos appellant, quippe quos mira & humanis viribus majora patrandi virtutem ab avo ſuo, malo dæmone accepiſſe, opinantur. Hi verſipelles, cujus demum cunque ſexus ſint, artibus ſuis ſe & ſcire omnia, & facere poſſe, affirmant. Barbarorum nemo eſt, qui non credat, in præſtigiatorum ſuorum arbitrio eſſe: Morbum, mortemque aliis inferre: Ægritudinibus quibuscunque mederi: futura, remotaque præſagire: Nimbos, grandinem, tempeſtatesque accer-

ſere

ſere: Vita functorum umbras evocare, ac de occultis conſulere: Tigridum formam induere: omne ſerpentum genus impune manibus verſare &c. Quas quidem habilitates non arte comparatas, ſed a dæmone, avo illo ſuo, quibusdam duntaxat ultro conceſſas, ſomniant. Qui tamen ad hoc præſtigiatorum munus aſpirant, dicuntur annoſæ ſalici in Lacum quendam propendenti inſidere, continuata per dies aliquot cibi omnis abſtinentia, dum denique res futuras animo prævidere incipiant. Ab idoneis id quidem authoribus accepi; ſed mihi ſemper veriſimillimum eſt viſum, hos nebulones ex diuturna inedia cerebri imbecillitatem, vertiginem, ac deliramenti genus quoddam contrahere, ut adeo ſupra reliquum vulgus ſapere ſibi videantur, ſeque pro magis vendant. Sibi primum, mox aliis imponunt. Re enim nulla à cæteris differunt, niſi quod ad fallendos quoscunque concinnandis fraudibus excellant. Et vero laborioſum neutiquam eſt, rudibus, credulisque barbaris fucum facere, qui, quidquid novum, quidquid ſibi antea nusquam viſum, inter prodigia numerant, magicisque artibus tribuunt confeſtim. Forte roſas rubra e carbaſo ad ornandum templum concinnaveram. Laborantem me avide ſpectabant Indi, & naturæ imitationem admirati: Vel Pater hic magus eſt, vel e matre ſaga natus, exclamabant. Laicus noſter Europæus Indis ſtupentibus, neſcio, quid ſcitiſſime, celerrimeque tornavit è ligno, mox magorum primipilus omnium ore celebrabatur, cum in illum diem nec torni machinam, nec toreuma aliquod viderint unquam. Si pyrotechnica artificia, ſi optica, ſi anthleæ pneumaticæ experimenta, ſi alia, quæ apud Europæos obvia, quotidianaque, cernerent, rei novitate attoniti hæc quidni artis magicæ abſolutiſſima documenta, iurarent. Ad hoc confirmandum

va-

valet, a Brasilis magos suos *Payè*, virtutem miracula patrandi *Caraybà* vocari, quod subinde nomen Europæis advenis indiderunt, quod ab illis arte facta viderent, quæ sibi prius ignota naturæ vires superasse videbantur. Hinc & Quaranii, quorum linqua Brasilæ admodum affinis, Hispanos, & Europæos quosvis Caray etiamnum appellant.

Hac rudis plebeculæ simplicitate in rem suam abuti egregie norunt versipelles, qui dæmonis, avi sui, vicarios, ac interpretes, futuri præscios, mystagogos, morborum jam architectos, jam, ut lubuerit, domitores, necromanticos, elementorum omnium dominatores palam se jactant, ac, quidquid in mentem venerit, male credulis nullo negotio persuadent. Mille illis decipiendi artes in promptu sunt. Ex advena barbaro clam forte intellexerant, hostes ad contubernium suum invadendum propinguare: Hanc notitiam, velut ab avo suo sibi patefactam venditant contubernalibus, & jam magnus Apollo audiunt. Sic quæ vel conjectura, vel clandestino aliorum monitu, vel propria indagatione explorata habuerint, futura cum fastu prædicunt, & ceu spiritu magico afflati arrectis passim auribus percipiuntur. Si facta vaticinio non responderint, excusationes, quibus authoritatem suam sartam, tectamque porro habeant, nunquam desunt. Concubia interdum nocte sibilo, vel fistula, hostem imminere, repente nunciant. Expergefacti omnes, de præstigiatoris fide, ac præsagitione nil ancipites viri ad arma convolant. In loca tutiora cum prolibus se se recipiunt fœminæ; Horas, quin noctes sæpe integras dum hæ timendo mortem, illi mortes aggressoribus minitando trepide absumunt, hostium nemo, ne musca quidem, usquam comparet. Sed ne vaticiniorum fides, ne vatum authoritas detrimen-

tum dein' patiatur, dæmonis, avi sui, ope hostilem assultum fuisse impeditum, subridentes affirmant. sæpe alias hostium phalanx inopinato irruit, quin tamen tot præstigiatorum vel unicus aggressionis periculum aut præsensisset, aut præsagiisset. Opportune mihi in mentem venit eventus ridiculi: Nocte appetente ad me accurrit Abipon adolescentulus, frenum ferreum, securim, & nescio, quas prætei rea reculas, domus scilicet suæ thesauros, adfert, meis in ædibus custodiendas; causam rogatus: Hostes noctu adfuturos, respondet, asseritque, matrem suam, præstigiatricem nempe in paucis eximiam, id præscire, quæ, quoties hostis propinquus est, brachium sibi sinistrum pungi identidem, & vellicari quodamodo, affirmat. Ohe, reposui, pulicum id morsibus tribuas, velim, puer optime. Nam & mea id novi experientia. Diu, noctuque & brachium dextrum mihi, & sinistrum, & quæ non alia, a pulicibus insolenter pungi sentio, compungique; Id si hostium foret indicium, nulla nobis dies, nox nulla sine velitationibus abiret. Sed frustra hæc. Nam percrebrescens de vetulæ præsagio rumor oppidum omne turbavit, noctem omnem. Nullum tamen, ut sæpissime alias, hostium seu vestigium, seu indicium.

Abipones jam prædarum, jam gloriæ desiderio ut in alios identidem bellum machinantur, sic aliorum adversus se machinationes nunquam non suspicantur. Quo ardentius securitati consultum suæ volunt, eo facilius, futili plerumque ex causa, sibi pericula alia ex aliis somniare consveverunt. Levis rumusculus, visi eminus fumi, ignota per vias vestigia, intempestivus canum latratus de instante cervicibus suis hoste suspiciones ingerit maxime, dum

edita

edita exteros inter ſtrage vindictam metuunt. Ad tranquillandos, inſtruendosque animos negotium datur præſtigiatricibus, ut, ecquid timendum ſibi jam, ecquid porro agendum ſit, avum dæmonem de more conſulant. Sub noctis primordium ampliori in tentorio congregatur vetularum chorus. Hujus moderatrix & rugis & canis ſpectabilior tympana duo ingentia, quatuor ſonorum intervallo, quod διατέσσαρον vocant, a ſe diſcrepantia pulſat identidem, dumque mugitum hæc edunt auditu terribilem, illa rauco gutture lamentantis ritu, neſcio, quæ carmina deblaterat. Circumſtantes fœminæ ſparſis per humeros capillis, nudato veſtibus pectore, cucurbitas, illa ſua crepitacula, manibus exagitant, & ululanti voce ſibi notas decantant nænias, quas pedum ſubſilientium motus continuus, & brachiorum jactatio comitatur ſemper. Sed infernalem hanc muſicam auribus intolerabiliorem reddunt aliæ tympaniſtriæ, quæ ollas, damularum, ſeu dorcadum pelliculis obductas, acutiſſimeque ſonantes bacillo pertinaciſſime quatiunt. Incondita hæc, ac tumultuoſa vociferatio ad terrendum potius, fugandumque, quam ad accerſendum, conſulendumque dæmonem aptior videri poſſet. Hæc inter nox abit. Albeſcente Cœlo ad hoc vetularum tentorium, ceu ad oraculum Delphicum concurritur undique. Munuſcula a ſingulis ſingulis dantur cantatricibus. Quæ ſint avi ſui effata, avidiſſime interrogant univerſi. Vetularum reſponſa fere ambigua ſunt, ſenſuſque adeo ancipitis, ut, quidquid demum evenerit, verum prædixiſſe videantur. Interdum eadem nocte per diverſas fœminas diverſis in tentoriis conſulitur dæmon. Diluculo his pertinaciter, hoſtem adfuturum, aſſeverantibus, illis idem mordicus negantibus, opinionum pugna has inter mulierculas, oraculorum inter-

pretes, in rixam fere cruentam desinit: A' verbis ad verbera transitur: Pugnis, dentibus, unguibus non raro controversia finitur. Interdum dum acrior est futura præsciendi lubido, vel major illos urgeat periculi impendentis evidentia, præstigiatorum quispiam jubetur, mortui umbram ad vitam revocare, e qua, sibi quæ fata instent, rescifcere liceat confestim. Ad necromantæ tentorium confluit promiscua omnis ætatis, sexusque multitudo. Præstigiator bubula sub pelle, quæ siparii loco sit, delitescit. Deblateratis jam lugubri, jam imperioso murmure arbitrariis carminibus animam istius, illiusve (quam scilicet populus evocari voluit) coram adesse, pronunciat denique. Hanc de futuris eventibus iterum, iterumque interrogat, & mutata subito voce sibimet, quod ad rem facere videtur, respondet. Nemo est auditorum, qui de umbræ præsentia, vel de dictorum veritate dubitare ausit. Abiponum aliquis, clari apud suos generis, bonæque mentis multa verborum contentione mihi asseveraverat, se suis spectasse oculis animam Indæ, cujus maritus superstes Acaloraikin nostro tum versabatur in oppido. Assensum a me ut extorqueret, animulæ illius imaginem vivis, sed ridiculis coloribus expressit. Hispani quoque complures, qui a pueris ætatem omnem Abipones inter Captivi consumpsere, persuasissimum sibi habent, manes præstigiatorum vocatu necromantico spectabiles fieri, ad interrogatiunculas respondere, nihilque fallaciæ hoc in negotio intervenire. Verum quis, amabo, prudentior stolidis his testibus fidem habeat, queis ut falli, sic fallere quotidianum.

Ex

Ex hoc tamen manes evocandi barbarorum more id conficitur, illos animorum immortalitatem credere, quod ex aliis quoque illorum tum ritibus, tum ſermonibus collegimus. Mortuorum ſiquidem tumulo ollam, veſtem, arma, equos ſudibus infixos apponere ſolent providi, ne quid eorum, quæ ad quotidianos vitæ uſus pertinent, iis deſiderari patiantur. Anates parvulos, qui ab Abiponibus Ruilili dicuntur, noctuque triſti cum ſibilo turmatim circumvolitant, vita functorum animas putant, ac mehelenkachie manes, ſpiritus, ſpectra appellant. In S. Hieronymi colonia prædii curator Hiſpanus Raphael de los Rios per barbaros repente aſſilientes ſuo in tugurio crudeliter trucidatus eſt, me iſtic commorante. Aliquot poſt menſibus adeſt Abipon Catechumenus, &: Num Hiſpani omnes, dum è vita exceſſerint, mox Cœlo recipiantur, avidè interrogat; Hanc felicitatem illis duntaxat obtingere, qui vitam pia morte clauſerint, dum ſocius meus reſpondiſſet. Planiſſime tibi aſſentior, reponit Abipon; Hiſpanus enim ille Raphael hic nuper interemptus nondum Cœlum conſcendiſſe videtur; Noctibus enim prope ſingulis illum Campo obequitare, ac mœſtum quid ſibilare, noſtri homines referunt. Quod licet vel commentum, vel imaginariam aurium impreſſionem autumaverim, argui tamen inde poteſt, ab his barbaris animas a morte ſuperſtites exiſtimari, quamvis, quo deveniant, qua fortuna utantur, omnino ignorent. Aliis quoque Paraquariæ populis eadem inſidet de animarum immortalitate opinio. Patagones certe, cæterique, qui Magallanicum ſolum habitant, ſibi perſuadent, hominum vita functorum perinde, ac ſtruthionum animas iisdem in tentoriis ſub terra commorari. Hæc a præſtigiatoribus ad animorum immortalitatem di-

greſſio mihi ignoſcenda; Namque ad Abiponum religionem, de qua hoc loco agimus, pertinet maximopere.

Ex his, quæ de Præſtigiatoribus attuli, quis non intelligit, eorum ſcientiam, artesque omnes aſtutia, dolis, fraudibusque definiri, illos tamen fide, obedientiaque promptiſſima, dum vivunt, proſequuntur, vita functos ceu divinos homines incredibiliter venerantur Barbari. Illorum oſſa, & quidquid exuviarum eſt, ſuis in migrationibus, ceu ſacrapignora honorifice circumferunt. Quoties meteorum igneum (quod in America, Cœlo etiam ſudo, diu, noctuque perfrequens eſt) micare, & bellici tormenti inſtar terque, quaterque tonare advertunt Abipones, præſtigiatorum ſuorum aliquem uſpiam obiiſſe, credunt, putantque ſtolidi hoc Cœli fulgore, ac tonitru illius funeri parentari. Si quo bellatum, venatumve equites excurrant, horum veteratorum aliquem itineris ſocium ſibi adſciſcunt, e cujus ore, conſiliisque pendere ſolent, quippe quem rerum omnium, quæ ad expeditionis felicitatem conducant, conſcium, præſciumque opinantur; Hic locum, hic tempus, hic modum, quo feras, hoſtemve invadere oporteat, eos edocet Hic, ſi pugna inſtet, ſuorum aciem circumequitans palmæ ramo aerem verberat, & torvo vultu, minacibus oculis, geſticulatione mimica hoſtibus male precatur. Quam cerimoniam ad victoriæ ſecuritatem plurimum habere momenti, credunt. In officii ſui remunerationem memorabilior illi ſpoliorum portio fere adjudicatur. Veteratores iſtos ut equis præſtantiſſimis, ſic domeſtica ſupellectili præ reliquis affluere, obſervavi, quin id unquam mirarer. Extorquent a credulo popello, quantum cupiunt. Qui iis repulſam dare auſit, ne-

mo

mo unus eſt. Coluntur equidem ab omnibus multum, ſed plus timentur. Nefas putant illorum vel ſententiæ contradicere, vel deſideriis, imperiisve refragari, vindictæ metu. Præſtigiatorum quis acerbo ſit in alium animo, hunc ad ſuas accerſit ædes, & ſine cunctatione obtemperantem videt. Præſenti imaginariam forte culpam, vel injuriam voce gravi exprobrat, & avi ſui nomine mulctandam, edicit. Pectus, ſcapulasque veſtibus nudare jubetur, & mox mandibula piſcis (Palometa ab Hiſpanis dicitur) acutiſſima perfricatur undique, ac dilaniatur. Miſer etſi ſanguine diffluat, nec hiſcere audet, & quod vivo ſibi abire licuerit, in beneficiis numerat.

Sæpe alias dum iſti ſtupidorum maſtiges infenſum ſibi quempiam, vel injurium exiſtimant, in tigridem transformandos ſe illico, contubernales a ſe diſcerpendos ad unum omnes, comminantur. Vix tigridis rugitum imitari incipiunt, incredibili cum trepidatione diffugiunt, qua qua licet, vicini. Eminus tamen fictas auſcultant voces. Nec mora: Maculas tigrinas eheu! toto jam corpore incipit referre! En ungues illi jam ſuccreſcunt, metu attonitæ exclamant mulieres, etſi verſipellem ſuo in tugurio latentem videre haud poſſint; Sed enim lymphaticus ille pavor earum oculis res objicit, quæ nunquam extitere. Timent ridenda, qui jure timenda ſæpe riſerant. Hæc præſtigiatorum terricula ut aſpernarentur, ab illis impetrari vix demum potuit. Vos, ajebam, veras tigrides quotidie in campo citra metum jugulatis, eccur, amabo, fictam, imaginariam tigridem in oppido muliebriter expaveſcitis? ſubridentes reſpondent: Vos Patres res noſtras haud cappitis. Tigrides in campo, quia videntur, neutiquam

 me-

metuimus, ſed mactamus. Artificiales tigrides timemus, quia nec videri a nobis queunt, proin' nec occidi. Quodſi, redargui futilem excuſationem, artificialis tigris, quam veteratores veſtri mentiuntur ad vos terrendos, videri non poteſt, qua, quæſo, ratione nôſtis, illi maculas tigrinas, unguesque jam ſuccreſcere? Sed actum agitur, dum cum illis ratiocinamur, quibus pro, quin præ omni ratione voluntas pertinax, qua majorum ſuorum opinionibus inhærent. Tempeſtas atrocior, fulminibus, immani grandine, nimbo effuſo, turbine procelloſo gravida terris incumbat, tempeſtatem a præſtigiatorum aliquo concitatam, grandinem, turbinem, alluvionem ex præcipiti imbre coortam illius artificia eſſe, uno omnes ore affirmant, acerrima tamen plerumque, & ipſa tempeſtate ſævior contentio illos inter exoriri ſolet, dum hic illum, ille hunc tempeſtatis, alluvionisque architectum fuiſſe vociferatur. Audi eventum, cujus citra riſum nequeo meminiſſe. Januario menſe noctu imber maximo impetu e Cœlo effuſus, ac e vicino colle præcipitans S. Hieronymi coloniam prope ſubmerſerat. Aquarum vis ingens portâ, e corio fuit, ruptâ, raptâque in meum irruens tugurium me dormiente, cum exitus illico non pateret, ad quinque circiter palmos accrevit. Strepitu expergefactus demiſſis e lecto brachiis pro bolide uſus aquæ altitudinem identidem exploravi, & ni perforatus alluvione paries viam undis aperuiſſet, enatandum mihi fuerat, vel pereundum. Eadem Abiponum, qui in decliviori ſolo habitabant, ſors, tuguriis omnibus inundatis. Sed en! vulgatur undique rumor poſtridie, præſtigiatricem, neſcio, a quibus irritatam tantæ procellæ effectricem contubernales omnes alluvione ſubmergere voluiſſe quidem, ſed præſtigiatoris alterius artibus repulſas nubes, coercitum

tum

tum imbrem, oppidumque ſervatum fuiſſe. Verum, ut apud Europæos, quot capita, tot ſententiæ. Horrenda illa pluvia campos propinquos non attigit, ubi Pariekaikin illa ætate Præſtigiatorum Abiponenſium facile princeps cum aliis poſt diutinam Cœli ſiccitatem aquam ſibi avide peroptantibus tunc degebat; Hic velut ex tripode declaravit; Patrem Joſephum Brigniel, ſocium meum, imbris illius authorem fuiſſe in oppidi ſui emolumentum, ubi cum ipſe, Pariekaikin, verſari nollet, ultionis impulſu ea arte nubes flexiſſe, ut ne una quidem tanti imbris gutta ad ſtationem pertingeret ſuam. Hunc equidem Patrem, quod ægrotantibus feliciter, prompteque mederetur, præſtigiatotibus adnumerare, nil dubitarunt. Ubi de morbis, medicis, ac medicinis Abiponum agemus, audies, quibus modis circumveniant ægros hi præſtigiatores, ad nectendos dolos, quam ad dolores avertendos habiliores.

Præſtigiatoribus Americanis familiare cum malo dæmone commercium, colloquiumque frequens eſſe, id non modo rudes barbari ſibi perſvadent, ſed & ſcriptorum non nulli Europæ perſvadere conabantur. Ego quidem longa illarum gentium tractatione doctus id ut crederem, induci nunquam potui. Nil illos ſcire, nil omnino poſſe, quod naturales, humanasque excedat vires, mihi ſemper indubitatum. Hac confiſus opinione ut, ſi quam poſſent, noxam mihi inferrent, eos amice ſæpius provocavi; ſæpius amicitiæ ſignificationibus, blanditiis, omni officiorum, beneficiorumque genere eos certatim proſecuti ſumus, ad meliorem frugem, religionemque amplectendam animos demum ut adjicerent. Illorum enim ad exemplum ſenſim ſe componerent plerique omnes. Verum æthiopem lavimus.



mus. Nam hi bipedum nequissimi, ne authoritatis, qua apud populum valent, officiique quæstuosi jacturam facerent, nullum non movebant lapidem, dolis pepercerunt nullis, ut suos a templi aditu, a sacerdotum institutionibus, a sacro baptismi lavacro arceant, absterreantque; Ni morem gesserint, mille illis mortes, certam perniciem, nationis universæ exitium quotidie minitabantur. Nec mirum hoc, neque novum. In America ubique gentium religionis sanctæ magistri præstigiatores superstitionum avitarum antistites Christianæ legis scopulos, optatorumque progressuum turbatores fuere experti. Cum his quantum, superi boni! certaminum, negotiique fuit Patri Antonio Ruiz de Montoya Quaranicæ gentis Apostolo clarissimo! Tum denique istorum barbarorum infinitatem ad Christiana sacra, coloniasque traduxit, dum præstigiatorum superstitum authoritatem compressit, & mortuorum ossa, quæ summis colebantur passim honoribus, inspectante populo palam cremari jussit. His holophantis, & sycophantis (liceat mihi cum Plauto loqui) nondum eliminatis, eversisque actum agitur apud Barbaros. Expertus ipse id affirmo. Divi Joachimi oppidum ex bis mille Quaraniis ytatinquis neophytis conflatum non religionis solum laude florebat, sed & pietatis sinceræ fructus edebat jam tum uberrimos. Verum ut sæpe anguis in herba, lolium in agro latet cæterum lætissimo, Indus decrepitus istic præstigiatoris munere clanculum fungebatur, & a mulierculis quibusdam ceu divinum quid se se adorari passus est, dum illarum vel medicum, vel fatidicum egit, & obscæna patravit. Hæc ab oppidi Caziquio principe, Ignatio Paranderi, viro probissimo detecta mihi ut sunt, sine cunctatione pestilentem senem, clam frustra admonitum, palam objurgandum, mor-

bo,

boque veteri acrius remedium adhibendum putavi. Populi optimatum manipulo ſtipatus illius ædes accedo. Enimvero tanto in negotio fulmineam Tullii linguam, qua in catilinam olim intonuit, imitatus: Quousque tandem, dixi, Chriſtianum mentieris infelix vetule, & nefandis artibus, ſpurcis moribus contubernalium labefactare integritatem audebis? Annos prope viginti in Chriſti Schola verſatus a Chriſtianis legibus alieniſſima barbarorum ritu moliri haud times? Enimvero tigridis cognomen (yaguaretè, quod tigridem ſignificat, vocabatur) moribus exprimis etiamnum, dum JEſu Chriſti oviculas fallaciis, obſcænitatibusque dilanias tuis. Ultima te ſenectus ad vitæ perduxit metam. Quam tragica te mors eheu, nî reſipiſcas, quam funeſta ſors mortuum te manet! Pudet me tui ſenex bone, ſed perinde miſeret! Hic, quem in Cruce tui amore extinctum vides (ſervatoris imaginem exhibui) ſimulatorem te ad ſtygias voragines præcipitem aget vindex. Eſto, quod appares, vel appare, quod es. Ad divinæ legis normam tandem componere. Quodſi barbaræ ſuperſtitiones tam altis in animo tuo radicibus defixæ hærent, evelli porro ut nequeant, ad barbarorum ſylvas, ad ferarum, ubi primam lucem aſpexiſti, latibula redi ocyus, ne cæteros, qui Deo ſe, ac probitati dedidere, contubernales, exemplo tuo corrumpas. Age, priorum te pœniteat tandem, ſi ſapis, & flagitiorum maculas pœnitentia, innocentiaque morum aboleas dein. Amice monenti mihi ni morem geſſeris, peſſime tibi conſules profecto. Haud equidem impunitus abibis impoſterum. ſuperſtitioſum quid, obſcænumve iteratum a te, vel tentatum ut primum intellexero, noveris, me jubente, univerſo populo plaudente per forum, plateasque te circumducendum, & fimo bubulo a puero-

rum

rum turba obruendum. Id certum mihi, fixumque, ſtercoreæ tuæ divinitati, quam tibi arrogare dementer auſus, adorarique paſſus es, tale thus, ac thymiama debetur. Hac comminatione peſtilens ſilicernium non perculſum modo, ſed &, ni fallor, correctum reliqui, bonis omnibus orationis meæ ſeveritatem mire probantibus. Nihil poſthac ſeu querelarum adverſus illum, ſeu ſuſpicionum fuit, vigili licet oculo, aureque attenta exploraverim omnia. Duplici hæc fine commemoranda putavi, primum, ut præſtigiatorum fæcem religionis obicem præcipuum, ac bonorum peſtem eſſe in America, perſpicias; Dein ut videas, a miſſionariis barbarorum doctoribus non conniveri, ſi quid a religionis puritate alienum in illis deprehenderint, dummodo ſine majori illorum pernicie, ac rei Chriſtianæ detrimento interdici poſſit, & eliminari. Ferenda ſunt, quæ emendari prudenter haud poſſunt. In moribus, erroribusque ferocium barbarorum corrigendis lente feſtinandum eſt, Evangelici patris familias exemplo, qui lolia ex agro evellenda noluit metuens, ne cum illis triticum tenerum una evelleretur. Franges vitrum, ſi importune id flectere volueris. Qui ira præcipites, vel pietatis intempeſtivo deſiderio exæſtuantes barbaros in religione novitios acriter perſtrinxerint, & rem, & ſpem omnem evertent.

Cum præſtigiatores non fatidicorum modo, medicorumque, ſedet ſuperſtitionis magiſtrorum munere fungantur, fidem ſuperat, quam abſurdis opinionibus imbuant rudes Abiponum animos. Paucas e multis juvat adnotare. Immortales ſe fore autumant Abipones, neminemque ſuorum uſquam moriturum, ſi Hiſpani, ſi præſtigiatores America exularent; vel enim maleficis horum artibus, vel illo-

rum

rum ignem vomentibus fiſtulis mortem cujuscunque, aliis licet a cauſis ortam, tribuere conſveverunt. Vulneribus perfoſſus, confractis oſſibus, viribus extrema ſenectute exhauſtis occumbat illorum quispiam, vulnera, corporis imbecillitatem illi mortem acceleraſſe, negabunt omnes: cujusnam præſtigiatoris artibus, & quam denique ob cauſam necatus fuerit, diligenter indagabunt. Cum ſuorum plurimos ultra ſeculum vitam produxiſſe, meminerint, ſemper ſe victuros, ſomniant, ſi præſtigiatores, ſi Hiſpani, ſola ſcilicet, & ſolita mortis inſtrumenta, ſemper abeſſent. De ſolis, lunæque eclipſi quantum delirant Americani! Illa perdurante miſerabiles Abiponum ejulatus undique perſonant. *Tayretà* o paupercule! ſoli, lunæque indolentes identidem exclamant. Obſcuratum enim planetam omnino extinguendum ſemper timent. Hinc & nobis: obſecra, Pater mi, ajebant, rerum Creatorem, hoc Cœli lumen nobis adeo neceſſarium interire ne patiatur. Riſu digniores dixerim Indos Chiquitos, qui a canibus, queis aerem ſcatere putant, ſolem, lunamque miſere dilaniari dicunt, dum illis deficientibus obtendi tenebras vident. Solis, lunæque ruborem ſanguinem e canum morſibus ortum interpretantur. Hinc, ut charos ſibi planetas in aereos moloſſos tuerentur, ſagittarum grandinem eclipſeos tempore in Cœlum vociferantes ejaculantur. Verum ecquis credat, Indios Peruvianos, aliis politiores, tantum deſipuiſſe, ut putarent, ſolem obſcuratum ſibi iraſci, vultumque a ſe avertere, quod criminum quorundam rei viderentur, atque hoc nomine eclipſim calamitatum, queis multarentur ſubinde omnes, indicium cenſuerunt. Lunam caligantem ægrotare dixerant, ſemper veriti, ne quando moreretur, ejusque cadavere vaſto in terras delapſo incolæ omnes opprimeren-

merentur. Lumine recuperato illam convaluiſſe, a Pachacámac, mundi ſervatore, conſanatam, opinantur, quo mors illi interdicta, ne ejus decidentis pondere confractus orbis interiret. Alia aliis Americanis fuere de eclipſi deliramenta. Cometam Abipones Neyàc, Quaranii yacitatà tatatĩbae ſtellam fumantem appellant. Quod enim nos Cometæ crines, barbas, caudam dicimus, illi pro fumo habent. Hoc ſidus barbaris omnibus formidabile eſt, quippe quod Calamitatum ſeu prodromus, ſeu inſtrumentum vulgo putatur. Peruviani, a Cometis Regum ſuorum mortem, provinciarum, regnorumque exitium prænunciari, exiſtimarunt ſemper. Montezuma Mexicanorum Monarcha Cometam igneæ pyramidis inſtar a media nocte ad ortum ſolis uſque aſpectabilem frequenter intuitus ſibi, ſuisque peſſime timuit, haud multo poſt a Corteſio Hiſpanorum duce ſubjugum miſſus, interemptusque. Ignoſcendum ſane Americanorum inſcitiæ, cum antiqui ſapientes plerique omnes male de Cometis ſenſerint. Quis neſcit Lucani verſus l. 1.

Ignota obſcuræ viderunt ſidera noctes,
Ardentemque polum flammis, Cœloque volantes
Obliquas per inane faces, crinemque Timendi
Sideris, & terris minitantem regna Cometen.

Conſentit lucano Virgilius 1. Georgic. *Nec diri toties arſere Cometæ.* Et utrique Tullius Cicero 2. de natura Deorum: *Tum facibus viſis Cœleſtibus, tum ſtellis his, quas Græci cometas, noſtri cincinnatas vocant, quæ nuper bello Octaviano magnarum fuerunt calami-*

lamitatum prænunciæ. Idem alio loco: *fatalem semper Reipublicæ Romanæ Cometen*, dicit. Consona & profanorum, & sacrorum scriptorum testimonia passim videas, Sed caveas, quæso, hac nostra ætate Cometas reformidare, ni ab universo Philosophorum exercitu rideri velis. Quid quod & clarissimus Romano in Collegio Rhetorices quondam magister Vincentius Quinisius noster, dum tertio calendas Decembris anno 1618. Cometa Romæ se spectandum præbuit, authoritate, experientia, rationibusque palam, valideque probaverit: Cometas indicium esse felicitatis futuræ; Non, ut vulgus putat, calamitatis. Oratio exstat in allocutionibus Gymnasticis hujus authoris Antverpiensi in Typographeo 1633. rursus editis. Ego quidem fateor, me nec vulgo timenti, nec Quinisio speranti assentiri, sed quod Vindobonensi in universitate anno 1742. doctus, ac publice tuitus sum, opinari: Cometas nec prospera, nec sinistra portendere. Sed quorsum a cometis me abripi passus sum? In viam ad Abiponum superstitiones redeamus. Hi aliam præterea stellam, cujus nomen haud memini, portentosam, sibi timendam, exitialemque, arbitrantur. Ajunt equidem, illos annos, quibus hoc sidus visum est, nationi suæ cruentos fere, ac ærumnarum plenissimos fluxisse. Turbini pulveres in gyrum circumagenti mulieres cineris portionem immodicam celerrime objiciunt, ut illo ceu esca saturatus aliorsum deflectat. Quod si enim vorticoso illo cum impetu quampiam in domum irrepserit turbo, domesticorum alicui confestim moriendum esse sibi persuadent. In favo mellis, quem e sylvis domum attulerant, si apes vivas invenerint, extra domus suæ limina necandas esse, ajunt. Si enim intra domum interimantur apes, mel porro a se nusquam reperiendum credunt. Sed apage

ani-

aniles has Americanorum ſuperſtitiones. Infinitus ſim, ſi referrem ſingulas. Ecquis ſuccenſeat rudibus barbaris, dum & noſtrates plebeji non rure tantum, ſed cultis quoque in urbibus quam abſurdas, tam ridiculas animo fovent opiniones, & veluti ſapientum ſcita pertinaciſſime obſervant. Chriſtophori Mäñlingen juſtus extat liber, quo varias variarum gentium ſuperſtitiones ad lectoris faſtidium complexus eſt. Vetularum, nutricularumque opera errores puerorum mentibus inſeruntur, hi cum adoleſcentibus adoleſcunt, conſeneſcunt cum ſenibus, & non niſi cum morientibus plerumque emoriuntur. Odorem ſcilicet, quo imbuta eſt teſta recens, diutiſſime ſervat. Laborant Abipones tot ſuperſtitionibus, quia abundant tot ſuperſtitionum magiſtris præſtigiatoribus. Ea tempeſtate, qua apud illos egi, maxime claruerunt: Hanetrâin. Nahagalkìn. Oaikin. Kaëperlahachin. Pazanoirin. Kaachì. Kepakainkin. Laamamin'. Horum omnium alpha, & qui toto vertice eminebat, Pariekaikin vaticiniorum, curationumque gloria ſpectatiſſimus. Vultus erat præcandidi, & qui ſingularem modeſtiam, comitatemque præſeferebat. Globulorum, qui in arboribus naſcuntur, nigricantium faſces, ut Indi Chriſtiani Marianum Roſarium, e collo ſuſpenſos fere habuit, ornatus omnis, quo reliqui gaudent, ſemper contemptor, ſed fallaciarum machinator diligens, ad fucum faciendum promptiſſimus. Præſtigiatricum fæminarum plane greges ſunt, culicesque Ægypti numero excedunt, ut adeo nec nominari poſſint, neque numerari. His maximopere cordi eſt, omnium animis, auribusque avi ſui mali dæmonis venerationem identidem inculcare. De hac jam diſſerendum.

CA-

CAPUT X.

Conjecturæ, cur Abipones malum dæmonem pro Avo ſuo, Plejadasque pro illius imagine habeant.

Ab Abiponibus malum Dæmonem pro Avo ſuo haberi, dum legis, ride per me, illorum ineptias, miſerare illorum amentiam, & admirare; ſed ſi ſapis, Cave, ne quid nimis. Impudentius equidem delirarunt tot gentes & Divinis, & humanis legibus, artibusque perpolitæ. Si ſacras, ſi profanas hiſtorias vel primoribus labris delibaſti, fateberis ſane, vix uſpiam extare aliquid, cui divini honores non fuiſſent delati aliquando. Baal, Beelphegor, Beelzebub, Moloch, Dagon, Chamos, Aſtaroth &c. Superi boni! quam monſtroſa nomina! Hebræorum tamen variis in locis, temporibusque olim Numina. Ægyptiis præter canem, felem, accipitrem, & quem Nilus educaverat, Crocodilum, etiam in hortis Numina naſcebantur cepæ, porri, & allia; Afris Cœlum; Perſis aqua, ignis, & venti; Libyis ſol ac luna; Thebanis oves, & muſtelæ; Babyloniis Memphis, Cetus; Mendeſiis capra. Theſſalis Ciconiæ; Syrophænicibus columbæ Deorum inſtar fuerunt. Suum citius Xerxes Rex, quam Deorum, Dearumque, queis vetus Roma famulabatur, exercitum numeraveris. Perlege, ſi ſine riſu potes, Romanorum Græcorumque mythologiam, næ illam vel delirantium,

vel somniantium esse partum, judicabis. Qui enim sanæ mentis est, Iovem, Saturnum, Martem &c. tot flagitiis infames vana esse sine Numine nomina, & solo nomine Numina dicet, quin cum Regio vate dæmonia pronunciabit: *Omnes Dii gentium dæmonia.* Quod veterator stygius nostris Parentibus in paradiso spopondit: *Eritis sicut Dii*, id profecto priscis Græciæ, Romæque heroibus, ac Principibus non paucis obtigerat, quibus, solo interdum scelere claris, apotheosis, aræ, columnæ, divini honores post obitum decreti. Ecquis demum exprimat idolorum seu numerum, seu figuras, quibus Africa, Asia, America thus adolevit, templa condidit? In Insula Cellano simii dentem, ceu rem divinam divino cultu religiosissime prosequuntur incolæ, ad quam venerandam a quingentis facile leucis supplicantium ritu turmatim confluunt quot annis. Dracones, flumina, rupes, arbores, & quid non? Numinum instar alibi a Barbaris flexo poplite coluntur. Ast quis miretur, bestias à bestiis, stipites à stupidis coli? In admirationem me rapit, Antonino Pio imperatore, Pio primo Romano Pontifice circa annum centesimum quinquagesimum à servatore nato hæreticos exstitisse, qui, præter alios errores, Cain fratricidam; Judam Iscariotem sacrilegum; Chore, Dathan, & Abiron Israelitas in seditionis pœnam terra dehiscente absorptos, quin & nefandos Sodomæ incolas colendos sibi, venerandosque putarunt, à Tertulliano acerrime mulctati, uti Petrus Annatus Libro 7. apparatus sui ad theologiam refert. Tantæ tot populorum cultiorum insaniæ, ineptiæque indignationem nostram, admirationemque ita exhauriant oportet, ut Abiponibus barbaris, feras inter educatis, literarum omnino expertibus mitius succenseamus, dum malum dæmonem Avi sui nomine dignantur, quin tamen illi vel nomen,

vel

vel cultum tribuant divinum. Septennio, quod iſtos apud Barbaros conſumpſi, nil ejusmodi unquam deprehendi. Si quid forte clanculum nobis inſciis, abſentibusque egere, quod Theologus damnaret, id illos non religioſa in dæmonem propenſione, ſed ejus metu duntaxat a præſtigiatoribus ſuis avitarum Cerimoniarum defenſoribus compulſos egiſſe, atque adeo ſtupiditatis potius, quam ſacrilegæ impietatis arguendos, opinor.

Ne quis putet, noſtrorum aliquem conniviſſe illis in rebus, quæ ad dæmonis cultum pertinere viderentur, referam, quod in divi Hieronymi oppido, prima Abiponum Colonia paulo ante condita evenerat. Incolæ prope omnes equis velocibus vicinum in agrum forte excurrerunt. Joſephus Brigniel Miſſionarius excurſionis finem anxie ſciſcitatus ex eorum, qui domi remanſerant, quopiam intellexit denique: Dæmonis, avi ſui, domum (Groaperikie Leëriki) ex palmarum ramis, frondibusque in campo hodie ſtruendam; Hunc eſſe itineris ſcopum. Superſtitioſam populi functionem indignatus Pater, illiusque, qua liceret, impediendæ cupidiſſimus equum propere conſcendit. Indo frugis melioris duce locum attigit, ubi tugurium extemporale, circumfuſumque huic populum conſpicabatur eminus. Barbari inopinato Patris adventu perculſi: Huic ne caſæ propinquaret, eum obteſtabantur, monebantque impenſe, ni avi ſui dæmonis, qui ſub illa latitaret, unquibus miſere diſcerpi malit. Præſtigiatoris Haanetrain, qui in tugurio latens jam rugitu tigridem imitabatur, jam, mutata identidem voce, avi ſui, cujus perſonam ſuſtinuit, nomine reſponſa dabat, locutionem agnovit Pater, circumſtantibusque ſuperſtitionem impiam, ſtolidam credulitatem incredibili cum audacia exprobravit,

vit, fructu pari. Neque enim posthac, quod quidem sciam, de domo dæmonis quidquam auditum.

Ut Abipones, sic illis confines Mocobii, Tobæ, Yapitalakæ, Quaikurui, aliique equestres in Chaco populi dæmonis Nepotes se jactant, superstitionis haud minus, quam dementiæ socii. Ast quantum ab his discrepant Australes Barbari equites, Magallanicum qui per solum vagantur! omnes dæmonem norunt, & Balichù appellant. Credunt, dæmonum turbam esse innumeram. Illorum principem *El El*; Plebejos dæmones *Quezubû* vocare consveverunt. Omne tamen dæmonum genus mortalibus infensum, infestumque, ac mali cujuscunque originem putant, metuunt, execrantur. Puelches, Picunches, Moluches ne nomen quidem Dei noscunt. Hi, quos ultimo posui loco, quidquid boni seu possident, seu sibi optant, soli in acceptis ferunr, à sole poscunt. Sacerdoti nostro monenti: Deum, ut rerum cæterarum, sic solis conditorem præ sole utique colendum esse, reposuerunt: Nos equidem in hanc usque diem nil majus, nil melius sole, agnovimus. Patagones Deum soychù vocant, rem scilicet, quæ videri nequeat, quæ omni veneratione digna sit, & extra mundum versetur; Hinc vita functos *Soychuhèt* dicunt, homines scilicet, qui cum Deo sunt, & extra mundum degunt. Duo rerum principia cum Gnosticis, & Manichæis videntur somniare, cum Deum bonorum, dæmonem malorum authorem dicant. Hunc licet neutiquam colant, maximopere tamen reformidant. Ægrotantem quemvis a malo dæmone credunt insideri; Hinc illorum medici tympanum, pictis dæmonum figuris horridum, semper circumferunt, omnique virium contentione ægrotantium ad lectulos pulsant ad exturbandum ægri e corpore dæmonem, morbi authorem. Chilenses bar-

barbari ignorant & nomen, & cultum Dei. Credunt aereum ſpiritum quemdam, quem Pillan appellant, cui, hoſtes ut ſuos profliget, ſupplicare, & pocula inter pro victoria obtenta gratias agere conſveverunt. *Pillan* illis etiam tonitru ſignificat. Illum, Cœlo tonante, maxime colunt. Dæmonem, Alveè ab illis dictum, ceu boni cujuscunque obicem, & raptorem toto pectore execrantur. Hinc, cum vitam rerum omnium ſibi optimam reputent, ſi quis ſuorum moriatur, eum a dæmone raptum ajunt. Braſili, Quaràniique dæmonem Añà, vel Añanga vocant, ac mille nocendi artibus inſignem incredibiliter metuere ſolent. Peruviani veteres eundem *Cupay* nuncuparunt, & modis omnibus, veluti calamitatum omnium architectum, averſabantur adeo, ut, antequam ejus nomen pronunciarent, in contemptus teſtificationem expuere conſveverint. In virginia Barbari malum dæmonem Okè vocant, adorantque. Numeroſæ, finitimæque Barbarorum nationes cum dæmonem metuendum ſibi, ſemperque aſpernandum exiſtimaverint, haud capio, qua demum ratione ducti Abipones eundem dulci, honorificoque Avi nomine proſequantur. Verum noveris, ratione, argumentisque haud opus eſſe, ut vel abſurdiſſima ſibi perſvadeant, dubia pro certis, falſa pro veriſſimis habeant barbari. Præſtigiatoris aſtuti commentum, ſomnium anus rancidæ arrectis audiant auribus, ſatis eſt, ſuperqne, ut dæmonem avum ſuum eſſe, & ſi quid aliud abſurdius, citra tergiverſationem jurent. Trecentæ ſuperſtitiones a majoribus ad poſteros derivantur, quibus ea animi firmitate rudes inhærent Americani, qua nos Chriſtianæ legis ſanctionibus ab Apoſtolis ad nos transmiſſis.

Cur Plejadas dæmonis avi ſui imaginem putent, excutiendum reſtat. Hoc quoque in argumento præ-



ter conjecturas nihil mea depromam ex penu; Neque enim certi quidpiam ſeu ex Abiponibus, ſeu ex Americæ hiſtoricis licuit extorquere. Septem hæ Stellæ Plejades in capite tauri a latinis Vergiliæ, veris nunciæ, imbrium indices dicuntur. *Navita quas Hjades Grajus ab imbre vocat.* Ovidius 5. faſtorum. Septem Lycurgi filiæ: Electra, Halcione, Celæno, Merope, Aſterope, Taygete, & Maja, quod Bacchum in Naxo inſula educarint, a Jove inter ſidera relatæ, Plejadesque vocatæ ſunt, ut quidem Poetis fabulari lubuit. Quid ſi, lubuit nonnemini divinare, Abipones, compotationum amantiſſimi ſeptem has ſtellas, quia olim Bacchi altrices, ſibi vel hoc nomine colendas putarunt? Sed feſtiva hæc cogitatio confabulationi, quam hiſtoriæ opportunior. Ejusdem ponderis eſt alia Hiſpani cujusdam conjectura. Plejadas, mihi ajebat, Hiſpani *las Cabrillas* — Capellas vocamus. Cum dæmon caprina forma cornutus, hirſutusque a pictoribus exprimi ſoleat, Abipones has Capellas, ſeu Plejadas, dæmonis avi ſui imaginem ſibi venerandas exiſtimaverint. Placuit mihi hominis facetia, riſu, non aſſenſu digna. Illud attentione dignum, quod, cum a gentibus variis jam ſolem, jam lunam, jam ſtellas varias divinis coli honoribus noverimus, de Plejadum cultu ne unum quidem apicem in ſacris codicibus deprehendamus. Niſi forte quis dixerit, Plejadibus honores divinos exhibitos fuiſſe ab illis gentibus, de quibus Libri Deuteronomii cap. 17. v. 3. dicitur: — *Ut vadant, & ſerviant Diis alienis, & adorent eos, ſolem & lunam, & omnem militiam cœli* - - Divus Hieronymus equidem *militiæ Cœli* nomine omnia Cœli aſtra ſignificari, adeoque & Plejadas, arbitratur. Aſtarthæ, planetæ nimirum veneri, ſidoniorum Deæ, a Salomone per fœminas jam corrupto templum fuiſſe conditum, ſacra memorat hiſtoria.

Pen-

Penſatis diu, multumque omnibus illud mihi veriſimillimum videtur: A Peruvianis antiquioribus, meridionalis Americæ maxima ex parte dominis, ac magiſtris ad Paraquariæ barbaros & cognitionem, & qualemcunque Plejadum cultum fluxiſſe. Illi etenim, etſi Deum rerum omnium Satorem, conſervatoremque: Pacha camac dictum, qui, ut hæc iis vox ſonat, vitam mundo tribuit, venerabantur, nihilominus mare, rupes, arbores, &, quod rei caput eſt, Plejadas adoraſſe dicuntur, quas ſua id temporis lingua *Colca* nominarunt. Illorum dein dominator, & ut Numa Pompilius Rex agreſtium tunc Romanorum, legislator ſummus Ynca Manco capac antiquis ſuperſtitionibus novas ſubſtituit. Solem illuſtriſſimum illud cœli ſidus, terræque beneficentiſſimum Divinis porro honoribus afficiendum decrevit. In Peruvii tunc metropoli Regia Chuſco templum ſolis, ſi quod uspiam terrarum, magnificum ſane conſtrui fecerat, cujus parietes laminis aureis veſtiti, columnis aureis ornati, ab imo ad ſummum; In medio vaſtiſſima ſolis radios undique diffundentis imago ex auro puro puto ficta ſplendoris majeſtate omnium oculos perculit, animosqne implevit. Huic ſoli duntaxat & veneratio divina, & ſacrificia præſtabantur, quamvis Lunæ quoque, quam ſolis conjugem, & ſtellis quibusdam, quas lunæ ancillas dixerant, aras argenteas, cultumque, ſed divino inferiorem indulſerint. Hæc inter ſidera inſigni loco, honoreque præcipuo dignas Plejadas exiſtimarunt, an ob ſitus mirabilis conformationem, an ob eximium ſplendorem, neſcio. Nam & ore divino *micantes ſtellæ Plejades* apud Jobum cap. 38. præ cæteris celebrantur. Poſtquam Hiſpani, everſo Yncarum imperio, Peruvii dominatum armis obtinuere, formidabili eorum ſervituti ſe ut ſubducerent, Peruvianos, quaquà licuit, dilapſos, credibile eſt, non paucos in finitimam Tucumaniam,

indeque ſecuritatis gratia in vicinas per Chacum ſolitudines commigraſſe, barbarisque incolis præter alias ſuperſtitiones Plejadum quoque obſervationem religioſam inſpiraſſe. Fingamus, hoc demum advenarum ductu Abipones in Plejadum cognitionem veniſſe. Verum objicies: Cum Abipones ne nomen quidem Dei lingua nativa exprimere norint; Cum dæmonem avi ſui nomine reverenter conſalutent, eccur, amabo, ex Peruvianis Dei nomen, ac reverentiam, eccur dæmonis odium, contemptumque non didicere? Illi certe in Deum Pachacamac, qui vitam mundo dat, tanta ferebantur reverentia, ut vel ejus nomen, niſi graviſſimis de cauſis, pronunciare, religioni ſibi duxerint; Quoties illud proferendum, id cum luculentiſſima honoris ſignificatione præſtiterunt; Namque attollebant humeros, vultu terram verſus depreſſo, clauſis oculis, palma manus dextræ dextra in ſcapula pie collocata, oſcula repetita in aerem vibrarunt, ut ſummam adverſus Deum obſervantiam teſtarentur. Malum dæmonem *Cupay* e contrario, ut paulo ante memini, contemptui habuerunt. Hanc Dei venerationem, inquies, hunc dæmonis deſpectum cur non afflarunt Abiponibus Peruviani advenæ, ſi Plejadum obſervationem invexerunt? Sed nempe vitium promptius, quam virtutes ex aliis condiſcuntur, uti facilius per morbidos inficiuntur ſani, quam morbo infecti per ſanos curentur. Quod ſi pertinaciter neges, Plejadum cognitionem ex Peruvio allatam, nil diſceptabo, quid tameu vetat opinari, eam ex vicina Braſilia in Paraquariam olim irrepſiſſe. Tapuiyæ enim, ferox, numeroſaque quondam natio Braſiliæ, imprimis venerabantur Plejadum ortum, ſtellasque illas Numinis inſtar canendo, & choreas agendo coluerunt, quod totidem prope verbis Jacobus Rabbi, qui annos aliquot his barbaris convixerat, teſtatur. Nulla cum præſto

ſint

ſint monumenta, e quibus certi aliquid hac ſuper re, exploratique erui poſſet, viſum eſt, conjecturas, opiniones, veriſimilitudinesque in medium afferre, ut de dæmone Abiponum infami avo, Plejadibusque illius imagine aliquid dixiſſe videamur.

CAPUT XI.

De Nationis Abiponicæ diviſione, paucitate, ejusque cauſa præcipua.

Politicam apud Barbaros expectare idem prorſus tibi videbitur, ac in ſcirpo nodum, ex pumice aquam quærere. Abipones, gens libertatis avitæ tenax, jugi omnis impatiens, arbitratu vixere ſuo. Quod libuit, licuit. Adeo ſola illis voluntas ſemper pro lege fuit. Id equidem haud auſim inficiari. Nihilominus, uti apes, formicæ, ac quodvis belluarum genus quædam ſpeciei ſuæ propria naturali obſervant inſtinctu, ſic feriſſimi quamvis Indi conſvetudines quasdam, nationis ſuæ ſcita, quæ a majoribus accepere, pertinaciter retinent etiamnum, ac veluti pro legibus habent ſuis. De Abiponum rationibus politicis, oeconomicis, militaribus, de illorum moribus, ac magiſtratibus mihi porro agendum. Expeditior jam curret calamus, quia ſcribenda, quæ oculis patent, non meditandæ conjecturæ de Barbarorum ſuperſtitionibus, quarum ſeu radices, ſeu cauſæ illorum in animis deliteſcunt, quin

ſæpe probabile quid ex iis poſſit exſculpi, ruditate mentis linquæ uſum impediente.

Tres in claſſes univerſa Abiponum natio tribuitur: In Riikahè, qui in campis longe, lateque patentibus morantur; In Nakaigetergehè, qui ſylvarum amant latibula; In Jaaukanigàs denique, qui ſingularis quondam fuere natio, propriaque utebantur lingua. Seculo proxime lapſo ab Hiſpanis, queis ſtragem illaturi excurrerant, in itinere per inſidias oppreſſi, ac propemodum internecione deleti ſunt. Pauci a clade ſuperſtites, cæſorum liberi, ac conjuges viduæ vicinis ſe ſe Abiponibus adjunxere eo ſucceſſu, ut ambæ nationes mutuis inter ſe connubiis in unam coaluerint denique, veteri Jaaukanigarum lingua penitus extincta. Eadem his Abiponum tribubus vitæ, morumque ratio, lingua, ſi pauca excipias vocabula, eadem prorſus. Mira inter illos concordia animorum, armorumque ſtabilis ſocietas, quamdiu illis contra Hiſpanum res fuit, in quem, ceu communem, ut putant, hoſtem innato feruntur odio, ac unitis viribus ejus ſervitutem pertinaciter declinant. Cæterum licet ſanguinis, amicitiæque vinculo colligati injuriæ quantulæcunque impatientes belli occaſionem avide arripiunt, mutuisque ſe cladibus atterunt frequenter. Fraternas iſtorum acies, continuataque per annos plures vario cum ſucceſſu bella tempore narrabo ſuo.

Abipones aliqui polygamia, ſed uxorum repudiatione frequentius, ut cæteri per Americam Barbari, utuntur. Neque tamen numeroſi ſunt. Univerſa natio quinis circiter capitum millibus definitur. Velitationibus jam inteſtinis, jam bellicis in exteros hoſtes excurſionibus, jam mortifera morbillorum, variolarumque contagione, jam matrum, quis non per-

hor-

horreſcat? in proles ſuas crudelitate ad tantam redacti ſunt paucitatem. Sævitiæ muliebris cauſam accipe. Ad triennium fere lac præbere ſolent prolibus matres. Nihil illis interea cum maritis commercii conjugalis. Hi moras lactatus diutini tandem pertæſi aliam ſibi ſæpe adſciſcunt conjugem. Repudiationis igitur metu fœtus necant ſuos mox a partu fœminæ; Aliquando illos nec partu expectato violentis expellunt artibus; Ne lactandi moleſtiis impeditæ inutiles ſe maritis, ac inſenſas reddant, tantum audent in ſobolem. Viduæ, marito ſuperſtite, fieri timent; Tigride eſſe crudeliores, non erubeſcunt. Æthiopiſſam novi Abiponis captivam, lacertoſam fœminam, quæ barbaris matribus in evellendo ex utero embrione operam ſæpe navaſſe ſtrenuam dicebatur. Herum illius Abiponem ſacro jam fonte expiatum, mentisque optimæ virum hac de re commonuimus. Captivæ ſuæ facinus ultro faſſus eſt, negavit tamen illud olim pro flagitio a ſe fuiſſe habitum, quippe majorum ſuorum conſvetudine comprobatum. Poſtquam divinis id, humanisque legibus adverſari e nobis intellexerat, ne ſemel quidem id a ſe toleratum affirmavit, nunquam porro tolerandum, ſpopondit. Matres fæmineis prolibus præ maſculis parcunt lubentius, frequentiusque, idque lucri futuri expectatione; Filiis enim adultis ſponſam emere oportebit. Filias nubiles, quovis demum pretio, ſponſo vendere licebit.

E quibus prona eſt conjectura, Abiponum nationi fœminas, quam viros, numeroſiores ſuppetere, tum quia proles fœmineæ rarius a matribus trucidantur, tum quia velitationibus, quæ viros exhauriunt, non interſunt fœminæ, tum quia natura maribus ſunt vivaciores. Uni virorum centuriæ cohors mulierum reſpondet.

det. In curtiſſimo ſæpe contubernio maſculini generis confertiſſimam vetularum ſecularium, omnisque ætatis fœminarum turbam deprehendes. Hallucinantur ſcriptorum complures, qui Americanorum hodiernam paucitatem Hiſpanorum ſævitiam pleno ore interpretari auſi ſunt, cum rectius matrum infanticidarum crudelitatem accuſaſſent. Nos certe, qui Abipones inter conſenuimus, illam bonæ frugis mulierem pronunciavimus, quæ binos, ternosve filios educaverit. Verum adeo paucas ejusmodi matres Abiponum natio univerſa numerat, uni ut annulo earum nomina poſſint inſcribi. Debayakaikin princeps Caziquius quaternos filios, totidem Kain' Jaaukaniga habuit, ſed ſingulos diverſa e matre prognatos. Novi alias, quæ, ut paſſim vulgabatur, quot liberos perpererunt, totidem trucidarunt, nemine cædem aut impediente, aut vindicante. Adeo ſcelera, dum communia ſunt, impunita fere abeunt, quaſi vero recepta paſſim conſvetudo illorum vel malitiam aboleret, vel impietatem excuſaret. Mortem prolis teneræ morbo extinctæ ſinceris lacrymis, diuturnis planctibus proſequuntur matres; Proles vixdum in lucem editas, diuque victuras eædem ſerena fronte jam terræ allidunt, jam modis aliis interimunt. Tantam matrum in liberos exanimes pietatem cum tanta in vivos crudelitate conjungi poſſe vix credibile Europæis eſt, ſed nobis certum, indubitatumque. Poſtquam tamen noſtra inſtitutione legis divinæ reverentia Abiponum mentibus inſita fuit, enim vero inveterat amatrum barbaries ſenſim defervuit; Illarum manus jam non filiorum ſanguine cruentas, ſed brachia charis pignoribus onuſta illorum genitores Abipones lætis oculis mirabantur. En! religionis, quæ ut cœlo, ſic terris incolas ſuppeditat, fructum, triumphumque eximium. Namque uxorum

mul-

multitudine, ac repudiatione, infantium nefaria cæde, arbortuumque ſpontaneorum libertate per chriſtianam diſciplinam demum ſublatis Abiponum natio paucos intra annos incredibili hominum utriusque ſexus acceſſione locupletatam ſe plaudens circumſpectavit. Quo religioſius morem geſſerint Divinis legibus Europæi, eo majorem populi frequentiam ſuis provinciis ſuccreſcere experientur ſeu colendis agris, & artibus, ſeu hoſtibus arcendis profuturi. Libidinibus enim, furioſis ſimultatibus, ebrioſitate, cæterisque, quæ religio vetat, flagitiis numeroſam ſobolem partim impediri, partim extinqui, nemo ſanæ mentis unquam dubitavit.

CAPUT XII.

De Abiponum magiſtratibus, Capitaneis, Caziquiis &c. deque Regiminis forma.

Qui ſuprema cum poteſtate univerſæ nationi dominetur, Principem haud agnoſcunt Abipones. In turmas ſe ſe dividunt; Singulis unus præeſt, quem Hiſpani Capitaneum, ſeu Caziquium, Peruviani Curáca, Quaranii Aba rubichà, Abipones Nelarèyràt, vel capità appellant. Hæc vox *Capitàn* magnificum quid Americanorum in auribus ſonat. Honorificentiſſimo ſe putant titulo uti, dum vel Deum, vel Hiſpaniarum Regem *Capitan Latènc*, *Capitan Quazù*, magnum Capita-

pitaneum vocant. Quo quidem Capitanei vocabulo non ſupremam duntaxat poteſtatem, dignitatemque eminentiſſimam, ſed & quamcunque nobilitatem deſignari volunt. Rancidæ interdum anus, vili lacerna ſqualIentes, & ſolis rugis opulentæ, ne plebejo ortæ genere nobis viderentur, non ſine faſtu dicere ſolebant: *Aym Capitâ* ſum Capitanea, ſum nobilis. Obſtupui, dum barbari denſiſſimas inter ſylvas Mbaèverà ſepulti, omnisque cum Hiſpana gente conſortii expertes Caziquios ſuos Capitâ Roý, Capitâ Tupânchichu, Capitâ Veraripotſchiritù compellarunt, neglecto nativæ linguæ vocabulo *Aba rubicha*. Adeo Capitanei nomen apud quosvis barbaros civitate donatum, ac honorificum. Obvium habeat Abiponum aliquis Hiſpanum elegantiore toga nitentem, proletarius quamvis ſit, nullaque ſeu nobilitate, ſeu dignitate inſignis, nihil hæſitans Capitaneum illum dicet illico. Licet in Europa habitus non faciat monachum, in America tamen veſtis nobilior nobilem facit, Abiponum ſaltem judicio. Quidquod & infimæ plebis Hiſpani, qui ruri degunt in Paraquaria, Capitanei titulum ardentiſſime ambiunt, depereuntque; Hoc ſi illos vocabulo non conſalutes identidem, torvis aſpicere oculis, officii genus quodcunque, aquæ guttam vel ſitientiſſimus nequidquam ab illis expectaveris. Ejusdem tituli ſtulta ambitione ceu peſte afflatos dixeris Quaranios chriſtianos, Biennio, trienniove Regiis in caſtris ſtrenuam operam poſtquam navarunt, belli moleſtias, accepta vulnera egregie ſibi compenſata judicant, dummodo expeditione militari abſoluta nomen, baculumque Capitanei a Regio Gubernatore ſibi collatum in Coloniam referant ſuam. Ruſticis, fabrilibusve laboribus occupati licet, licet nudis ſemper pedibus incedentes, Capitanei baculum non ſine oſtentatione manu circumferunt quotidie, ſeque

mag-

magnifice circumſpiciunt. Ligneum hoc Capitanei inſigne, dum ad tumulum efferuntur, e feretro ſuſpendere conſueverunt. Moribundus quidam ſacro oleo jam jam ungendus, ocreas militares calcaribus horrendas indutus, Capitanei baculum manu geſtans Sacerdotis noſtri adventum, quin & mortem propinquam, quaſi illam territurus, præſtolabatur. Inſolentem moriturientis apparatum demirantibus domeſticis: Capitaneum ſic mori decet, graviter, ſevereque reſpondit. Tanta apud Americanos vocabuli *Capitaneus* ſignificatio, æſtimatio tanta. Vox *Cazique* nomen ſynonimum eſt, ex Indiis, quæ Orientem reſpiciunt, allatum, ubi Mahometanorum antiſtitem ſignificat, uti Petrus Maffejus noſter in Hiſtoriis Indicis paſſim meminit.

Apud Quaranios, Chriſtiana ſacra variis in Coloniis dudum amplexos, Caziquii & nomen, & officium hæreditarium eſt etiamnum, veteri illorum, dum in ſylvis degerent, more nil mutato. Caziquio Patri vita functo citra controverſiam natu major filius ſufficitur, cujuscunque demum aut genii, aut ingenii fuerit. Apud Abipones pariter major filiorum Patri ſuccedit hac tamen conditione: Si is homo frugi, ſi bellæ, bellicoſæque indolis, ſi ad præfecturam idoneus videatur. Quod ſi enim ignavus, ſi aſper, ſi abſurdis moribus ſit, illo rejecto alium pro arbitratu deſignant ſucceſſorem, quamvis nullo ſanguinis vinculo cum priori conjunctum. Id factum vidi ſæpius. In pugna occubuit Ychamenraikin Coloniæ S. Hieronymi princeps Caziquius. Illi Abipones illius nepotem Raachik ſubſtituere, non filium Kiemkè, quem ſcilicet, etſi adultum, in re militari ſtrenuum, ſagacem ingenio, manuque promptiſſimum, mendacem dictitabant, ac vel hoc nomine averſabantur, quaſi vero illo-

illorum plerique omnes omnibus cretenſibus non eſſent mendaciores. Debayakaykin' Abiponenſes inter Caziquios tum ob aſſeclarum multitudinem, tum ob facinorum celebritatem facile præcipuus in velitatione trucidatus filios quatuor reliquit ſuperſtites, variis, ut dixi, e matribus ortos. Nemo illorum populo probatus eſt. Alii Revachigi, alii Oaherkaikin, ambos plebejos genere, ſed factis illuſtres, ſibi duces delegerunt. Ex quo liquet, Caziquii dignitatem jure quidem ſanguinis apud Abipones hæreditariam eſſe, ſed propria ſimul ſucceſſoris virtute, ac populi ſuffragiis obtineri. Hunc Abiponum barbarorum morem quis Europæus barbarum dicat, cultiſſimis olim gentibus communem. Nam *optimum quemque*, ut Tacitus L. Hiſtor. ſcribit, *electio invenit*. Quamvis, ut dicam, quod ſentio, electus ab Abiponibus Caziquius non habet, quod ſibi plaudat, neque neglectus, quod plangat, vel invideat; Neque enim hic rei alicujus jacturam, nec ille emolumentum inde ſentit. Caziquii nomen apud Abipones ſtrepitat equidem, ſed oneris plus, quam honoris, multum ſæpe periculi, nihil omnino quæſtus adfert. Etſi, ut tritum ſonat proverbium, præſtet lepuſculi caput, quam leonis caudam eſſe, miror tamen, inveniri unum aliquem, qui Abiponum caput eſſe, ambiat. Caziquium enim ſuum nec ut dominum reverentur, neque tributo, obſequiisve quod ſolenne aliis nationibus, venerantur. Haud illi judicis, rerum arbitri, reorumve vindicis jura tribuunt. Temulenti a temulentis non raro trucidantur. Fœminæ à fœminis coorta in rixa ſæpius cruentantur. Per juvenes gloriæ, prædæque avidos equorum greges Hiſpanis, queis pax promiſſa, rapiuntur, quin & illorum cædes clanculum patrantur. Novit hæc Caziquius, neque tamen hiſcere audet. Quod ſi iſta flagitia, quæ quidem barbari meritis,

ritis, virtutibus, victoriisque adnumerant, vel verbo asperiori multaverit, proxima in compotatione pœnas dabit, ebriorum pugnis tundendus pessime, & ceu Hispanorum amicus, otii, quam suorum amantior conviтiis palam onerandus, Ychamenraikin apud Riicahe, Narè apud Jaaúcanigas Caziquii principes quoties eheu id senserunt! E compotantium cœtu tumentes oculos, colaphis tuber caput, liventes genas, vultumque Iridis instar coloribus distinctum persæpe domum retulere.

Verum etsi Caziquium nec judicem timeant, nec dominum colant Abipones contubernales, Ducem tamen, ac belli gubernatorem sequuntur veluti commilitones, quoties vel offendendus hostis, vel repellendus; Non desunt tamen, qui sequi nolint, cum Caziquius *authoritate svadendi magis, quam jubendi potestate audiatur*, quod Cæsar de Germanis olim Principibus asseruit. Ut primum de aggressionis hostilis periculo percrebrescit fama, Caciquii partes sunt: suorum securitati consulere: Telorum supellectilem augere; Equos, qui remotioribus in campis pascuntur, in loca tutiora adducere suos jubet. Excubitores noctu, exploratoresque quaquaversum emittit. Vicinorum suppetias, fœderaque procurat. Dum congrediendum cum hoste, equo sublimis præcedit suos, & in fronte aciei, quam instruxerat, persistit de hostium numero, quam de suorum constantia minus angendus. Ut enim volucres, una illarum sclopi ictu prostrata, avolant reliquæ; sic Abipones paucis commilitonum seu mortibus, seu vulneribus perterriti ducem destituunt suum, & qua qua effugii patet locus, pernicibus equis dilabuntur de incolumitate sua, quam de victoria solicitiores. Verum, ne divæ veritati sim injurius, fatendum est, huic nationi heroes neutiquam

deesse suos. Multi sæpe sociorum inter funera intrepidi perstant; Vulneribus perfossi licet, multoque cruore manantes locum, quem dimicando ceperant, retinent mortui. Jam gloriæ aviditas, jam efferatum vindictæ studium, jam effugii desperatio natura trepidis magnanimitatem inspirat, quam suspiceret Lacedæmon, quam suis in bellatoribus optat Europa.

Cæterum libertatis perinde, ac vagationum amantes sui juris esse, nullo fidelitatis sacramento obstringi volunt Caziquio. Hoc nec veniam rogato, neque invito sua quisque cum familia, quoquo lubet, demigrat, alterique se adjungit Caziquio. Pertæsus secundum ad primi contubernium impune regreditur. Istud & frequentissimum, & nemini mirum, nisi qui ignoret, quam fluxa Indorum fides, quam desultoria in omnibus voluntas. Rumor incertis etiam, vel de veritate suspectis authoribus spargatur: Hostes paucis post diebus adfuturos, satis est. Multi vitæ, quam famæ jacturam magis reformidantes Caziquio terga vertent suo; suis cum familiis recedentes ad nota sibi latibula properabunt. Ne tamen vel desertores, vel meticulosi dicantur, venatum se excurrere, ajunt. Hinc toties novas colonias barbaris aggressoribus plenas, incolis defensoribus prope vacuas soli defendimus sacerdotes, astu plerumque & comminatione, non vi usi. Periculo, aut periculi suspicione discussa ad suos demum redeunt contubernales fugaces illi heroes, quin tamen illis timiditatem objicere liceat, quamvis timorem abitus, securitatem reditus causam fuisse, nemo unus ignorarit.

Si quando in mentem venerit Caziquio excursionem hostilem in exteros quosvis suscipere, compotatio publica adornanda est. Præsentes dum jam

mel-

melleo illo potu incaluere, invitanti ad bellum Coziquio promptissime operam addicent suam, festivas inter vociferationes triumphum ante victoriam cantabunt singuli, & (quis credat?) quod inter pocula promisere temulenti, sobrii stato tempore exequentur perdiligenter. Tantum ponderis habet gutturis irrigatio ad Barbarorum animos captandos. Amore amorem, ut ignem igne, accendi: liberalitate parari amicos, decantata sunt per Europam adagia, apud Abipones longo a nobis usu probata. Contubernales frequentes, morigeros, sui studiosos numerabit Caziquius, a quo repulsam ferat nemo. Verba dulcia, amica facies, benevolentiæ significatio, nisi beneficentia accesserit, parum possunt apud hos Barbaros. Quidquid illis seu in mentem, seu in buccam venerit, a Caziqnio solent postulare, sibique, illum suo obstrirgi officio ad explendas omnes omnium petitiones, sibi persuadent. Quod si quid iis negaverit, negant illum Capitaneum, negant nobilem esse, contumeliosoque Indi sylvestris nomine: *Acami Langraic*, impudenter perstringunt. Nullum, quo a Gregariis quibusque distingueretur, insigne nec in armis, nec in vestitu circumfert Caziquius, nisi illnd dicas, quod veste plerumque usu detrita, obsoletaque utatur. Nova enim, ac eleganti, quæ heri ex conjugis suæ textrina prodiit, indutus si compareat in foro, primus, quem obvium sibi habuerit, audacter, inclamabit: Da mihi hoc indumentum, *tach' cauê gribilalgi.* Nî prompte illud porrexerit, risui, contemptuique erit omnibus, rerum snarum tenax, ac sordidus audiet passim: *Apalaic retá.* Interdum grandius quid petituri dum me accesserant, manu humerum meum demulcentes voce blanda: Pater mi, ajebant, magnus tu enimvero es Capitaneus! *Paý! Acami Capitâ Latenc.* Qua

quidem honorifica compellatione me amice commonitum voluere, a Capitaneo alienum esse suis negare quidpiam. Hinc, cum sæpe res, quas poscunt, nec mihi in promptu essent, neque fors Amstelodami in ulla uspiam institorum taberna prostarent, mox negavi, Capitaneum me esse, repulsam ut æquo animo ferrent, illamque non tenacitati, sed inopiæ tribuerent meæ. Ast surdo canitur fabula. Patris excusationem tergiversationem interpretantur, plenoque illi ore: Quam mendax, quam parcus es! *Quemen oahargek! quemen apalaic* non sine utriusque risu acclamant. Illos Caziquios asseclis abundasse, expertus sum, qui in prædis agendis impigri, fortunatique, qui ab avaritiæ sordibus intacti prolixa liberalitate sua omnia in contubernales effundunt suos. Ad Kaapetraikin, & Kebachin Caziquios in paucis celebres magni quondam fiebant commilitonum concursus, quia prædandi assiduitate, dexteritateque eminuerunt; Extrema jam senectute decrepiti, excursionibus impares, ac vel ideo inopes non nisi sanguine propinquos suo in contubernio retinuere.

Illud silentio haud prætereundum: Abipones neutiquam recusare fœminarum nobilium gubernationem, Britannorum veterum exemplo, de quibus Tacitus in Agricolæ vita: *Solitum quippe Britannis fœminarum ductu militare.* Fuit sane, me apud illos agente, matrona patritio genere orta, quam Abipones *Nelareycatè* nobilem gubernatricem seu Capitaneam appellabant, quæque suo in contubernio familias aliquot numeravit. Illius originem, majorumque merita honore prosequebantur Cæteri. Reges ipsi Catholici, eorumque gubernatores Caziquiorum, cujus demum cunque nationis sint, in America nobilitatem agnoscunt, eosque singulos do-

mino-

minorum titulo dignantur, præfixo ſemper, ut apud Hiſpanos moris, eorum nominibus *Don* vocabulo, ut ex decretis, literisque Regiis liquet. Mos quoque per omnem, quæ Hiſpanici juris eſt, Americam obtinuit, ut Indorum Caziquii, poſtquam ſacro fonte luſtrati Regi Catholico fidelitatis dixere ſacramentum, illud quale quale ſuum dominium, quod prius in ſubjectos ſibi barbaros barbari adhuc dum habuere, porro retineant ipſi, eorumque poſteri. Quod apud Quaranios maxime obſervatur hac tamen lege, ut & ipſi hi Caziquii, & illorum ſubditi Indi pareant Capitaneo, cæterisque oppidi proceribus, qui calendis Januarii quot annis ritu Hiſpanico eliguntur, & a Regio Gubernatore confirmantur. In quovis Quaraniorum oppido Caziquii Complures degunt, quibus, ſi habiles ſint, etiam magiſtratus officia ſæpius deferuntur, ne Indi, Americanam nobilitatem ſperni ab Europæis, ſuſpicandi habeant occaſionem. In S. Joachimi oppido, cui præfui, quinque Caziquii numerabantur. Don Ignatius Paranderi D. Michael Yeyù. D. Marcus Quirakerà. D. Joſephus Xavier. D. Michael Yazukà, qui Capitanei (Corregidor dicitur ab Hiſpanis) munere fungebatur annos complures. Hic in ſylvis natus licet chriſtianæ diſciplinæ non tenax modo, ſed & intrepidus cuſtos fuit, ac omni laude ſuperior. Quod ſane rarum, mirumque. Experti ſumus equidem paſſim, Caziquios plerumque plebejis ſtupidiores eſſe; & ad publica oppidi munia minus habiles. Ut ut veriſſimum illud: Ab aquilis non generari columbas; ſæpe tamen & certum alterum: Heroum filii noxæ. Quis igitur vitio det Abiponibus, quod ſæpius ſpreto natalium jure ſuffragiis Capitaneum deſignent ſuum, qui licet obſcurus genere, ſed virtute militari reliquis clarior. Idem factitaſſe Ger-

manos veteres Tacitus ait: *Reges ex nobilitate, Duces ex virtute ſumunt.* De moribus German. §. 7.

CAPUT XIII.

De victus, itinerum, aliisque œconomicis Abiponum rationibus.

Feri Abipones ferarum ritu victitant. Nil ſerunt, nil metunt. Nulla illis agri colendi cura. Naturæ inſtinctu, majorum inſtitutione, ipſaque adeo experientia docti nôrunt, qui terræ, arborumque fructus, qua anni parte ſponte ſua proveniant, quæ feræ, quo loco ſuppetant, quibus artibus capiendæ. omnibus omnia iſtic communia. Etenim nulli, ut apud noſtrates ſolet, territoriorum, fluminum, nemorumque domini, qui, excluſis cæteris, venationis, piſcationis, lignationisque jura ſibi vendicent ſolis. Quidquid per aerem volat, aquis innatat, in campis, ſylvisque ultro naſcitur, primi capientis eſt. Ligonem, ſtivam, ſecurim ignorabant Abipones, ſagitta, haſta, clava, equus inſtrumenta illis ſunt, quibus, quidquid ad victum, veſtitum, habitationem pertinet, ſibi conquirunt. Cum non omnis omnia ferat tellus, cum varia variis anni temporibus naſcantur, iisdem ſtativis inhærere diu illis haud licet. Ex loco in locum demigrant, ubi certa famis, ſitisque remedia in promptu ſint. Campi ſtruthionibus, eorumque ovis copioſiſſimis, damu-

mulis, tigridibus, leonibus, diverſo cuniculorum, animalculorumque, quæ Americæ propria, genere abundant, maxime perdicum examinibus. Fluminum majorum litora cervi frequentes, hujatibus ſimillimi, pervagantur. A' paluſtribus locis, ubi ſylva in conſpectu, ſuis ſcilicet elyſiis, aprorum innumeri greges raro abſunt. Nemora præter alces, urſos formicarios ſimiorum, pſittacorumque ingentes cateruas alunt. In amnibus, lacubusque, qui omnes piſculentiſſimi, lupi, canes, porci aquatiles, lutræ innumeræ, anatum, anſerumque agmina præſto ſunt. Teſtudinum prægrandem multitudinem taceo, cum iis neque Abipones, neque Hiſpani Americani veſcantur in Paraquaria. Statis temporibus corvorum aquatilium pullos innumeros ad fluviorum ripas colligunt, & in menſæ ſuæ deliciis numerant. Abſint hæc omnia, tot arborum fructus eſculenti, mellis præſtantiſſimi alvearia vix uſquam deſiderabuntur. Solæ diverſiſſimi generis palmæ eſcam, potum, medicinam, habitationem, veſtem, arma, & quid non? quærentibas ſuppeditabunt. Sub terra, quin & ſub aqua radices naſcuntur, eſurieutibus ſaltem opportunæ. Siliquæ Græcæ, quam S. Joannis panem vulgus appellat, duplex ſpecies per majorem anni partem fere ſuperſtes & cibum, & potum ſaluberrimum, nec palato inſvavem præbet. En munificum etiam adverſus eos, a quibus non colitur, Deum! En aureæ ætatis rudem imaginem! Exiguo, & prope nullo labore, quidquid ad quotidianos vitæ uſus pertinet, obvium ſibi vident Abipones, monetæ omnis ignari, commode tamen neceſſariis inſtructi, ſi pertinaciore Cœli ſiccitate exareſcant amnes, vel deſertiſſimis in campis ad ſitim levandam ſub Caraquatæ (de qua plura alio in loco) foliis latentem aquam detegent. Pomula aquei liquoris plena,

quæ peponibus ſimilia, ſub terra naſcuntur, exugent. In fluvii arefacti alveo puteum haſtâ cavabunt, e quo undam & ſibi, & equo ſufficientem, videbunt ſcaturire. Hiſpanus per has Americæ ſolitudines ſiti tabeſcit, quia illi vel iſtorum cognitio, vel patientia defuit laboris.

Vitæ ſubſidia cum nec uno in loco ſemper collecta proſtent, neque longiori tempori, ac majori contubernalium numero ſufficiant, ſæpius mutandæ ſedes Abiponibus, ultro citroque commeandum eſt. Nulla viarum aſperitate, nullo locorum intervallo ab itinere abſtinentur. Equis enim, quorum iſtic incredibilis multitudo, ac celeritas, iter faciunt viri, fœminæque, & quotidie, ſi feſtinare lubeat, multa terrarum ſpatia emetiuntur. Juvat hoc loco equi apparatum, equitationisque methodum perſtringere. Frenum, quo uti ſolent, e cornu bubulo, quatuor lignellis craticulæ in morem transverſis, duplicique loro, quod habenarum loco eſt, utrinque alligato componitur. Plerique jam ferreis utuntur frenis, iisque mirum in modum ſuperbiunt. Ephippia Anglicanis, vel rectius clitellis perſimilia ex crudo boum corio, juncis farto, conſiunt. Nullus olim ſtapedum uſus plerisque. A' dextro latere in equum aſſiliunt viri. Dextra habenas, ſiniſtra haſtam prælongam prehendunt, cui innitentes uno pedis utriusque impetu in altum proſiliunt, indeque in equi dorſum præcipites delabuntur. Eadem ex equo deſilientium velocitas, quæ nobis Europæis admirationi, illis in velitationibus magno uſui eſſe ſolet. Calcaribus etiamnum abſtinent. Quatuor pellis bubulæ veluti tabellas complicatas pro ſcutica adhibent, queis equos ſeu novitios, ſeu refractarios ad curſum extimulant non quidem doloris ſenſu, ſed ſtrepitus,

quem

quem edunt, terrore. Fœminis eadem, quæ viris, ſunt ephippia, niſi quod illæ, elegantiæ ſcilicet ſtudioſiores, ex candida vaccarum pelle ſua confici malint. Eodem, quo mares, modo divaricatis cruribus equo inſident, hocque ſitu citra ſexus ſui perniciem plurium ſæpe dierum itinera feliciter abſolvunt. Sunt tamen, qui acerbiſſimos dolores, & incredilem partus difficultatem, quam equeſtres Barbaræ plerumque experiuntur, huic virorum ritu equitationi tribuant. Per ejusmodi enim duris in ephippiis ſeſſitationem puellis teneris tenerum adhuc os coccygis, oſſaque finitima comprimuntur adeo, ac indurantur, ut mirum non ſit, matres dein in fœtu enitendo laborare plurimum, ac fere periclitari. Id ex medici per Europam clariſſimi, mihique familiaris ſententia adnotandum putavi, ut Europææ fœminæ, virorum in equitationibus modo imitatrices audaculæ ſibi Cavere, filiabusque adoleſcentulis conſulere diſcant, quibus neque domi eadem de cauſa diuturnior ſeſſio, aut durior toleranda, minus imperanda videtur. Equum inſcendere dum volunt Abiponenſes fœminæ, a ſiniſtro latere Europæorum more in ejus collum umbilicotenus ſe jactant, indeque apertis utrinque pedibus ad ephippia, pulvino deſtituta, recedunt, conſidentque; Nec illorum duritie, dum ad plures ſæpedies iter producitur, offenduntur, e quo conjicias, Abiponum cuticulam pelle bubula eſſe duriorem, quæ ſcilicet quotidianis ſine pulvino equitationibus dudum occalluerit. Sine ephippiis diu, multumque obequitantes Indi equi dorſum lædunt frequenter, ſauciantque, quin tamen ipſi lædantur. Jam, dum cum familiis ſuis alio migrant, itineris rationem accipe. Uxor, præter mariti arcum, & pharetram, domeſticam omnem ſupellectilem ſuo portat equo, puta ollas,

 cucur-

cucurbitas, cantharos, conchas, lanei, & Goffipini fili volumina, textrinæ inftrumenta &c. Hæc manticis, quæ hinc atque hinc ex ephippiis pendent, ex aprugna pelle confutis clauduntur; Ibidem & catuli, & fi quem habeat, infantulus locari folent. Præter hæc ftoream grandem bene convolutam duabus cum perticis ad figendum, ubi ubi collibuerit, tabernaculum; Pellem item bubulam fluviorum in trajectu pro cymba ferrituram ex ephippiorum lateribus fufpendit. Neque in viam fe dabit unquam mulier, quin ftipitem fpatulæ inftar, utrinque latum; in medio teretem, duriffimo e ligno affabre factum, duasque circiter ulnas longum fecum habeat; Hoc equidem ad cavandas radices efculentas, ad fternendos ex arboribus fructus, ramosque aridos foco alendo idoneos, quin & ad hoftium, fi qui per viam occurrant, arma, capitaque confringenda feliciffime utitur. His farcinis, quibus vix camelum parem crederes, fœminarum equus oneratus quovis in itinere incedit. fed majora audi. Eidem fæpe equo binas, ternasve feu mulieres, feu puellas infidentes videas. Non quod finguli fingulis deeffent equi, nam his abundant omnes, fed quod mutua confabulatione perinde, ut Europææ, mirum in modum delectentur, filentii, folitudinifque hoftes juratæ. Cum equi plerique omnes, nifi affveverint, plurium fefforum impatientes fint, fœminarum fibi infidentium triadem humi fternunt illico, aft fere citra noxam, nifi quod iftæ Amazones cochlearum inftar per cefpitem reptantes liberaliter explodantur a fpectantibus, & ipfæ mutuos inter cachinnos in rufticum fonipedem eluctari denuo conentur toties, quoties excutiuntur.

Lon-

Longo procedens ordine equitum fœminarum agmen a fronte, a tergo, a lateribus ingens canum, ceu ſatellitum, turba comitatur. Singulæ, conſcenſo jam equo, canes circumſpiciunt ſuos. Vel unus e plurimis, quos habent, deſideretur, illud ſuum, quo vocare eos ſolent: *Nè Nè Nè* omni vocis contentione tercenties repetent, dum omnes denique videant confluxiſſe. Illud mihi ſæpe admirationi fuit, quod, numerare cum neſciant, ſi vel unicus tanto ex grege abſit, protinus animadvertant. Neque vitio illis danda tam anxia de canibus ſuis ſolicitudo; His enim, cum vertagorum more in venatu damarum, lutrarum, ſtruthionum utilem navent operam, veluti nutritiis, & prope dixeram, promis condis per viam utuntur. Hunc maxime in finem familia quævis permultos canes numerat, & vero nullo negotio alit. Carnis equidem incredibilis fere copia ſuppetit; Etenim cæſorum pecorum caput, cor, pulmones, viſcera, quibus Europæi uti nôrunt, apud barbaros rejectanea ſunt, & canum dapes. Ut adeo in controverſiam vocari jure poſſit: Num canes hi venatici alimenta heris, an heri canibus debeant. Cibariorum affluentiæ canicularum Paraquarienſium fœcunditas reſpondet. Vix unquam duodecim catulis pauciores, ſæpe plures uno partu effundunt. Hoc propinquante ſcrobem altiſſimam, ubi tuto fœtus deponant ſuos, pedibus fodiunt. Ad hanc portam relinquunt anguſtam. Deſcenſus cum mæandris, ac flexibus tanta arte paratur, ut Cœlo quantumvis pluvio ad ſubterraneam hanc ſpeluncam nihil prorſus aquæ pertingat. Cibi, potusque gratia inde prodit quotidie mater, heroque ſuo, ſuam veluti excuſatura abſentiam, ingemiſcens adulatur prolixis caudæ motibu; Multis a partu diebus ſuam denique ſobolem palam

oſten-

oſtentat, quin tamen ejus jactare poſſit venuſtatem, niſi rebus parvis, etiam nefrendulis, gratiam ineſſe dicamus. Etenim Indorum canes nullis elegantiæ prærogativis gaudent. Mediocri fere ſunt corpore, colore, ut apud nos, diverſiſſimo. Nec pumilos, ut Melitenſes, vel Bononienſes, neque moloſſos, quales ſunt laniorum; Minus canes villoſi, criſpique pili, proniſſmi ad aquas & ad omnia dociles, uſquam videas, niſi apud Hiſpanos, quibus ejusmodi Europæis navibus interdum adferuntur. Verum quamvis pulchritudine non emineant Indorum canes, eximia ad inveſtigandas feras narium ſagacitate, pari ad eas aſſequendas alacritate, vigilantia, ſinceraque in heros ſuos propenſione Europæis minime ſunt poſthabendi. In quavis Abiponum colonia aliquot canum centuriæ cum excubent ſemper, formidabili, quem noctibus ſingulis una omnes voce edunt, ejulatu, latratuque ob quemvis leviſſimum motum continuo interturbatus nobis identidem ſomnus fuit, nunquam tamen, ne a barbaris hoſtibus opprimeremur repente, ſecuritas præſtita. Iſtorum equeſtris turma in coloniam ſæpius irrepſit canibus univerſis altum tacentibus. Nemo tamen Abiponum eſt, qui illis ſuccenſeat; Nam magicis præſtigiatorum hoſtilium artibus faſcinatos eos obmutuiſſe, ſtolidi credunt. Crederem ego Indorum canes ex canum Romanorum proſapia eſſe, qui Gallis in Tarpejam Capitolii rupem aſſilientibus, anſerum tamen clangore proditis, præter morem ſiluerunt. Sed ignoſcendum vigilantiſſimis beſtiis, ſi diurna curſitatione laſſatæ cum bono quandoque Homero noctu dormitent. Fateor equidem me meam incolumitatem, dum per barbarorum, tigridumque inſidiis obnoxia deſerta toties iter facerem, canis mei vigiliis, ac cuſtodiæ in acceptis

refer-

referre, plusque mihi in illo fiduciæ, ac ſecuritatis noctu fuiſſe, quam in centum Hiſpanis, Indisque viæ comitibus. His enim rhonchos trahentibus excubitor ille meus, ſi quid a feris periculi imminebat, latrando indicavit. Illud Paraquariæ felicitatibus adnumerandum, quod canum & quorumcunque pecorum rabiem, atque adeo formidabilem Europæis provinciis hydrophobiam omnino ignoret. Singulare id Numinis beneficium, & inter naturæ miracula connumerandum, cum iſtic beſtiæ & Cœli æſtuantis caloribus, & diuturna ſiti, deficiente ad plures leucas aqua, frequenter excrucientur; Iſta equidem alibi rabiei origo paſſim putantur. Verum relicto jam denique fœminarum equitantium, canumque eas comitantium agmine ad Abipones illarum maritos oculos, animosque convertamus.

Sarcinis fœmineo equitatui commiſſis Abipones ſola haſta armati iter faciunt, ad dimicandum, ſi occaſio ferat, ad venandum quoque ut ſint expeditiores. Si quos ſtruthiones, ſi damas, ſi cervos, aproſve, aliam quamcunque feram ſi conſpexerint, equis pernicibus aſſequuntur, haſtaque trucidant. Si, quod cædi, edique poſſit, eſurientibus haud occurrat, injecto igne campus accenditur, alto fere, aridoque gramine ſylveſcens. Sub hoc latitantes feræ Turmatim proſiliunt, & dum fugiendo campi incendium declinant, in crudeles Indorum manus incidunt, ligno, ferro, laqueo mox perituræ, & ad focum aſſandæ. Deſint cætera omnia, cuniculorum, queis campi ſcatent, examina jentaculum, prandium, Cænam dabunt. Ad ignem, ubi ubi libeat, eliciendum nec ſilice illis, neque chalybe opus eſt. Utrumque ſupplent ligna duo palmum circiter longa, quorum mollius alterum, alterum du-

rius.

rius. Primum illud, in medio non nihil terebratum, supponitur. Duriusculum lignum glandis instar acuminatum, mollioris foramini applicitum celerrima utriusque manus rotatione circumagitur eo fere modo, quo choccolatæ potio in spumam redigi solet. Mutuo hoc, velocissimoque ligni utriusque affrictu, ac collisione ex ligno blandiore scobs, seu pulvisculi deteruntur simul, simul flammam, ac fumum concipiunt protinus; His paleas, fimum bubulum, folia sicca, vel quidquid aliud manibus comminutum admovent Indi, ignis pabulum futurum. Lignum blandum, quo utuntur, jam ex arbore Ambaў, jam ex arbustis caraquata, jam ex cedro, jam ex aliis sumunt; Durius vero, quod manibus circumagitur, ex Tatayĭ, quæ arbor materiem crocei doloris, & buxi instar durissimam, tingendis flavo colore telis aptam, moraque nostratibus omnino simillima præbet. Alii alia ligna hos in usus adhibent in meridionali, septentrionalique America, uti de barbaris Huronibus, & Iroquæis constat. In Europa quoque, ut ignem elicerent, lignum ligno terebatur olim, si Plinio fides, qui l. 16. c. 40. scribit: *Arbores calidæ morus, laurus, hedera, & omnes, e quibus igniaria fiunt.* Lignum qualecunque idem præstare, suspicor. Vidimus equidem plaustra, dum longiori tempore axis a rota teritur, fricaturque, inflammari, ac denique conflagrare. Molarum rotis idem aliquando fatum erat. Vestales virgines Romæ ligno novum ignem, si prior illarum incuria extinctus, elicuisse, scribunt. Festus in voce: *Ignis vestalium* ait: *Mos erat tabulam felicis materiæ tamdiu terebrare, quousque exceptum ignem cribro æneo virgo in ædem ferret.* Abipones, ut semper in promptu habeant, duo illa ligna suis in ephip-

ephippiis recondita ubique circumferunt, & uno vocabulo *Neènatà* appellant.

Sicubi per viam meridiari illis viſum, aut noctem agere, ſolerter eam circumſpiciunt ſtationem, quæ aquationis, lignationis, pabulationisque præbeat opportunitatem. Si quis inſidiarum hoſtilium vel rumor, vel ſuſpicio, in latebras ſe abdunt loci natura inacceſſas, ut periculorum ſuſpicioſi, ſic in ſitu, qui ſecuritatem polliceatur, deligendo verſutiſſimi. Diceres, illos, ſuis cum familiis, quo quo migraverint, ubique, ac ſemper domi eſſe; Etenim, ut cochlea ſuam concham, ſic iſti ſtoreas, quæ illis pro domo ſunt, circumferunt. Binæperticæ humo infiguntur, quibus ſtoream duplicatam, aliquando triplicatam, ut ventum, aquamque excludat, annectunt. Ne ſolum, ubi cubant, ex nimbo præcipiti madeſceret, ad tabernaculi ſui latera canaliculum providenter fodiunt, per quem aquæ concurrentes aliorſum derivantur. Equorum gregi ad paſcua dimmiſſo equam cicurem, quæ tintinnabulum e collo ſuſpenſum circumfert, fere aſſociant; Ab illius conſpectu haud recedunt; A' tigride imminente territi ſi ſpargantur per campum, ad illam redeunt ſubinde, ceu ad matrem; Hiſpani equidem *La madrina:* Abipones *Latè* eam vocant, quod matrem ſignificat. Equis tamen pauculis compedes molli e corio injicere ſolent, ut ad carpendum gramen ambulare quidem, non tamen longius a tentoriis abire queant, promptique ſint ſeſſoribus, ſi quæ neceſſitas equitandi noctu ingruerit. Flumina vadi, pontis, cymbarumque expertia, qualia paſſim occurrunt, natando trajiciunt non viri tantum, ſed & fœminæ quantumvis adoleſcentulæ. A' teneris natatui aſſveſcunt Abipones, ut equitandi celerita-

ta-

tate volucrum, sic nandi promptitudine piscium rivales, rectius dicam, æmuli. Proles, ephippia, impedimenta reliqua pelle bubula, quæ illis pro Cymba est, transmittunt. Hanc Abipones *Ñatac*, Hispani *La pelota* appellant, ejusque usum in fluminum minorum trajectu sibi perinde familiarem habent. Illius structuram rudem accipe. Corium bubulum, pilosum, crudum, nullis alutariorum artibus subactum, maceratumve resectis pedum, cervicisque extremitatibus fere quadratur. Quatuor illius latera ad duorum circiter palmorum altitudinem, ut petasi solent, elevantur, & loro ligantur singula, ut in altum erecta maneant tetragoni figura retenta. Pelotæ fundo injiciuntur ephippia, aliæque sarcinulæ saburræ loco, quibus flumen trajecturus insidet in medio, habita æquilibritatis cura. Uni pelotæ lateri perforato lorum funis instar innectitur, quod vel dentibus, vel manu prensat altera, altera remigans natator pelotam per flumen trahit svaviter nulla insidentis seu jactatione, seu periculo, licet fluctus perstrepant undique, a vento asperiore concitati. Natator, si ex innato aquis frigore correptis spasmo pedibus natare porro haud posset forsitan, & aquis hauriretur, pelota incolumis undarum cursu ad obviam ripam deportabitur. Si flumina latioris alvei, cursusque rapidioris superanda, natator viribus diffidens suis caudam equi ante se natantis manu altera tenet, se seque sustentat, altera pelotam ducit. Si ex me quæras, quot fluvios, quot vicibus coriacea hac navi trajecerim, ingenue tibi fatebor, me id ignorare. In tot enim, tantisque profectionibus prope quotidiana mihi fuit ejusmodi navigatio, ac non raro eodem die sæpius repetita. Primis vicibus mihi, ut Europæis cæteris, formidabilis hæc, atque adeo periculi plena videbatur; Sed crebriori mox experimento

do-

doctus & me, & imaginarium periculum risi, semperque malui corio, quam titubante, semperque versatili lintre, vel cymba per quodvis flumen traduci. Si imbre in plures dies producto corium, pro pelota serviturum, madefactum, telæque instar emollitum fuerit (quod in itineribus mihi sæpe usuvenit) quatuor pelotæ lateribus, ac fundo arborum rami insternuntur, quibus corium fulcitur, ac ad tutiorem fluvii trajectum firmatur. Hispanorum militum præfecti Americani natare, quamvis id sciant, nolunt, ne coram suis nudare se cogantur. Hinc adversum in litus tendentes pelotam inscendunt, quam, alienam natatoris se trahentis operam dedignati, binis arborum ramis, furcam referentibus, ceu remis impellere consveverunt.

Europæis quoque bellatoribus pelotæ usum aliquando profuturum, nil dubito, maxime in subitis adversus hostes, qui oppositam occupaverint ripam, excursionibus. Majori enim & sumptuum, & temporis compendio coria bubula, quam pontes cuprei, & cymbæ, quoquo lubuerit, transportarentur; Hæc plaustris, bestiisque indigent, illa militum humeris possunt aliquamdiu bajulari. Horum ope maximo silentio transmitti flumen noctu poterit, quod ad opprimendum hostem facit plurimum. Cymbæ enim remorum strepitu se eminus produnt hosti. Tribunus clari inter milites nominis meum de pelotæ usu consilium minime spernendum putavit. Præter alia hydraulicarum artium, quæ in bello sunt usui, spectacula corio bubulo, ut dixeram, instructo quempiam per Danubii fluctus navigantem exhibuit conferta nobilissimorum spectatorum multitudine rei novitatem admiratione non minus, quam plausibus prosequente; veritus,

ne corium aquis aliquamdiu immerſum molleſceret denique, ad illius firmitatem majorem pelotæ fundo per quatuor ejus latera totidem perticas ferreas, veluti ſubſcudes inſeruit. Verum, bona viri ſagaciſſimi venia dictum ſit, ſuperflua, quin & noxia hæc illius erat induſtria. Præterquam enim, quod illo ferri pondere pelota magis deprimatur, corium bubulum pluribus licet horis aquis innatans parum ſuæ duritiei amittit. Ad fluminum Paraquarienſium equidem ripas vidimus quotidie idem omnino corium tranſvehendis mercibus, queis plauſtra onerata veniunt, per integrum ſæpe diem citra periculum adhiberi. Corium enim licet madeſcat in ſuperficie, non niſi plurimarum horarum intervallo ab aquis penetratur. Novimus, clandeſtinos vetitarum mercium nundinatores naviculas e pluribus coriis conſuiſſe, illorum commiſſuris pice nautica, vel ſebo cineribus mixto diligenter perunctis, ut aquam, & periculum omne excludant. Coriaceæ hæ ſcaphæ præ ligneis id habent commoditatis, quod, cum mercibus exoneratæ leviſſimæ ſint, manibus in continentem pertrahi, in propinguis ſylvis, vel inſulis exſiccari, ac abſcondi poſſint, quoties, ne a ſpeculatoriis Regiorum militum per argenteum flumen navibus intercipiantur, periculum ſibi timent clancularii illi negotiatores. Hiſpanorum aliquis, cui aurum pluris, quam vita, unico vectus corio, remisque uſus ex urbe Boni aeris ad coloniam Sanctiſſimi Sacramenti navigaverat, trajecto ſcilicet flumine argenteo illic quindecim circiter Leucas Lato, ut Gubernatori Luſitano nova, quæ Hiſpana navis attulerat, Luſitanis optabilia, ſolus, primusque nunciaret, ampliſſimam utique ab illo remunerationem expectans. Auri fames illum cæcaverat, ut trajectus periculum vel non videret, vel ſperneret. Quamvis

Cœlo

Cœlo ſudo, aere pacato, tranquilloque flumine metam incolumis attigerit, quod tamen tanto aquarum Gurgiti, in momenta ſingula viciſſitudinibus obnoxio, corioque imbecilli crediderit ſe ſe, temeritatis notam apud cordatiores Hiſpanos haud effugit, admirandusque omnibus, nemini imitandus videbatur. Hæc eum in finem à me memorantur, ut coria horis, leucisque plurimis aquæ immerſa neutiquam infirmari, perſpicias. Qui ſecuritati ſuæ luculentius conſultum volunt, pelotas duas duobus loris connectunt eo prorſus modo, quo per flumen Uruquayum lintres bini transverſis trabibus copulantur. Alter enim alterum ſuſtentat. Cæterum, an ad pontes, lintresque tenuioribus ſaltem in fluviis ſupplendos belli uſibus corium bubulum aptari aliqua ratione queat, id rerum novarum machinatoribus cogitandum, excogitandumque relinquo. Fors illis arduum non fuerit, inventis ſeu addere quæpiam, ſeu demere.

Abipones grandiora etiam flumina equites ingrediuntur. Aſt vado jam jam deficiente ex equo in aquas deſiliunt. Equi jam natantis habenas dextra tenent, eademque remigant. Siniſtra haſtam largiſſimam, ſuamque, ne madefiat, veſtem in aere veluti ſuſpenſam complectuntur. Equo, ſi fluminis impetu ſe ſe abripi patiatur, colaphos identidem infligunt, ut his veluti ſtimulis in viam reductus deſignatam adverſi litoris partem aſſequatur, quæ ſcilicet nec paluſtris, nec ſylveſtris, neque præaltæ nimium ripæ ſit, atque adeo promptam, tutamque præbeat exſcenſionem. Vidiſſes, riſiſſesque mecum catervatim natantes barbaros ſolo capite ex undis prominentes, ſvaviſſime tamen, uti alii læto in ceſpite ſolent, confabulantes. Inter illos me-

 di-

dius quoties corio insidens timenda flumina sulcavi! Periculi, timoris, meique ipsius pene immemor Abiponum meorum cum fluctibus nugantium tranquillitatem, agilitatemque & aspexi, & suspexi adeo, meis vix ipse oculis ut crederem. Illorum quemque ob tantam cum aquis familiaritatem Neptunm diceres: Quantum audeant, Europæorum fidem superat. Ex S. Ferdinandi Yaaucanigarum Colonia ad urbem Corrientes profecti, quoties lubuit, ingens illud pelagus, quod ex magno flumine Paraquayo, & maximo Parana illic unitis conflatur, natantes natante cum equo Hispanis stupentibus trajecerunt. Hac enim in statione flumen propter latitudinem, altitudinem, rapiditatemque incredibilem ipsis navibus est formidabile, meque cum sociis navigantem toties rerrore implevit, dum illa in Colonia degerem. Olim barbari hi prædones quoties cum longo animalium, quæ Hispanis rapuerant, agmine domum properabant, ingens hoc flumen Austrum versus, ex insula in insulam transeuntes, providenter transmiserunt, ut hac ratione singulis in insulis interquiescendi spatium & sibi, & bestiis natando fatigatis concederetur. Operæ pretium fuerit modum, quo plura equorum, mulorum, boumve millia adversum in litus per majora flumina traducantur, hoc loco explicare. Nunquam totum bestiarum agmen uno impetu, sed earum turmæ ab equitibus illarum terga prementibus, fugamque ex omni latere intercludentibus in flumen compelluntur. Ad id impetrandum aliqui binas erigunt sepes, initio latiores, in ipso litore angustiores, quibus constrictæ bestiæ non nisi binæ, vel ternæ eodem tempore flumen ingredi possint. Præmitti in aquam solent boves, equive cicures, quos abjecta tergiversatione promptius sequentur feroces. Caven-

vendum maximopere, ne impedito per compreſſionem nimiam pedum remigio natandi opportunitas illis adimatur, quia nimium confertis. A tergo, a lateribus Indi natantes, vel cymbula vecti natantibus invigilant Beſtiis, ut deſignata ad oppoſitum litus tendant via; ſibi enim relictæ ſecundo ſe deferri flumine patiuntur, & ad ea loca fluitabunt denique, quæ vel ripis arduis, vel palude, vel arboribus præcluſa exitum negant. Si bos, ſi equus natans in gyrum circumagatur aliquoties, aquarum voragine mox haurietur jam ſui, natatusque impos. Ad hoc impediendum Abipones boves ſeu ſegnes, ſeu refractariolos vel medio in flumine inſcendunt, cornibus utraque manu prehenſis eorum tergo inſident, utroque pede eorum pulſant latera, dum denique ad litus etiam inviti deducantur. Terra potiti terrore in furorem converſo minitabundis cornibus obvia quæque invadunt. Horum metu ipſo in litore præaltam conſcendi arborem, cui incubans boves e flumine emergentes ſingillatim numeraveram, quippe Coloniæ noſtræ uſibus deſtinatos. Tauros feroces, quis credat? in tranandis fluviis ſemper expertus ſum Vaccis Socordiores, quæ, quia timidiores, magis morigeras ſe præbent ductoribus, majorique virium contentione litori inhiare conſveverunt. His, quas dixi, induſtriis multa boum millia me jam ſpectante, jam curante fluvios majores ſat feliciter tranſivere, Indorum mox ſtomachis ſacrificanda. Sæpe alias boves illigatis lintri majusculo cornibus natantes per vaſtiora etiam flumina transmittuntur maxima, quæ cogitari poſſit, ſecuritate. Suſpenſis enim e lintris utroque latere boum capitibus eorum corpora nullam prope natandi ſentiunt difficultatem. Hac ratione viginti boves ſingulis itineribus per flumen Paraquayum è prædio ad Coloniam Roſarii Abiponi-

bus a me conditam traducendos curavi per biennium. Pro lintris magnitudine boves jam plures, jam pauciores illi possunt alligari. Interdum natantium bestiarum agmen a pluribus cymbis, vel lintribus undique cingitur ita, ut a fronte præcedant alii, alii a tergo sequantur, cæteri utrumque latus stipent, impediantque, ne bestiæ natatu lassæ cum flumine defluant, ac a præfixo exscensioni litore aberrent. Verum Abipones, his Hispanorum industriis neglectis, equorum natantium catervas natantes ipsi per quæcunque flumina feliciter transportare norunt. Hanc Abiponum in tranandis fluviis alacritatem Europæis sæpe optabam exercitibus, qui solo fluminis aliquando non maximi interjectu defensum hostem aggredi non audent, etsi cætera, si a natanti milite sine pontium, naviumque strepitu superari flumen posset, ad victoriam pronissima forent omnia. Sed quam rari eheu nantes vasto in exercitu! Insignem profecto castris Austriacis operam præstitere toties croaticæ copiæ, quæ pontibus, navibusque non expectatis natantes adverso in litore hostes, nil hostile veritos, toties oppresserunt. Infinitus sim, si trajiciendi fluminis modos, ac instrumenta, quibus veteres in bello utebantur, commemorem. Ex vegetio, aliisque, si lubet, id disces.

CA-

CAPUT XIV.

De Veſtium forma, materia, ac utenſilium cæterorum fabrica.

Hallucinantur miſere, qui Americanos promiſcue omnes ſola, quam a genitrice ſua acceperant, cuticula veſtitos incedere, ſibi perſvadent. Hic error, multorum animis inſitus, ex pictis, vel æri inciſis imaginibus naſci videtur, dum quiscunque demum Americanus Indus jam hirſuti ſatyri inſtar, jam ut cyclopum aliquis, Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon a pictoribus, chalcographisque perperam exprimitur. Exiſtere in America gentes omni corporis tegumento deſtitutas, non abnuo; Sed hanc corporum nuditatem omnibus communem eſſe, procul a vero abeſt. Quid in cæteris Americæ provinciis, quod ad veſtitum attinet, moris ſit, ſcripſere multi, & plures ex iisdem deſcripſere. Meum eſt de Paraquariis, & ſcilicet de Abiponibus meis, ut nunc ſunt, præcipua attingere. Payaquas, barbariſſimos fluviorum accolas indumenti omnis juxta, ac pudoris neſcios Indi cæteri abominantur. Egregie veſtiti ſibi videntur, dum variis coloribus a capite ad calcem picti, ſphærulisque vitreis ornati, verius dixerim, onerati comparent. Mbayas, gentem equeſtrem, & impudentia Payaquis parem vidimus indumentis abundare, ſed abuti; His enim conte-

gunt ea corporis, quæ omnium patere oculis tuto possunt; Patere sinunt, quæ pudor jubet velari. Abipones, ecquid de Mbayis sentirent, a me rogati: canibus eos similes sibi videri, ajebant, quia adeo impudentes. De illorum impudentia certe, impudicitiisque publicis multa mihi conquesti sunt mei socii, qui illos inter versabantur. Utriusque tamen hujus nationis fœminæ eo vestimenti genere utuntur, ut verecundiæ consulant satis. Greges istorum barbarorum in urbe Assumptionis vidi frequenter. In sylvis, quas Mbae vera, Mborebiretâ alcium patriam vocant, Indos reperi pubetenus tenui velo præcinctos, cætera nudos, Indas vero, etiam infantulas, ab humeris ad talos usque tela alba, quam ipsæ texunt, decentissime vestitas. Idem in Indis sylvestribus, qui per Tapiraquaÿ, & Yeyuÿ litora vagantur, observavi, dum ad S. Stanislai recentem Coloniam à sociis meis turmatim adducebantur. Inda vetula, ejusque quindecim annorum filiola, quas in sylvis Mondaÿ & Empalado fluvios inter inveneram, solo reticulo ex cannabe caraquata contexto, in quo noctu cubabant, interdiu tegebantur, ut adeo eadem supellex pro lecto illis, ac indumento, nimium sane diaphano, esset.

De Abiponibus adhuc barbaris, & qua qua luberet, ferarum instar palantibus id sancte affirmo, omnes sine sexus, ordinis, ætatisque discrimine honestissime semper, ac ritu suo plerumque eleganter vestiri. Ne paucorum quidem mensium infantulam nudam patiuntur. Hanc honestatis curam gens Hispana Paraquariæ, præsertim in Assumptionis, & Corrientes urbibus ut imitaretur, sæpe nequidquam optavimus. Adultiores etiam fœminæ immanem solis æstum causantes rejectis vestibus Verecundiæ quo-

ties

ties publico in foro obliviſcuntur! a ſacris oratoribus non raro clam, palamque propterea reprehenſæ. Veſtis, qua Abipones utuntur, figuram noſſe cupis? Linteamen, centonem, mappam menſæ, vel tapetem quemcunque quadri laterum ſine ulla mutatione, ſine manicarum additione pro veſte adhibent. Telam ejusmodi quatuor laterum ſeu laneam, ſeu Goſſypinam humeris injiciunt ſuis; Ejus extremitatem unam ſiniſtro brachio illigant, dextro, ad quidvis agendum expediti ut ſint, nudato. Laneo cingulo veſtem hanc laneam, quæ variis picta coloribus Ab humeris ad talos defluit, plerumque ad calcem, infra pectus claudunt. In equum inſilientes, ne denudentur, veſtem compreſſis genibus coercent. Calceos enim, femoralia, tibialiaque omnino ignorant, vel ideo ad tranànda flumina, ad curſum, equitationemque promptiores. Præter hanc, quam deſcripſi, veſtem quodcunque aliud telæ genus tetragonum pallii inſtar ſibi injiciunt, quod infra collum nodo connexum eos non ſolum contra frigus tuetur, ſed &, neſcio, quam gravitatem illis aſpergit. Hoc dum habitu equis vehuntur haſtati, crederes, te Fabios, Marios, Scipiones, Epaminondas redivivos intueri. Adeo tota veſtitus conformatio antiquitatem ſpirat. Aliquando dum arbores ſecuri ſternunt, laſſitudinis metu extra aliorum conſpectum veſtem abjiciunt. Non nulli cum barbaris pugnaturi in arenam deſcendunt penitus nudi partim, ut ad tela declinanda ſint eo expeditiores, quo leviores, partim ut vulnera aſpernari videantur, cum plerique alii loricati pugnam ineant, ut alibi referam. Diuturnis in itineribus capite plerumque aperto imbres, cœli æſtum, ventosque excipiunt. Non nulli tamen faſciam laneam rubri coloris fronti circumligant, ingens, me ipſo teſte, adverſus ſolis ardores, doloresque capitis præſidi-

ſidium. Hodie petaſum Europæum, ſi quis illis obtingat, magni faciunt, præſertim adoleſcentes, quibus & Hiſpanorum ephippia cum ſtapedibus, ferrea item frena, mirum quantum, arrident. Idem veſtimentum, quo viri utuntur, fœminis quoque uſui eſt, alia non nihil ratione illarum corpori applicatum.

Hic qualiscunque Abiponum amictus mulierum opus eſt, ac princeps negotium. Iſtas profecto non aſſiduitas modo, ſed & aviditas laboris plurimum commendat. Etenim, ut quotidiana domus negotia taceam, hæ oves tondent: Lanam in fila ſcitiſſime ducunt: Hæc coloribus variis, prout in promptu fuerint, ope aluminis eleganter tingunt: Mox telam ex illis contexunt diverſiſſimis linearum, figurarumque ductibus, ac colorum varietate diſtinctam. Tapetem Turcicum crederes, nobilium in Europa menſis dignum, ſed tegendis Abiponum corporibus duntaxat adhiberi ſolitum. Textrinæ officina, &, e quibus componitur, inſtrumenta arundinibus, lignisque pauculis definitur, quæ complicata citra moleſtiam in itineribus equo circumferuntur. Alia quoque utenſilia parandi ars Americanis fœminis congenita videtur. Norunt, ollas, cantharosque variæ formæ ex argilla fingere non rota verſatili, figulorum more, ſed ſolis manibus. Hæc vaſa argillacea non in furno, ſed aperto im campo lignis circumjectis percoquunt. Neſciunt illa in vitri ſimilitudinem lithargyro incruſtare, ſed rubro primum colore imbuunt, mox ad ſplendorem communicandum glutine aliquo nativo perungunt. Per omne, quod ab Abiponibus habitatur, territorium nives quidem nullæ omnino, pruinæ rariſſimæ; Auſtro tamen pertinacius aſpirante majorem in modum exaſperatur

tur aura, ac leviter veſtitis prope intolerabilis evadit aliquando. Adverſus frigus pallio quodam lutrarum e pellibus concinnato ſe tuentur Abipones. Hoc veſtimenti genus pariter tetragonum operoſe juxta, ac eleganter a fœminis conficitur. Illarum enim eſt lutris canum ope potiſſimum captis pelles detrahere: Detractas paxillis tenuiſſimis, ne rugas contrahant, ſolo affigere. Exſiccatæ dum fuerint lineis, ut in fritillo, quadratis rubro colore expinguntur. Neſciunt equidem Indæ pelles alutariorum more macerare, concinnareque, ſed manibus probe ſubactas, ac emollitas filo pertenui ad hujatum pellionum invidiam tanta conſuunt dexteritate, ut pellium commiſſuræ oculum perſpicaciſſimum fugiant, totumque pallium pellis unica eſſe videatur. Pro acicula ſpinis tenerrimis utuntur, queis, ut ſutores ſubula corium, lutrarum pellem pertundunt, filum tenuiſſimum ex caraquata traduci ut poſſit. Ejusmodi pallium, quod a voce *Nichigehè* lutra nichigherit vocant, & viris, & fœminis commune, ridigior quoties aſpirat aura; Quamvis vetuli, vetulæque has lutrarum pelles ne latum quidem unquem à ſe removeri patiantur, etiam dum maximis cœlum æſtuat caloribus. Pauperiores aliqui cervorum, damarum, tigridumve exuviis induti comparent, Quiritum priſcorum ritu, quos Propertius libro quarto: *Pellitos* dixit, *ruſtica corda*, *Patres*. Pellium ad veſtienda corpora uſum populis prope omnibus olim communem fuiſſe, eademque cum mundo primordia habuiſſe quis neſcit? Hunc enim morem non humano ingenio inventum, ſed ipſo Deo authore inductum ex libro Geneſ. 3. c. accepimus: *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos*, qui paulo ante, *cum cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Tacitus certe veteribus Germa-


manis, Herodotus Afris, Arrianus Thracibus & ſcythis pelles pro varietate provinciarum varias indumenti loco fuiſſe teſtantur. Homerus in Iliade 3. Heroes ſuos leonum, urſorum, luporum, caprarum exuviis indutos nobis proponit, quamvis id ætatis lanæ, lini, quidni & ſerici alicujus uſus jam viguerit, cum Helenam, Penelopen, aliasque tum græcas, tum Trojanas matronas fila duxiſſe, legamus. Americanos prope omnes, qui non omnem verecundiam exuerunt, ferarum pellibus ſe contexiſſe ad arcendum frigus, paſſim affirmant hiſtorici, ipſique obſervavimus perfrequenter. Alii avium multicolores plumas raro artificio conſutas ornandi potius quam tegendi corporis gratia pellibus vel ſubſtituunt, vel addunt. Barbari monticolæ plerumque ex caraquata, vel ex cortice arboris pinô fila, atque ex his telam ad ſe aliqua ex parte contegendos parare conſveverunt. Eadem tela, quamdiu maritum lugent, Abiponenſes viduæ, viduatum crinibus caput, humerosque recepto more obnubunt. Barbari, quos Esquimaux appellant Galli, aliique populi terræ laboratoris, & Novæ Zemblæ propinqui ex piſcium veſica, aut viſceribus induſia ſibi norunt concinnare, quibus tamen ob immane frigus pallium adjiciunt, quod expellibus cervorum, vel luporum marinorum egregie pictis nitidiſſime conſuunt, demirantibus artificium Europæis. Dum ſudore diffluunt Abipones, pelles lutrarum, quippe ab alutariis non maceratæ, fateor, neutiquam balſamum, ſed vix tolerabilem naribus colloquentium exhalant fætorem; Noctibus frigidiusculis eædem ſtragulorum ſubeunt vices. Harum pellium, palliorumque, uſu detritorum, laciniæ infantium faſciolæ ſunt, ac tegumenta, quin & obligandis ſauciorum vulneribus fere adhibentur, cum lineæ apud illos ſupellectilis nihil prorſus ſit domi.

Su-

Superioribus feculis Americani corporum fuorum nuditatem pluris, quam veftitum fecere adeo, ut indumenta ab Europæis obtrufa vel non acceptarint, vel accepta confeftim abjecerint. Hoc memorant idonei fcriptores illorum temporum. Hac tamen ætate, fidem fuperat, quanto ardore veftibus fplendidis inhient Indi Paraquarienfes. Petafum illis elegantem porrige, telæ, vel panni rubri aliquot fegmenta, globulorum vitreorum fafciculum, & eris magnus Apollo; In cœlum jufferis, ibunt. Diu, noctuque hæc aures noftras feriebat Abiponum fupplicatio: Pater, da mihi veftem Paỳ! *Tachcauê hibilalk*, vel *aapar̂aik*. Quod ad Barbarorum conciliandas voluntates faciat magis, veftium largitione nihil eft profecto; Hac, ut pifces hamo, celerrime capiuntur. Vix abundabit incolis Chriftianis Americana colonia, ni bobus, ovibusque abundaverit; Harum enim lana ad veftienda, illorum carnibus ad faturanda Indorum corpora opus eft. Alterutrum defit, vel utrumque, ad fua redibunt latibula, ditioresque fe fore putabunt, fi Hifpanorum inimici, quam fi amici fuerint. Id quod fæpius me audiente cum gemitu dictitabant, experti fcilicet: Bellum cum Chriftianis præ pace plus emolumenti fibi attuliffe. Bello equidem vigente armis acquifiverant, quæ fancita dein' pace nec infimis precibus impetrabant. Vetus hæc, ac quotidiana Abiponum querimonia, & fi verum fateamur, æquiffima. Luculentius id patebit ex illis, quæ, ubi de Coloniarum novarum ftatu differemus, narrabuntur. Difertiffimus quamvis divinæ legis magifter, ni una in difcipulis fuis veftiendis, alendisque fit liberaliffimus, parum proficiet in Paraquaria. Adfit è nubibus cœleftium geniorum aliquis, Deum, Dei legem nunciet Abiponibus; vacuis fi manibus venerit, fi indumenta, fi dapes, fi

alia

alia dona non attulerit, actum aget, vix, ac ne vix quidem audietur. Veniat ex Acheronte Æthiopum Stygiorum nigerrimus, ſed arcas veſtibus, cibariis, cultris, forficulis, annulis, ſphærulis vitreis prægnantes adferat, offeratque, Capitaneus appellabitur, dociles, ſpondeo, propenſos, morigerosque experietur Abipones ad unum omnes. Cur per bina, & quod excurrit, ſecula ad religionis noſtæ amplexum necdum perducti ſint Americani univerſi, ſi cauſas ex me quæris, dicam. Prima eſt Chriſtianorum veterum peſtifera exempla, ac in Indos parſimonia, duritiesque: Hac a ſacris noſtris avertuntur: Illis pervertuntur. Sacerdotum, qui ad illos Chriſtum docendos mittuntur, extrema, & quæ vix credibilis Europæ, rerum omnium penuria, hæc altera cauſa eſt. Effatum hoc meum, quæſo, non conjecturis, opinionibusve controverſis, ſed veritatibus, ſed experientiis certiſſimis adnumerandum, putes. Tum denique mihi fidem habebis, poſtquam hiſtoriæ meæ poſteriora capita pervolveris.



CA-

CAPUT XV.

De Abiponum moribus, consvetudinibusque.

Non omnia, quæ apud Barbaros, barbara. Ex fimo elegans sæpe flosculus, ac inter spinas rosa nascitur, ut bona mixta malis plerumque; sic Abiponum nativis vitiis virtutes quædam consociantur, Christiano homine prorsus dignæ. Ex multis memorabo præcipuas ita tamen, ut vitiorum non obliviscar. Tota corporis conformatione quantopere decorum servent Abipones, ægre crediderit Europæus. Ex eorum vultu, ac incessu hilaris quædam, modestia, virilisque gravitas elucet, quam svavi tamen comitate norunt temperare. Nihil solutum, nihil petulans, vel asperum eorum in actionibus deprehendas. Quotidianis in congressibus pacata, tranquilla omnia. Vociferationes inconditæ, altercationes, aculeata dicteriorum mordacitas nusquam locum habent. Amant facetias sermonis, sed a quibus omnis abest obscænitas, acerbitasque. Diurnas, nocturnasque itineris molestias festivis confabulationibus condire solent, quin tamen, quod spurcitiam oleret, unquam salibus aspergatur. Si quæ interdum controversia incidat, serena fronte, sedata oratione sententiam quisque profert suam; Nunquam, quod quibusdam Europæ populis solenne, in clamores, minas, contumeliasque erumpunt. Hæ

qui-

quidem laudes ad Abipones ſobrios pertinent; Temulenti enim, excuſſo ſcilicet rationis freno, amentes, ſibique ipſis diſſimillimi evadunt. Cæterum ſuis in conventiculis urbanitatem colunt maxime. Alter alterum loquentem vix audet interpellare. Uni per ſemihoram aliquando belli eventum quempiam enarranti cæteri omnes non aures dare modo attentas, ſed & ad ſingulas prope ſententias annuere ſolent, ducto ex intimis præcordiis rhoncho, qui affirmationis ſignum, & aſſenſus, quem identidem his interjectis vocibus ſignificant: *Quevorken* utique *Cleerà* certiſſime *Chik akalagritan* nullus dubito. *Ta Yeegàm!* vel *Kem ekemat!* admirantis ſunt exclamationes. Iisdem omnino vocabulis, quæ ſubſilientes magna vocis contentione pronunciant, ſacerdoti ad populum verba facienti interloquuntur, idque urbanitatem putant. Contradicere cuicunque demum, licet luculenter hallucinanti, ruſticitatem interpretantur. Salutant ſe, reſalutantque binis vocibus: *La nauichi?* Jam veniſti? *La ñauè.* Jam veni. Sed plerumque brevitatis cauſa ſolam voculam: *Là* ſalutans, ſalutatusque profert cum impetu. Idem ſalutandi modus Quaraniis: Ereyupà? Veniſti jam. Ayù angâ. Veni. Prolixiori colloquio fatigati nunquam, niſi patre familias valere juſſo, diſcedunt. Huic primus qui aſſidet, viciniorem ſibi interrogat: *Ma chik kla leyà?* Necdumne ſatis verborum eſt? Secundus tertium, tertius quartum iisdem compellat verbis, dum denique in circulo humi conſidentium poſtremus fert ſententiam: Satis jam verborum eſt *Kla Leyà*, ait: Quo audito uno omnes impetu, ac momento conſurgunt. Mox ſinguli cum quadam amicitiæ ſignificatione patrem familias comiter inclamant: *Labikyegarik* Jam abeo à te. Quibus ille: *La micheroà* Jam abis à me, reponit. Gregarii Indi dicunt: *Labik* Jam abeo. Ad portam

do-

domus (Puta locum, ubi exitur, nulla enim ulli eſt porta) dum pervenerint, converſo ad patrem familias vultu: *Tamtara* poſthac, exclamant, *Te reviſam dein* ſignificare volunt. Uti hujatum vulgus: *Ad revidendum*, dicere conſvevit ſub abitum. Contra urbanitatis leges graviſſime peccaturi ſibi videntur, ſi obvium quempiam, quorſum pergat, non interrogarent. Hinc illa vox: *Miekauè* vel *Miekauchitè* quo vadis? identidem per forum reſonat. Eadem interrogatio more recepta apud illos, qui lingua Quichua utuntur in Paraquaria. Obviantium ſibi neminem ſine illo ſuo: *Maipirinki* quo vadis? Tranſire patiuntur unquam. Quin (ſcribere id me pudet) etiam remoto in campo alvi exonerandæ gratia dum ſubſidunt Abipones, eminus tranſeuntes ſolenni interrogatione: *Miekaue?* quorſum? elatiſſima voce ſalutant. Mirabar ſæpe, illos non erubeſcere, cum cæteris in rebus ſingularem eorum verecundiam ſuſpexerim. Toto certe, quod iſtis barbaris impendi, ſeptennio obſervatum a me nihil, quo pudicæ aures, caſti oculi offendi poſſent. Quæ quidem laus utrique ſexui, omni ætati jure debetur. Mares polygamiam, uxorumque repudiationem majorum ſuorum, cæterarumque Americæ gentium exemplo licere ſibi, arbitrantur; Perpauci tamen Abipones hanc ſibi licentiam indulgent. Uxorum repudiatio, quam multiplicatio apud illos frequentior. Quin in una per omnem ætatem conjuge acquieſcunt permulti. Cum alienis, quas in conjugium non adſciverint, commercii quid habere, nefarium ſibi, probroſiſſimumque putant. Hinc adulterium inter illos prorſus inauditum. Libidinum, quæ Europæis gentibus familiares, monſtra huic nationi peregrina ſunt, quin & ipſa earum nomina. Hilaritatem nativam vel vultu produnt pueri, puellæque; Nusquam tamen has illis immixtas videris, vel confabulantes. Re-

 cens

cens advena a Socio rogatus, patente in foro fidibus cecini. Fœminarum turba instrumenti musici, quod nunquam illis visum antea, svavitate capiebatur. Hac exciti adolescentes turmatim accurrerant. Istis propinquantibus dilapsæ mox fœminæ, ne una quidem remanente. Balneorum in propinquo flumine usus perjucundus omnibus, &, ni cœli procellosi aura rigidior terreat, quotidianus est. Ast cave, existimes: ut per æquor sirenes, Delphinique iisdem sæpe spectantur in fluctibus, sic masculos, fœmellasque in eadem lacus, aut fluvii statione natare, lavarique. Abiponum è disciplina sexu discretos locus quoque discriminat, ac sejungit. Ubi fœminæ aquis immergunt se se, illic masculini generis ne umbram quidem deprehendas. Mulieres centenis sæpe plures uno agmine remotiores in campos excurrunt, fructus varios, radices, colores, utensilia alia conquisituræ; Quatriduum, sæpe octiduum ruri morantur, quin tamen masculum ullum seu itineris comitem, seu laboris socium, seu equorum curatorem, seu corporis sui, ferarum inter & hostium pericula, custodem sibi adsciscant. Amazones istæ sibi sufficiunt, seque, dum solæ sunt, credunt tutiores. Enimvero haud memini, fœminarum aliquam a tigride fuisse discerptam, vel a serpente ictam; Alterutro horum fato extinctos Abipones novi complures.

Barbari fuerunt Abipones, inhumani, feroces, haud nego; sed adversus illos duntaxat, quos hostes credidere suos. Antequam in Colonias a nobis conditas pace nondum sancita immigrassent, cædibus, rapinis, incendiis Paraquariam prope omnem annis plurimis vexarunt; sed id jure belli integrum sibi, atque adeo honorificum existimarunt semper, quod Hispanos sibi infensos semper, infestosque vel experti,

ti, vel ſuſpicati ſunt. Vim vi repellere, injurias injuriis, rapinas rapinis, cædes cædibus reddere ſibi videbantur, id quod iniquum, ac turpe negant; Nam bello vigente ab Hiſpanis in Luſitanos, ab his in illos eadem fieri toties videbant. Horum ducti exemplo non ſicarios ſe, non latrones, ſed milites dici oportere, contenderunt, quorum munus eſt offendere hoſtes, ſe, ſuaque, ut poterunt, defendere. Norunt forte militem canis inſtar eſſe, illumque pro optimo habendum, qui peſſimus fuerit, ut Martialis de Attalo aſſeruit. Hiſpanorum a cervicibus reſecta capita ſua vocarunt trophæa, ſolertiſſimeque ceu ſtrenuitatis teſtimonia conſervarunt. Armentorum innumerabiles turmas, tot equorum millia, & quidquid demum præterea rapuere Hiſpanis, prædas dixerunt belli jure obtentas. Pernegant usque, ſe fures eſſe. Audi, cur? Hiſpanorum pecora omnia ſua eſſe affirmant, quippe ſuis in terris prognata, quas Hiſpani majoribus ſuis nequidquam repugnantibus occuparunt olim, quasque nullo (ut illis quidem videtur) jure uſurpant etiamnum. Hos errores, qui intimis Barbarorum fibris inhærent, eximere, amicitiam, amoremque in Hiſpanos ferocientibus animis imprimere magnopere conati ſumus omnes, ſed fructu votis noſtris inferiore. Hæreditario licet in Hiſpanos odio inſaniverint, in iſa tamen illorum trucidatione humanitatis quamdam ſpeciem prodidere. Mortem inferebant, ſed poſt feralem haſtæ ictum* emorientes torquere, excruciare, diſcerpere, dilaniareque crudeliter, ut aliorum Barbarorum mos fert, a ſe alienum putarunt, de mortuorum tamen capitibus amputandis mire ſolliciti, quorum oſtentatione ſuam ſuis popularibus fortitudinem domi teſtificarentur ſcilicet. Imbelli ſexui fere pepercerant; Pueros, puellasque innoxias abduxere incolumes. Infantes à matrum uberibus abſtractos

fructuum, herbarumque ſucco per viam longiſſimam alere, ac citra noxam domum deportare ſolebant. Major hæc, quam credi in Europa poſſit, barbarorum lenitas, ſed nobis exploratiſſima. Si quando vel matribus, vel prolibus mors illata, id aut adoleſcentes ſanguinis Hiſpanici ſitientiores, vel adulti ſuorum, quos Hiſpani olim trucidaverant, mortibus efferati præſtiterunt. Hinc cæco furori, non nativo eorum ingenio tribuenda crudelitas, quam univerſa Abiponum natio abominatur. Sæviiſſent iſti atrocius, ſi chriſtianorum militum exempla ſibi imitanda propoſuiſſent. Ex plurimis bina in medium afferre liceat. In Indi Quaranii a ſe occiſi cadaver petulanter diſſectum, veluti in matulam, veſicam exonerarunt ſuam Paraquarii ex urbe Aſſumptionis milites. Iidem cadaver alterius Quaranii, ceu lapidem ſuppoſuerunt induſiis ſuis, quæ in fluvio Tebiquary a ſe lota lotoriis malleis illic tundebant clariſſimi, ſi ſuperis placet, illi heroes, contra exanimes ſolum, a quibus porro timendum nihil, animoſi, illorumque imitatores, qui in Mauri mortui pectus haſtam altiſſime immerſant, unde Hiſpanorum proverbium: *Al Moro muerto gran lanzada* Atrocioris ſævitiæ Europæorum per Americam militum documenta Hiſtorici paſſim adferunt, quæ ſi legerent Abipones, ab immanibus feris patrata jurarent. Quam mite illis extra bellum, quam tractabile ingenium ſit, ex his, quæ ſubjiciam, colliges.

Hiſpanos, Indos, Æthiopas, vel ex his mixtos a ſe bellos captos non ut ſervos vexant, ſed, prope dicerem, filiorum inſtar comiter, indulgenterque habent. Si quid a captivo ſibi præſtandum velit, non imperantis, ſed ſupplicantis voce id ſignificat herus. *Si tibi lubuerit*, blande præfatur; vel *Miſereare mei*, *equum-*

equumque mihi meum adducito *Amamàt gröböchem*, vel *Grcáuagiikàm*, *Yañerla aböpegak tak naböreclri ena.* Quantumvis tergiverſantem, oſcitantemve in heri obſequio captivum nec verbo, minus verbere plecti usquam vidi. Tenerrima eſt multorum, ac incredibilis ſuos in captivos pietas, beneficentia, fiducia, Hos ut veſtiant, ſe nudant. Cibum ſibi ſubtractum eſurientes licet eſurientibus his porrigunt. Alaykin Caziquii principis uxor vetula Captivo ſuo æthiopi, me inſpectante, equum apparavit, inſtravitque frequenter. Senicula alia Rebachigui Caziquii mater ægrotanti puero, captivo ſuo lectum ceſſerat ſuum multis noctibus, humique jacens miſere in illius obſequium diu noctuque excubavit. Hac facilitate, hoc gratificandi ſtudio captivos ſibi devinciunt ſuos, ut, quotidiana quamvis præſto ſit fugiendi opportunitas, de fuga ne quidem cogitent unquam, ſorte ſua contentiſſimi. Novi complures, qui dato pretio redempti jam, ſuamque in patriam reducti ad Abipones heros ſuos ſponte revolarunt, quos jam ad venationem, jam ad bellum aliis inferendum ſequuntur, nihilque penſi habent Hiſpano ſanguine, quamvis ipſi Hiſpani ſint, manus contaminare ſuas. Quantus hic mihi lamentandi campus pateret! Quot Hiſpani genere, a pueris apud Abipones educati, illorum ritibus, moribus, mille nocendi artibus imbuti Paraquariæ, patriæ ſuæ, carnifices exſtitere! Quoties hi cruentis Barbarorum expeditionibus immani Chriſtianorum cum ſtrage conjunctis interfuerunt, non itineris tantum ſocii, ſed & viarum duces, omnium rapinarum, cædium, incendiorumque participes, verbo, calamitatum publicarum inſtruſtrumenta perinde, ut Luſitani, Hiſpani, Itali religionis ſanctæ deſertores piratis Algirienſibus, ac Maroccanis ad intercipiendas popularium ſuorum naves egregiam navare operam conſveverunt. Corruptionem

opti-

optimi pessimam esse, & ex vino meliori melius existere acetum hi scilicet exemplo confirmant suo.

Plurium, quos apud Abipones novi, ejus generis captivorum & vultus, & facta impia meos ante oculos versantur adhucdum, qui nocendi Hispanis studio, barbarieque Barbaros omnes antecellebant. Militibus Jacobopolitanis in chacum missis, dum meridiaturi conquieverant, Calvaria in oculos forte incidit. Multis ultro, citroque habitis interrogationibus, cujusnam illa esset? planissime compertum est; Hic loci quatuor Hispanos paulo ante trucidatos, cædisque authorem Hispanum fuisse, qui (cognomen novi, sed taceo) Abiponum captivus, & ductor, ac Abipone quovis perniciosior Hispanæ genti erat; Locus hic, quem sæpius transiveram, in hanc usque diem a sepulchris (de las sepulturas) retinet nomen. Plurima hic de hujus furfuris colluvie, de Almaráz, de casco, de Juanico, de æthiope correntino, de Joanne Josepho Indo Ytatinqua, & maxime de Joanne Diaz Caëper lahachin memoranda occurrerent. Iste Abipon origine, puer ab Hispanis bello captus, & sacris Christianis initiatus est subinde. Viginti admodum annos, quos in S. Jacobi urbe Joannis Diaz Hispani Captivus egit, probus, imo & pientissimus audiebat. Ultima, quæ Pascha præcedit, verni jejunii hebdomade in tergum suum cruento flagello quot annis publice sæviebat; Sed facto demum ad gentiles suos transfugio in Hispanos sævire cæpit atrocius, fusoque toties illorum sanguine mirum quantum apud suos inclaruit, quibus viarum, locorumque scientissimus perutilis fuit; Nam & exploratoris, & ducis partes, dum ad Hispanos mactandos itabant, nemo unus illo præclarius egit, nemo lubentius. Inita dein cum Hispanis pace, conditoque Abiponibus conceptionis sub nomine op-

pi-

pido idem Caëperlahachin plurium linguarum gnarus interpretem ibidem egerat, quo quidem officio in rem ſuam abuſus nullum non movit lapidem, ut Hiſpanorum amicitiam ſuſpectam, Chriſti religionem odioſam, religionis magiſtros nos inviſos redderet Abiponibus Catechumenis, energumenorum nomine id temporis dignioribus. Pietatis tamen, amicitiæque ſimulatione id impetravit verſipellis callidiſſimus, ut & Hiſpanis, & Abiponibus credulis mire probaretur, utrisque licet periculoſus, nobis præſertim, qui eam coloniam procuravimus, undequaque intolerabilis. Sed en! Peſtilente filio mater erat peſtilentior. Hæc, quæ vivendo ſeculum pridem exceſſerat, præſtigiatricum omnium antiſtita populo ut ob rugas venerabilis, ſic ob magicas, quas callere putabatur, artes formidabilis nunquam ceſſavit adhortari ſuos, ut ſacram ædiculam, noſtras inſtitutiones, baptiſmum, etiam prolibus moribundis conferendum, cane pejus & angue refugerent, ac execrarentur. Vides matrem filio dignam, mali corvi malum ovum. Sed pœnas dedit denique vindici Deo infauſta (Medeam dicas, an Megæram, mihi perinde eſt) anus. Ex oppido cùm contubernalium manipulo profuga patente in campo à Mocobiis præter alios complures trucidata miſere occubuit. Quo fato demum, quove in loco Caëperlahachin interierit, etiamnum ignoro.

Quoquo lubet, evagandi libertas, victus, veſtitusque ſine ullo labore copia, equorum multitudo, otiandi, laſciviendique pro arbitrio facultas, pleniſſima, ubi nec lex, nec cenſura timetur, impunitas captivos Hiſpanos ſvaviſſimo vinculo ita alligat Abiponibus, ut Captivitatem ſuam præ omni libertate dulciorem putent, patriæ, parentumque prorſus immemores, ubi, ni vapulare malint, ac inedia tabeſcere,

ad legum normam vivendum ſibi norunt, quotidieque laborandum. Catharina nobilis ex urbe ſanctæ fidei Chriſtianæ diſciplinæ vel inter barbaros tenaciſſima perſoluto a ſuis pretio redempta in patriam rediit. Ejus filius Raymundus, ac filia Captivo nupta apud Abipones, ubi adoleverant, remanere, quam matrem ſequi maluerunt. Plures alii, aliæque e patrio ſolo ad ſpontaneam Captivitatem geſtientes rediere. Novi captivos Ingenii adeo maligni, ut liberari illis cupiverint heri, libertatemque iis gratuitam identidem obtruſerint. In plerisque captivorum veſtigium Chriſtiani, quin ne hominis quidem deprehendas. Abipones perpauci, etſi polygamiam licere ſibi falſo perſvadeant, uxores ſibi plures eodem tempore adſciſcunt; captivi raro una contenti captivas ſeu Hiſpanas, ſeu Indas, quotquot poſſunt, ducunt. Abiponenſes enim fœminæ & Hiſpanos, & cujuscunque demum nationis Indos conjugio dedignantur ſuo, niſi rerum geſtarum ſplendore, per exterorum nempe cædes, ac rapinas, nobilitati jam pro Abiponibus reputentur. Iſti, cum præ quavis alia natione nobiliores ſibi videantur, captivas Hiſpanas nunquam ſibi pro connubio volunt, minus pro clandeſtina turpitudine. Hinc illarum pudor in captivitate apud Barbaros, quam in libertate apud ſuos longe tutior fuerit, ſi modo Captivorum inſidias evaſerint. Hiſpanas complures poſt diuturnam Abipones inter Captivitatem nullius, quod caſtimoniæ repugnet, flagitii reas ſacro pro tribunali judex inveni. Uno omnes ore fatebantur: Fœminam nullam, ni ipſa id velit, hos apud Barbaros perverſum iri. De adoleſcentum, qui ibidem diu captivi, integritate idem teſtor. Ecquis, amabo, Europæorum crederet, Barbarorum, qui Deum non colunt, contubernia caſtitatis gymnaſia, & propugnacula eſſe?

Id

Id mihi certiſſimum, morum licentiam, quæ cultiores etiam inter nationes Europæ paſſim graſſatur, ab illis longiſſime abeſſe.

Hanc de Captivis hiſtoriæ digreſſionem boni conſule, lector, ſi tamen digreſſio fuit, cum ad Abiponum pudicitiam, benignitatemque commendandam faciat plurimum, quod capitis præſentis eſt argumentum, aliis porro experimentis a me ſtabiliendum. Hiſpanos plebejos, æthiopes, Indos Chriſtianos, qui vel ab heris ſuis profugi, vel viæ aberratione, vel alia de cauſa in Abiponum contubernia fortuito incidere, hoſpitio comiter accipiunt, cibo, ac quocunque poſſunt, officiorum genere amiciſſime proſequuntur. Idque eo lubentius præſtant, quo liberalius iſti advenæ Hiſpanam gentem vituperaverint. Quod ſi iſti neglexerint, pro Hiſpanorum ſpeculatoribus habebuntur, ſibique peſſime conſulent. Pro noſtra, qui illorum colonias procuravimus, ſecuritate vigilabant diligenter. Si quod ſeu ab exteris hoſtibus, ſeu a temulentis, furentibusque contubernalibus periculum nobis inſtare noſſent, id citra cunctationem nunciaverant, ac toti erant in illo propulſando. In itineribus dum transmittendi fluvii, dum equi apparandi, dum repentinæ hoſtium per viam inſidiæ ſeu declinandæ, ſeu reprinendæ, incredibile, quanta animi propenſione nobis opem tulerint. En! quam mite his barbaris pectus, benevolentiæque pleniſſimum. Quamvis Hiſpanos, quos ceu hoſtes aſpexere ſuos, jam necare, jam ſpoliare conſveverint bello durante, ſuis tamen, vel quidquid eripere, nunquam ſolent. Hinc apud illos, quamdiu ſobrios, rationisque compotes, homicidium, furtumque phœnicis inſtar rariſſimum, melius dicam, inauditum. Sæpe, diuque a ſuis abſunt domibus. Reculas ſuas, quæ ſeu ad veſtitum, ſeu ad ornatum, ſeu

ad domeſticam penum pertinent, ſine cuſtode, ſine porta omnium manibus, oculisque patentes relinquunt interea, quin jacturam earum vereantur. Reduces e diuturno itinere intacta vident omnia. Tot portæ, tot claves, tot repagula, tot arculæ, tot excubitores, quibus adverſus fures ſua tuentur Europæi, res ignota Abiponibus, atque adeo ſupervacanea, cum nulla apud eos furum ſeu ſuſpicio, ſeu periculum. In S. Hieronymi oppido noſtra e domo mantile; Alias alia domeſtica e ſupellectili clanculum nobis ſublata. De furto certior factus Ychoalay Caziquius Abiponum ſuorum neminem furacem eſſe, confidenter aſſeruit. Hanc ſuſpicionis maculam ut abſtergeret, genti ſuæ intolerabilem, nullis in fures indagandi induſtriis pepercit. Et vero patuit ſubinde, captivorum rapaci manu, quæ deerant, periviſſe. In S. Ferdinandi oppido muliercula, quæ globulos vitreos, ſacræ imaginis ornamenta, e templo clanculum abſtulit, a Caziquio Kachirikin detecta eſt, ejusdem, ni Patris preces, minæque interceſſiſſent, haſta jam jam confodienda publico in foro. Ob rapacitatis notam Abiponum nomini inuſtam in tantas exarſit iras Indus, cætera non optimus, nam latronum, qui Hiſpanorum e prædiis equos innumeros rapuerant, primipilus. Dum pueri, puellæque vel pepones noſtro in horto adultos, vel pullos noſtris in ædibus procreatos non raro clepſere, a furto excuſari fors poterunt, quoniam iſta vel primi capientis eſſe, vel domino non multum invito auferri, perperam exiſtimarunt.

Naturales Abiponum virtutes etſi ultra propoſitum fuſius expoſuerim, nihil dixiſſe mihi videor, niſi de laborum tolerantia, quam in illis usque ſuſpexeram, paucula adjecero. Quis belli, venatusque quotidianas moleſtias enumeret? In hoſtes profecturi

men-

menſes ſæpe binos, aliquando ternos in aſperrimo per ſolitudines itinere conſumunt; Leucas trecentis plures conficiunt. Ingentia flumina, paludes longiſſimas, fluminibus periculoſiores, nando ſuperant. Campos ut latiſſime expanſos, ſic lignis, aquisque deſtitutos transmittunt. Dies integros ephippiis, vix ligno mollioribus, inſident, neque pedes ſtapede fulciuntur. Manibus haſtæ prælongæ pondus incumbit ſemper. Equos fere tolutarios adhibent, quorum greſſu ſubſiliente equitis oſſa miſerrime quaſſantur. Aperto plerumque capite ſoles ardentes, imbres effuſos, non raro in dies plures productos, pulverum nubem aridis in campis, ventorum turbines excipiunt. Laneis fere veſtibus nudo corpori appreſſis teguntur, quas ſi Cœlo nimiis caloribus æſtuante ad umbilicum usque demittant, pectus, ſcapulæ, brachia a circumvolitantium muſcarum mordacium, tabanorum, veſparum, culicumque examinibus miſerandum in modum compunguntur, ac ſanguine diffluunt. Viatico vacui cum iter aggrediuntur ſemper, circumferendi illis toto die per campum oculi ad feras detegendas, quas pernici mox curſu inſequantur, ſternant, & in famis ſuæ remedium convertant denique. Poculo cum careant, ad fluminum, lacuumve margines noctem agere ſolent, inde moloſſorum ritu aquam ſorbillaturi. Verum hæc aquationis opportunitas caro illis conſtat; Nam loca humidiora non culicum modo, ac ſerpentium, ſed & ferarum metuendarum ſeminaria eſſe conſveverunt, quæ noctes inſomnes & vitæ diſcrimina minantur. Duro in ſolo ſub Jove jam frigido jam igneo cubant, ſæpeque, dum nimbo fœta tempeſtas irruit, aquis immerſi evigilant. Exploratorum munere, quorum eſt videre omnia, a nemine videri, quoties funguntur, pedibus, manibusque per rupes invias, per ſaltus illis re-

reptandum frequenter, ne prodantur; dies, noctesque sine somno, sine cibo transigendæ. Idem iis usuvenit, dum clade vel illata vel accepta ab hoste terga premente diutius præcipitanda est fuga. Hæc agunt, hæc tolerant Abipones, quin tamen in querelas prorumpant, vel concitatæ bilis indicium verbo præbeant unquam Europæorum more, qui ad levissimum molestiæ sensum stomachari, ira accendi, furere, & si superos flectere nequeant, Acheronta vocare solent. Multis, arduisque in itineribus Abipones Comites, adjutoresque habui. Ipse communium viæ miseriarum particeps, sed & patientiæ egregiæ illorum testis, ac præco fui. Enimvero obstupui, ab his barbaris quotidianas itinerum asperitates silentio concoqui, fronte serena, ridente ore, placidis oculis tolerari, facetiis, colloquio hilari sitim, esuriem, elementorum inclementiam mitigari, dum meam interdum patientiam prope fatiscere, certe fatigari advertissem. Fierine posse credam? (Eques Equitibus ajebam sæpe) ut equorum, quos olim Hispanis rapuistis, causa, a sole torreri, a culicibus dilaniari, aquis immergi, calamitatibusque aliis excruciari vos siveritis? Ego sane, si quidquid uspiam equorum est per Americam, mihi obtingeret, hujus spe lucri neque aculeos culicum, quos hodie sensimus, mihi perferendos putarem. Risere hæc Abipones. Quod a nobis patientia dicitur, illis natura esse videtur. Obdurato sunt ad molestias quascunque animo, quin & corpore, quod per longum a pueritia usum prorsus occalluit, sensus propemodum experte. Adeo a teneris assvescere multum est. Adhucdum pueri, patrum exemplo, pectus, brachiaque spinis acutissimis pertundunt sua citra ullam doloris significationem. Inde est, quod adulti vulnera sua, ceu aliena, sine gemitu ferant, & per aliorum commiserationem mag-

nam

nanimitati suæ injuriam fieri arbitrentur. Acerrimus etiam dolor ægroris, vel sauciis vitæ usum adimet forsitan, suspirium extorquebit nunquam. Gloriæ titillatio, quam ex fortitudinis fama percipiunt, illos invictos reddit, ac tacere jubet.

Pleraque, quæ celebranda hic putavi, & viris, & fœminis sunt communia ita tamen, ut hæ tum virtutibus propriis clareant, tum nævis singularibus laborent. Suos uterque sexus patitur manes ubique gentium. Universis Americæ populis innasci videtur desidia, otiandique lubido. Hanc vituperationem in Abiponenses fœminas neutiquam cadere, lubens pronuncio. Qui earum sedulitatem indefessam, solertiam, industriamque non demiraretur mecum, nemo fuit. Negotia domestica, quibus obruuntur quotidie, alacri, propensoque animo pertractant. Illorum est indumenta marito, liberisque contexere; Carnem coquere: Radices edules, varias e sylvis fruges adferre: siliquam Græcam conquirere, molere, & affusa aqua in potum convertere: Aquam, lignaque ad quotidianos familiæ usus comportare. Ridiculus, sed apud Abipones civitate donatus mos fert, ut vetula totius contubernii maxime annosa domesticis omnibus de aqua prospiciat. Hæc, etsi amnis, unde hauriatur, propinquus sit, amplis cantharis equitando fere adfertur; Eodem modo ligna ad alendum focum. Fœminas trecentis curis occupatas licet nunquam audies de molestia conquerentes; Imo, quod lana, gossypium, colores, alumen ad vestes pro suis elaborandas sibi desint, lamentantes sæpius audivi. Adeo non tolerantes modo laboris sunt, verum etiam sitientissimæ. Hispano nobili Abiponensis captiva pro ancilla plures annos fuit; Istam præ tribus aliis sibi utiliorem esse, mihi affirma-

ma-

mavit, maximique a se fieri, quod jussum prævertat suum, tempestive, curate, promptissimeque officio fungatur. Honorificam *devoti fœminei sexus* appellationem omni jure sibi vindicant. vix audito Campanæ vocantis tinnitu ad explanationem Christianorum dogmatum celerrime convolant, humique modeste considentes in templo arrectas, avidasque Sacerdoti docenti aures præbent. Mirifice probant Christi legem maxime, quod per eam nulli liceat marito conjugem repudiare suam, aut plures ducere. Hinc & se, & suos maritos ut quamprimum salutaribus lustremus undis, peroptant ardenter, quo de conjugii sui, ac mariti perpetuitate redderentur certiores. Istud de fœminis junioribus dictum puta; Vetulæ enim, quippe superstitionum tenacissimæ, rituumque barbarorum antistitæ, Christianis Sacris impense obluctantur. Hæc equidem si Abiponum natio amplectatur, se se amissa veteri authoritate omnibus risui, contemptuique futuras, prospiciunt. Uti fœminæ seniores, sic adolescentes Abipones religionis progressibus obstant maxime. Isti equidem militaris gloriæ, prædarumque ardentes desiderio secandis Hispanorum cervicibus, eorum plaustris, prædiisque spoliandis perditissime inhiant, quod divina sibi lege interdictum nôrunt. Hinc avorum suorum institutis inhærere, equis velocibus terras percursare malunt, quam templi inter parietes verba facientem Sacerdotem auscultare. Si per Abipones seniores, junioresque fœminas stetisset, universa dudum natio religioni se nostræ mancipasset.

De fœminarum Abiponensium pudicitia variis jam locis honorifica a me mentio facta est, facienda sæpius dein'. Nefas sit, illarum temperantiam, sobrietatemque silentio præterire. Multo illis sudore

con-

constat, maritis suis jam ex melle, jam e siliquis Græcis dulcem potum parare; Sed hunc ne extimis quidem labris delibant ipsæ, ad solius aquæ haustum per omnem ætatem condemnatæ. Verum utinam, ut a temeto quovis sibi cavent, sic & jurgiis, contentionibus, rixisque abstinerent! Hæ certe inter illas quotidianæ sunt, ac non raro cruentæ futilissimis de causis. De rebus nihili plerumque disceptant, rixanturque, ut Horatius ait, de lana sæpe caprina, vel de umbra asini. Unicum sæpe vocabulum, quod a Cavillante fœmina enunciatur, ingentis belli semen, & classicum fuit. Tribus duntaxat, ut cum Græcis loquar, scommatibus Abiponum natio utitur, scilicet irascens alter alteri dicit: *Acami Lanâraik* tu es Indus, id est, plebejus, ignobilis. *Acami Lichiegaraik* tu es pauper, miserabilis. *Acami Ahamraik* Tu es mortuus. His epithetis ineptissime abutuntur aliquando. Ecquis non rideat, dum equum fulminis instar fugitantem, quem eques Indus cursu citatissimo assequi haud potest, *ahamraik* mortuum audit vocari? orta duas inter fœminas contentione altera alteram vel miserabilem, vel plebejam, exanimem forte pronunciat. Ingens mox vociferatio existet. A verbis ad pugnos venietur. Concurret universum fœminarum agmen in foro, non spectandi solum, sed & ferendæ opis, ut visum fuerit, gratia. Hæ illius, istæ alterius partes tuebuntur. Duellum denique in bellum desinet. Tigridum more dentibus in aliena ubera involant, morsu sæpe cruentissimo. Unguibus genas laniant. Crines manibus evellunt, & quod prima fere aggressione conantur, auriculæ extimæ foramen, cui spira ex palmæ foliis ornatus gratia inseritur, miserrime dilacerant. Erebi furias, amphitheatri Romani feras, vel gladiatores ad certamen crederes concurrisse.

Quam-

Quamvis maritus conjugem, Pater filiam ſanguine diffluere, vulneribus impleri videant, eminus immoto pede, tacito ore, quietis oculis hæc ſpectant; Amazonibus applaudunt ſuis: Rident: Animis muliebribus tantas ineſſe iras, mirantur, ſed a viro alieniſſimum putant, fœminarum in dimicationes ſe ſe ingerere, vel alterutri parti ſuppetias venire. Quod ſi pacis accelerandæ ſpes nulla affulgeat, Patrem adeunt. En! ajunt, mulieres noſtræ rurſus judicio carent hodie. Age, ſclopeto illas terreto. Hujus fragore, quin & conſpectu ſolo perculſæ ad ſua fugam maturant tentoria. Verum cum dicteria, quæ rixarum origo extiterant, vel ſuis e tentoriis ſtentoria repetant voce, neutraque videri victa velit, iterum, iterumque ad forum reduces pugnam reſtaurant. Magnæ interdum molis erat motos componere fluctus, cum paucis plerumque ſyllabis coloniæ malacia interrumpatur. Divino utique factum conſilio, quod Abiponenſes fœminæ temeto prorſus omni abſtineant. ſi enim ſobriæ tantum furere ſolent, temulentæ quantum non auderent? Actum erat dudum de univerſo Abiponum genere. Mares enim, ni ebrii ſint, æternam inter ſe pacem colunt, vociferationis, diſcordiæ, rixarumque ſemper hoſtes. Cætera, quæ ad nationis iſtius ritus, moresque pertinent, ſeu laudibus, ſeu cenſuris digna, per hiſtoriæ decurſum ſuo quæque loco attingam. Ex his, quæ diximus, conjicies, multa barbaris propria Europæorum etiam cultiſſimorum imitatione digna videri. Parum ſane abeſt, quin clariſſimo Leibnizio aſſentiar, qui in præfatione ad noviſſima Sinica ſcripſerat: *Certe talis noſtrarum rerum mihi videtur eſſe conditio, gliſcentibus in immenſum corruptelis, ut propemodum neceſſarium videatur, Miſſionarios Sinenſium ad nos mitti, qui Theo-*

logiæ

logiæ naturalis usum, praximque nos doceant, quemadmodum nos illis mittimus, qui Theologiam eos doceant revelatam. Mutato nomine de Abiponibus idem dixero, qui, etsi quibusdam in rebus tales sint, ut vix hominum classi accenseri mereantur; Reflexis tamen in quasdam illorum actiones oculis fateamur, necesse est, Christianum etiam hominem ex illis comitatem, honestatem, tolerantiam, sedulitatemque discere posse. Sed utinam hæ barbarorum virtutes totidem vitiis non obscurarentur, quot nigris maculis candidæ tigridum pelles distinguuntur. Ex iis, quæ mihi porro memoranda restant, illud luculenter patebit.

CAPUT XVI.

De Abiponum lingua.

Multitudo linguarum, ac varietas, quarum vel sola in Paraquaria usus, fidem excedit, prope dixissem, & numerum. Neque sola eas dialecto differre, existimes velim. Pleræque ipsa radice a se discrepant. Suspiciendum magnopere illarum artificium multiplex, cujus architectos, ac inventores stupidissimos hos Barbaros exstitisse, nemo sanæ mentis sibi persuaserit. Ego sane hac meditatione ductus identidem affirmavi, reliqua inter, quibus de æterno, ac sapientissimo Numine convincimur, argumenta hanc linguarum seu varietatem, seu artificium con-

numerari oportere. Noſtri homines linguis omnino quatuordecim totidem Paraquariæ nationibus ſacram navarunt operam, & religionem latiſſime propagarunt Non ſinguli omnes, ſed ſingulas calluere linguas, aliqui binas, ternaſve probiſſime nôrunt, variis ſcilicet cum populis aliquamdiu verſati. Horum ego ex numero, quippe qui ſeptem annos Abiponibus, undecim Quaraniis docendis inſumpſerim. Nationes, quibus labor noſter impenſus, conſtitutæque a nobis coloniæ, noveris eſſe, Quaranios, Chiquitos, Mocobios, Abipones, Tobas, Malbalaes, Vilelas, Paſſaines, Lules, Iſiſtines, Homoampas, Chunipies, Mataquayos, Chiriguanes, Lenguas ſeu Quaycurùs, Mbayas, Pampas, ſerranos, Patagones, Yaròs. His adde: linguâ Qvichuâ, quæ toti Peruvio propria, mancipiis Africanis, plebi Hiſpanæ, quin nobilioribus etiam matronis per Tucumaniam præſertim familiariſſima, noſtrorum hominum plurimos tum e ſuggeſtu, tum ſacro in tribunali uſos fuiſſe. Præterea Chiquitorum in oppidis, quæ diverſiſſimis conflata e nationibus, diverſas quoque linguas viguiſſe, novimus. Abiponum, Mocobiorum, Tobarum linguæ eandem certe originem, eamque inter ſe affinitatem habent, quam linqua Hiſpanica, & Luſitana. Quælibet tamen iſtarum non ſola dialecto, ſed innumeris quoque vocabulis ab alia diſcriminatar. Idem prope ſentiendum de lingua Tonocotè, quæ apud Lules, ac Iſiſtines uſu recepta. Chiriquanarum, Quaraniorumque, quorum terræ quingentas facile leucas ab illorum ſolo diſtant, lingua eadem fere eſt, pauca ſi excipias, quæ alterutrius gnarus paucas intra hebdomadas nullo negotio perdiſcit.

Mul-

Multi, qui de Americæ rebus commentati ſunt, Europæi quasdam linguarum Indicarum lacinias, notiones, ſententiaſve hiſtoriæ ſuæ, vel lexicis inſperſere; ſed ſuperi boni! quam omni ex parte mancas, quam fœde corruptas. Vix vocabuli literulam, quam non mutilaſſent, reliquere. Linguæ illius quamvis ſcientiſſimi, quid dictum velint, divinando ſolum, veluti ænigmata, vix denique aſſequimur. Sed ignoſcendum his ſcriptoribus, quod corruptis fere e fontibus notitias hauſerunt ſuas. Plures, qui Americam vix a limine ſalutarunt, vel Americanos per tranſennam duntaxat viderunt, barbararum mox linguarum vocabula in chartas conjiciunt, Europæis obtrudendas, quamvis nec illorum ſonum rite perceperint, neque ſignificationem penetrarint. Inde eſt, quod locorum, fluminum, arborum, plantarum, animalium nomina Americana mirandum, miſerandumque in modum caſtrata tot in codicibus circumeant, ut ſine riſu legi a nobis nunquam poſſint. Pueri Hiſpani vel cum pueris Indis confabulando quotidie linguas Indicas velociſſime, feliciſſimeque combibunt, quod tamen adultioribus longi temporis, improbi laboris negotium eſſe ſolet. utrumque experti ſumus. Novi confirmatæ jam ætatis homines, qui, quamvis annos complures Indorum conſvetudine uſi, quot ſyllabas, totidem prope errores pronunciarunt. Arduum eſt Europæo, & aures, & linguam peregrinis, diſtortiſſimiſque vocibus aſſvefacere, quas Barbari jam lingua ſibilando, jam naribus rhonchiſſando, jam dentibus ſtridendo, jam gutture ſtrepitando enunciant adeo obſcure, feſtinanterque, ut non hominun colloquentium verba, ſed anatum in lacu garrientium voces audire tibi videaris, nullumque literarum veſtigium vel attentiſſimus deprehendas. Dudum optaverant viri

 cru-

eruditi, ut tandem eſſet unus aliquis, qui linguæ Americanæ cujuſcunque gnarus ejus ſyſtema, anatomen, totam denique œconomiam enucleatius exponeret. Ipſiſſimum eſt, quod ad implenda iſtorum vota compendio tractandum aggredior de Abiponum lingua. Hujus argumenti lectionem ſi faſtidias lector, haud tibi ſuccenſebo; Nam & ejusdem ſcriptio mihi faſtidio fuit. Scripſi tamen, eruditis, ut quidem opinor, gratificaturus. Rudibus, qui Grammaticæ partes, regulasque ignorant, ſvadeo, ut paginas Barbaris vocabulis aſperas tranſiliant omnino.

Americanorum plerique quibusdam carent literis, quibus Europæi utimur; utuntur quibusdam, quibus caremus. Frequentiſſima apud Abipones litera, quam Europæi neſcimus, ſonum ex R. & G mixtum habet. Ut rite enuncietur, palato allidenda tantillum lingua, ſimul guttur verſus eſt retrahenda illorum more, qui naturæ vitio literam R balbutiendo proferunt. Ad hanc Abiponibus peculiarem literam ſignificandam R. vel G pro arbitratu ſcripſimus, ſed nota aliqua inſignitam. Sic *Laetar̂at* filius. *Achibir̂aik* ſal. *Nelar̂eyr̂at* Capitaneus, Caziquius. Pluralis numerus illud r̂ in K. commutat. ſic *Laetkáte* filii. *Nelar̂eykaté* Capitanei, Caziquii, Nobiles. Multum negotii faceſſit Europæis literæ hujus pronunciatio, maxime, ſi eodem in vocabulo crebrior recurrat. uti: *Rar̂egr̂anr̂aik* Indus Vilela. *Rellar̂anr̂aǹ potròl* Venatur equos ſylveſtres. *Lapr̂ir̂atr̂aik* Verſicolor. &c. Vel ex hujus literæ pronuntiatione, quamvis cætera linguæ ſuæ ſcientiſſimum Europæum Abipones cognoſcent, & a gentilibus diſtinguent ſuis haud ſecus ac Capite 10. Libri Judicum, Verſu ſexto Galaaditæ Ephraimitas unica ex litera dignovere, cum

cum isti verbum *Sibboleth* solum per S, idest, per ס Samech; Illi vero *Schibboleth* per S & C, idest, per ש Scim proferrent.

Adhibent Abipones Gallorum, Hungarorum, Germanorum more ö, quod tamen per ë duobus punctis notatum scribere maluerunt Hispani in Paraquaria. *Ahëpegak* equus. Yahëc vultus meus. *K* Græcum illis frequens. Ñ perinde ut Hispani pronunciant, N literam J subjungendo. Sic *Español* Hispanus quasi ut *Espaniol* proferendum. Abipones dicunt: *Menetañi* est intus. *Yoamcachiñi* Inferior pars bona est. Legitima hujus, aliarumque literarum enunciatio viva voce duntaxat explicari rite-potest.

Accentuum, punctulorumque religiosissime habenda est ratio. Idem enim vocabulum punctulo omisso, variatóve accentu aliud atque aliud denotat. Sic: *Heét* fugio. *Hëët* loquor. *Háten* despicio. *Hatén* collimando attingo. Vocabulis longioribus, quæ ex decem, ex viginti, ex pluribus literis componuntur, hæc lingua abundat. Ubi deprimenda vox, ubi tollenda, accentus eodem in verbo repetiti docent. Fere enim modulata, ac cantatrix est gentis hujus locutio. Ad condiscendam pronunciationem soli accentus vix sufficiunt. Notas musicas singulis syllabis adjicere, supervacaneum haud foret, nisi vox viva magistri hanc industriam suppleverit. Juvat exempla accentuum adferre. *Hamihégemkiñ. Debáyakaikiñ. Raregrâgremarâchiñ Oahérkaikiñ.* Nomina sunt Abiponum. *Grcáuagyégarigé* Miserere mei. *Oahâyegalgè* libera me. *Hapagrañútapegetá.* Vos mutuo docetis. *Nicauagrañiapegarâlgé* Intercedo pro te. *Hemokáchiñútápegioà* Tu me laudas. En viginti literarum verba! Monosyllaba haud multa deprehendas.

Proceri Abipones vocabula amant longiora, ſibi ſcilicet ſimilia.

Genus habent maſculinum, & fœmininum. Carent neutro. Generum cognitio ſolo uſu comparanda eſt. *Grabaulái* Sol illis fœmininum eſt, ut Germanis Die Sonne. *Grauèk* Luna maſculinum, ut nobis Der monde. Adjectiva aliqua utriusque ſunt generis. ſic: *Naà* malus, & mala. *Neeù* bonus, & bona. In aliis quodvis genus propriam habet terminationem, ſic: *Ariaik* bonus, præclarus. *Ariayè* bona, præclara. *Cachergaik* Vetulus. *Cachergayè* Vetula.

Nomina neutiquam per caſus immutantur. Litera nomini præfixa interdum caſum indicat. Sic: *Aym* ego. *M' ayim* mihi. *Akami* Tu *M' akami* Tibi.

Nomen pluralem e nominibus formare, perquam arduum tyronibus. Tanta enim eſt varietas, regula ſtatui vix ut queat. En exempla aliquot!

Singularis.	*Pluralis.*
Laetarat filius	Laetkatè Filii
Lekàt metallum	Lekachì Metalla
Ahëpegak equus.	Ahëpega Equi
Yúihák Bos	Yúihà Boves
Nekététák anser	Neketéteri anseres
Oachígranigà cervus	Oachigranigal cervi
Iñierà flos siliquæ Græcæ, vel annus	Iñiegari flores, vel anni.
Neogà Dies	Neogotà Dies
Eergraík stella	Eèrgraiè stellæ
Aáparaik Tela linea, vel lanea.	Aaparaikà telæ
Yapòt Magnanimus	Yapochì Magnanimi
Lachaogè Rivus	Lachaokè Rivi
Letèk folium arboris	Letegkè folia
Ketélk Mulus	Ketelra Muli
Panà Radix	Panarì Radices
Iíbichigì Iratus.	Iíbichigerì Irati.

E pauculis his patet, in eandem licet literam desinentia nomina diversissimos plurales habere. Cæterum ut Græci præter pluralem numerum Dualem quoque adhibent, quo duo duntaxat explicantur; sic Abipones duplici Plurali utuntur, quorum primus uno plures, alter, plurimos significat. Sic: *Joalè*

vir. *Joaleè*, vel *Joaleèna* viri aliquot, *Joaliripì* viri plurimi. *Abèpegak* Equus. *Abèpega* Equi aliquot *Abèpegeripì* Equi plurimi.

Miror, Abipones plurimorum Americanorum more non habere duplex verbum, quo primam perſonam Pluralis numeri *Nos* exprimant. Sic Quaranii duplici modo ly *Nos* proponunt; Jam dicunt *Ñandè*, jam *ore*. Primum vocant *incluſivum*, alterum *excluſivum*. Suis in precibus Deum alloquentes ajunt: Nos peccatores *ore angaypabiyà* quia Deus a numero peccatorum excluditur. Hominibus colloquentes: *Ñande angaypabiya* nos peccatores ajunt, quia hi, quibuscum loquuntur, pariter peccatores ſunt, & hinc vocabulo incluſivo: *Ñande*, utuntur.

Cum nominibus poſſeſſivis, *Meus*, *Tuus*; *Suus* Careant, id quovis in nomine per additionem, vel mutationem literarum variam ſuppletur, quod & linguis Hebraicæ, Hungaricæ, variisque Americanis uſuvenit. Major apud Abipones ob tantam mutationis literarum varietatem inde naſcitur difficultas in ſecunda perſona maxime. Exempla accipe. *Netà* Pater indeterminate. *Yità* Pater meus. *Gretayì* Tuus. *Letà* Illius. *Gretà* Noſter Pater. *Gretayì* Veſter. *Letai*. Illorum.

Naetarat, filius, quin, cujus ſit, exprimatur. *Yaetrat*. Meus filius. *Graetrachi* Tuus. *Laetrat* Illius.

Nepèp. Avus maternus. *Yepèp*. Meus. *Grepepè* Tuus. *Lepèp*. Illius.

Naàl Nepos. *Yaàl* Meus. *Graali* Tuus. *Laàl* Illius.

Nenàk frater natu minor. *Yenàk* Meus. *Grenarè* Tuus. *Lenàk* Illius.

Nakirèk Sobrinus *Nakirèk* Meus. *Gnakiregi* Tuus. *Nakirek* Illius.

Nobeletè. Haſtile Lanceæ. Yoheletè. Meum. *Groheliebi* Tuum. *Lobeletè* Illius.

Natatra vita. *Yatatra* Mea. *Gratatre* Tua. *Latatra.* Illius.

Verum hæc ſufficiant ad demonſtrandam ſecundæ cumprimis perſonæ multiplicem variationem. Apud Quaranios Poſſeſſiva pariter nominibus affixa quidem, ſed nil prorſus difficultatis adferunt, quoniam eadem omnibus in verbis per perſonas mutatio. Sic: *Tuba* Pater. *Cheruba* Meus. *Nderuba* Tuus. *Tuba* illius. *Guba* ſuus. *Tay* filius. *Cheray* Meus. *Nderay* Tuus. *Tay* Illius. *Guay* Suus. *Che* primæ. *Nde* ſecundæ præfixum quibuscunque demum nominibus, nunquam variatur. In plurali perinde, *Ñande*, vel *Oreruba* Pater noſter. *Penduba* Veſter Pater. *Tuba*, vel *Guba* Illorum vel ſuus Pater, generatim in aliis omnibus ſubſtantivis hæ particulæ poſſeſſivorum ſupplent vices.

Peculiarem in poſſeſſivis nominibus animadverſionem Abiponum accipe. Si quam rem videant, cujus Dominum ignorent, interrogaturi: *cujus eſt hoc?* Alio, atque alio verbo id præſtant. Si enim res, cujus dominum noſſe cupiunt, animata ſit (etſi anima ſolum vegetativa gaudeat) Ut triticum, equus, canis, captivus &c. dicunt: *Cabami lelà?* cujus poſſeſſio eſt hoc? Reſpondebit alter: *Ylà* mea. *Grelè* tua.

 Lela

Lelà illius. É contrario ſi res inanima fuerit. E. G. Haſta, veſtis, cibus &c. ajunt: *Kahamì kalàm ?* Cui hoc eſt proprium? Reponetur interroganti: *Aimì* mihi. *Karami* tibi. *Halamì* illi. *Karamì* nobis &c.

Pronomina primarum, & ſecundarum perſonarum nullis ob locum, vel ſitum mutationibus ſunt obnoxia. Sic: *Aym* ego. *Akamì* tu. *Akamì* nos. *Akamyì* vos. Si *Solus* addatur, hac ratione inflectuntur: *Aymátarà* ego ſolus. *Akamìtarà* tu ſolus. *Akàm àkalè* nos ſoli.

Pronomen vero tertiæ perſonæ: *Ille*, *is*, *iſte* pro ratione ſitus, in quo eſt ille, de quo ſermo, varie mutatur. Si enim ille, de quo loquor

	Maſcul. Ille.	*Fœmininum* Illa.
Eſt præſens dicendum:	Eneha	Anahà
Si ſedet:	Híñiha	Háñiha
Si jacet:	Híriha	Háriha
Si ſtat:	Háraha	Háraha
Si ambulat, & videtur:	Ehahá	Ahaha
Si non videtur:	Ekaha.	Akaha.

Ille ſolus variis item modis enunciatur

Si ille ſolus ſedet, dicendum:	Yñítarà
Si jacet:	Irítàra
Si ambulat:	Ehátára
Si abeſt:	Ekátará
Si ſtat:	Erátára.

Comparativum, & Superlativum gradum non additione Syllabarnm, ut cæteræ paſſim linguæ, ſed aliis modis explicant. Hanc ſententiam: *Tigris pejor* *eſt*

eſt cane, ſic efferet Abipon: *Canis non eſt malus, quamvis tigris jam mala ſit. Néteginh chik naà, oágan nibirenak la naà.* Vel hoc modo circumſcribet: *Canis non eſt malus, ut tigris. Netegink chi chi naà, ỳâgàm nibirenak.* Si dixeris: *Tigris eſt peſſima*, Abipon dicet: *Tigris ſupra omnia eſt mala Nibirenak Lamerpëëáoge Kenoáoge naà.* Vel ſic: *Tigris eſt mala, ut nihil habeat æquale in malitia. Nibirenak chit keoà naà.* Interdum elatiore ſolum voce ſuperlativum, vel quamcunque eminentiam exprimunt. *Ariaik* pro ratione pronunciationis rem jam mediocriter bonam, jam optimam ſignificat. Si toto pectoris impetu, voce elata, & in acutum ſonum deſinente pronuncietur, ſuperlativum denotat; Si voce ſedata, & depreſſa, poſitivum. Maximopere ſibi rem aliquam placere, vel probari oſtendunt, dum has voces: *Là naà!* Ariaik, vel Eúenék præmittunt. *Jam eſt malum! Pulchrum hoc, vel præclarum eſt! Nehaol* Noctem ſignificat. Si voce acutiori, cumque pectoris impetu exclament: *Là nehaòl.* Jam eſt media, provecta, concubia nox; innuere volunt. Si leniter, & veluti oſcitanter dicant. *La nehaòl* noctem primam nunc incipientem indicant, Videant aliquem ſagitta ſcopum attigiſſe, ſine cunctatione tigridem obviam ſtraviſſe &c. dumque iſtum dexteritate eminere ſignificant: *La yáraigè. Jam ſcit.* Voce alta exclamant, Quod maximi præconii inſtar apud illos,

Diminutiva effingunt adjiciendo ultimæ nominis ſyllabæ: *Avàlk. Aole*, vel *Olek*, ſic: *Abëpegak* Equus, *Abëpegeravàlk.* Equulus, *óënék* Puer. *ëénèkavalk* puellus. *Haáye* Puella. *Haayáole* Puellula, *Pay* Pater, quo nomine, a Luſitanis in Americam invecto, Sacerdotem compellant. *Payolék* Paterculus, quo inſigniorem benevolentiam in nos expreſſere,

Ira-

Irati non niſi: *Pay* vocabulo utebantur. *Kàëpak* lignum *Kàëperáole* lignella, quo nomine Roſarii Mariani globulos affecere. *Lenechì* parvus, modicus. *Lénechiólèk*, vel *Lenechiavalk*. Diminutivis creberrime utuntur, quibus jam tenerum amorem, jam contemptum alterius indicant. Sic: *Yóale* vir, homo. *Yoaleólek*. Homunculus. Fruſtum hominis. Sæpe apud illos diminutivum præ omni ſuperlativo luculentior amoris, vel laudis ſignificatio eſt. Sic equum ſtrenuum, vel cæteris elegantiorem *Abèpegeravàlk* blandientes appellant. Hiſpani quoque animi ſui propenſionem ſignificantius produnt, dum dicunt: *Bonito*, quod eſt diminutivum, quam dum dicunt: *Bueno*, quod bonum, vel bellum ſignificat. Idem quibusdam in rebus Germani diminutivorum uſu præſtamus non raro.

Americanæ gentes pleræque Numeralium nominum ſunt egentiſſimæ. Abipones non niſi tres numeros vocabulis propriis norunt exprimere. *Iñitára* unum. *Iñoaka* duo. *Iñoaka yekainì*. Tria ſignificat. Reliquos numeros miris induſtriis ſupplent. Sic: *Geyenk ñatè* digiti ſtruthionis, qui, cum tres anteriores, unum averſum habeat, quatuor ſunt, & pro hoc numero exprimendo illis ſerviunt. *Neènhalek* pellis pulchra, quæ ſcilicet quinque colorum maculis diſtinquitur, ad ſignificandum quinque adhibetur. Si Abiponem interroges de cujuscunque rei numero curto, digitis erectis reſpondet: *Leyer iri: En tot!* Si illius interſit, curate rei numerum edicere, digitis utriusque manus, vel utriusque etiam pedis, & ſi omnes hi non æquent numerum proferendum, digitis pedum, manuumque aliquoties oſtenſis interroganti reſpondebit. Hinc *Hanámbegem* digiti unius manus *quinque*: *Lanám ribegem* digiti utriusque manus *decem*: *Lanám ribegem, cat Gracherhaka anámichiribegèm* digiti manuum, pedum-

que

que universi *viginti* significant. Habent & aliam numeros supplendi methodum. Redeunt aliqui ex campis, ubi vel equos sylvestres venati, vel cicuratos jam exteris furati sunt. Nemo Abiponum interrogabit reduces: quot equos domum adduxistis? Sed: Equorum, quos adducitis, turma quantum spatium occupat? Reponent interrogati: *Equi una serie collocati totum hoc forum occupant*, vel: *Ab hoc nemore ad amnis ripas usque se extendunt.* Cui quidem responso ad faciendam de equorum multitudine conjecturam omnes acquiescunt, etsi certum numerum ignorent. Interdum arena, vel gramine palmam manus implent, hacque interrogantibus exhibita rerum ingentem multitudinem innuere sibi videntur: Verum, dum de numero agitur, quidquid Abipones tibi affirmaverint, cave, assensum præcipites tuum. Non ignorantes modo, sed & hostes sunt arithmeticæ. Hallucinatur fere illorum memoria. Numerandi tædium haud ferunt. Hinc ut aliorum de numero interrogationibus se expediant, digitos pro arbitratu, quotquot lubuerit, ostentant, jam falluntur, jam fallunt interrogantes. Sæpe si res, de qua quæris, triadem excedat, Abipon digitorum exhibendorum molestiam pertæsus: *Pòp*! Multi. *Chic leyekalipì* innumerabiles, exclamabit. Aliquando decas militum advenit, undique tamen populi concursantis vociferatio personuit: *Yoalìripì latenk naûeretápek.* Viri copiosissimi propinguant.

Numeralium porro, quæ a Grammaticis ordinativa dicuntur, major est penuria; Ultra primum equidem numerare nesciunt. *Era námachìt* primus. Hinc Decalogi præcepta hoc modo recensentur: Primum præceptum *Era namachit*; cum *secundum*, *tertium*, *quartum* lingua sua exprimere nesciant, horum loco

præ-

præceptis reliquis præmittitur: Et aliud, & aliud &c. *Cat labáua, cat labáua &c.* Habent tamen nomen, quo prior ordine, & posterior denotatur. *Enàm cabèk* qui præcedit. *Iñagebék*, qui ultimus sequitur.

Numeralia discributiva duo duntaxat habent. Singuli *Iñitarapè*. Bini *Iñóakatapè*, & jam hæret aqua. *Liñoaka yabat* duabus vicibus, vel bis. *Ekátarapek* una vice, vel semel. Interdum: *Haûe ken.* En arithmeticæ Abiponicæ compendium, curtissimamque numerorum suppellectilem! Vix opulentiores sunt Indi Quaranii. Neque enim ultra numerum *quatuor* progrediuntur. 1 Peteỹ. 2 Mokoỹ. 3 Mbohapĩ. 4. Irundỹ dicunt. Primus *Iyipibae*. Secundus *Imomokoyndaba*. Tertius *Imombohapibaba*. Quartus *Imoirundyhaba*. Singuli *Peteytey*. Bini *Mokoymokoy*. Terni *Mbohápikapi*. Quaterni *Irundỹ rundỹ*. Semel *peteỹ yebĩ*. Bis *mokoỹ yebi &c.* Quaranii perinde, ut Abipones, si res numerum quatuor transcendant, promptissime respondere solent interroganti numerum: *Ndipapababi, vel ndipapabai.* Innumerabiles. Cum vero numerorum scientia tum ad alios vitæ civilis usus, tum maxime ad sinceram sacro in tribunali peccatorum confessionem pernecessaria sit, in publica Catechismi seu explanatione, seu recitatione lingua Hispanica numerare docebantur quotidie Quaranii in templo. Dominicis diebus universus populus a primo ad millesimum usque numerum Hispanica lingua clara voce numerare consvevit. Sed æthiopem lavimus. A plerisque musicam, pictoriam, sculptoriam artem promptius, quam numeros perdisci, experti sumus. Numeros omnes lingua Hispanica enunciare quamvis noverint, numerando tamen facile, frequenterque turbantur, ut adeo cautissime illis hac in re adhibenda sit fides.

Quod

Quod ad Verborum conjugationem pertinet, nullum prorſus paradigma præfigi poteſt; Nam in verbis prope ſingulis ſingularis numerus præſentis temporis indicativi modi variat, & multo plus difficultatis adfert diſcentibus, quam illa Græcorum incrementa. Secunda potiſſimum perſona non in principio ſolum, ſed & in fine, vel medio alias, atque alias literas ſibi adſciſcit, quod exemplorum, quæ adſcribo, aſpectu planiſſime patebit:

Singularis.		*Pluralis.*	
Amo	Rikapìt	Amamus	Grkapitàk
Amas	Grkàpichì	Amatis	Grkápichii
Amat	Nkàpit	Amant	Nkapitè.

Scio.	Riáraigé.	Graáraigè.	Yaraige.
Recordor.	Hakaleènt.	Hakaleènchì.	Yakaleènt.
Idem.	Ñetúnetá.	Nichuñütá.	Netúneta.
Doceo.	Hápagrânátrân.	Hapagrânatrañì.	Yápagrânatrân.
Feſtino.	Rihahagalgè.	Grahálgalì.	Yahágalgè.
Morior.	Rìígà.	Gregachì.	Yígà.
Submergor.	Riigaráñi.	Gregácháñi.	Ygárañi.
Salto.	Riahat.	Rahachi.	Rahàt.
Timeo.	Rietachà.	Gretachi.	Netacha.
Cupio.	Rihè.	Grihì.	Nihè.
Volo, volas -	Natahegem.	Natâchihegem.	Natahegem.
Sum ebrius.	Rkíhogèt.	Grkíhogichì.	Lkíhogèt.
Sum piger.	Riaàl.	Graalì.	Naal.
Sum fortis.	Riahòt.	Grihochi.	Yhòt.
Bene valeo	Rioàmkatà.	Groemkètà.	Yoámkatà.
Calco	Hachàk.	Hachaře.	Rachak.
Comedo.	Hakeñè.	Kiñigi.	Rkeñe.

Vomo.

Vomo.	Riemaletapèk.	Gremalitápèk.	Némaletapèk.
Dormio.	Aatè.	Aachi.	Roatè.
Pudet me.	Ripagák.	Grpágarè.	Npagák.
Collimo ad scopum.	Hatenetálgè.	Hachínitalgè.	Yatenetalgè.
Magni rem æstimo.	Riápategè.	Grpáchilgè.	Yapategè.
Verbero.	Hamèlk.	Hamelgì.	Yamèlk.
Bibo.	Ñañàm.	Ñañami.	Nañàm.
Facio.	Haèt.	Eichì.	Yaèt.
Obedio.	Riahapèt.	Grahapichì.	Nahapet.
Advenio	Ñauè.	Nauichì.	Nauè.

Verum paucula hæc sufficiant ad mutationem verborum prope singulorum diversissimam perspiciendam. Abstineo pluribus, quæ in promptu mihi essent, exemplis. Haud equidem Abiponum linguam te docere, sed de illius exotica novitate convincere mihi est propositum, & fastidium scilicet, quod prolixitas vocum Barbararum adferret, evitare. Ex paucis, quæ adnotavi, colliges, quot verba, totidem fere secundæ cumprimis personæ inflexiones esse, ac variationes usu ipso, non ex regulis perdiscendas. Cætera indicativi tempora, uti & Modi omnes cujuscunque demum conjugationis parum negotii facessunt discentibus linguam, cum aliquæ duntaxat syllabæ vel particulæ tempori præsenti Modi indicativi adjiciantur. En! *Rikapit* amo. Imperfecto carent.

Præteritum: Amavi *Rikapit kan*, vel Kanigra.

Plusquamperfectum. Olim amaveram, *Kánigra gehe rikapit.*

Fu-

Futurum. Amabo. Rikapitàm. Easdem particulas secundis, & tertiis personis, cætera nil mutatis adjunge. Sic: *Amas* Grkapichi. *Amasti.* *Grkapichi kan.* *Amaveras.* *Grkapichi kanigra gehe.* *Amabis.* Grkapichiam. *Am* enim syllaba futuri est & præsentis distinctio.

Imperativum modum ipsum præsens, vel futurum nihil omnino mutatum efficit. Sic: *Grabálgali.* Festina, quod ipsum secunda indicativi persona, festinas. *Eichi fac.* *Grkapichi* ama. *Vel* Grkapichiam, quod idem *amabis* significat. Interdum verbo particulam *Tach* in secunda Imperativi persona, vel *Ták* in tertia præmittunt. Sic: *Tach Grabâpichi* obedi. *Tach grokatrani.* Dic. *Tak hanek.* Veniat. Quod idem modum permissivum denotat. Sic: *Tak hanek kaámelk.* Veniat, per me licet, Hispanus. Prohibitio per futurum præfixa particula *Tchik*, vel Chige pro ratione sequentis literæ explicatur; Sic: Non occidas, *Chit kahamatraniam.* *Chit noabaregraniam.* Non mentiaris.

Optativus, & subjunctivus e variis particulis, quæ præsenti Indicativi jam præponuntur, jam postponuntur, formatur. Quod exemplis patefiet.

Chigriek utinam. *Chigriek grkapichi G'Dios, eknam kaogarik.* Utinam amares Deum, qui est Creator. *Ket* si: *Ket greenrani, G'Dios grkapichi ket.* Si esses bonus, amares Deum. Ket si in conditione, & conditionato repetitur.

Amla postquam. Amla grkapichi g' Dios, Dios 'lo nkapichieroam. Postquam amaveris Deum, Deus amabit te.

Ebenhà donec. *Ebenhà na chigrkápichi g' Dios, chitl gibè groamketápekà'm.* Donec vel quamdiu non amaveris Deum, non eris unquam quietus.

Amamach quando. *Amamach rikápichieroa, lo Grkápichioam.* Quando amaveris me, amabo te.

Kët mat. Si. *Kët mat nkápichirioà, là rikapitla kët.* Si amaſſent me, amaſſem illos.

Tach ut. Tach Grkápichioa, rikapichieroàm. Ama me, ut amem te.

Infinitivo carere videntur Abipones. Hunc aliis ſupplent modis. Exemplis id fiet planius; ſic:

Jam volo comedere. *Là ribete m' hakëñe. Ribe*, vel *ribete* volo, & Hakeñe comedo, utrumque ponitur in eodem modo, tempore, & perſona; Litera *M* illis interjecta infinitivum facit noſtrum vel ſupplet. *Non poſſum ire. Haoahen m' abik. Haoahen*, & *abik* in prima perſona præſentis indicativi ponitur, ſolo M interpoſito. *Non ſcis me docere Chig graaraige m' riapa grañi. viſne baptizari*, ſeu, ut Abipones loquuntur, *viſne tibi lavari caput? Mik mich grebech m' nakarigi gremarachi?*

Neceſſitatem infinitivi, Supini, Gerundiorum variis locutionibus, ſibi propriis eludunt. Iuvat hoc exemplis aliquot illuſtrare. Dum nos dicimus: *Poſſum ire.* Abipon id hac ratione exprimet: *Ibo. Nulla eſt difficultas.* Vel, *eſtne aliqua difficultas? Labikam. Chigeeka Loaik*, vel *Mañigà loaik? Debes ire.* Abipon ſic reddit: *Yoamkatà kët, lame.* Eas, æquum eſt. Non debes ire, vel non convenit. *Mich grebech m' amè?*

Oa-

Oagan chik yoamk. viſne abire? Quamvis id non convenit. *Quam peritus natandi hic homo eſt!* Abipon hoc ſic effert: Quantus natator eſt hic homo! *Kemen álarankachak yóale! Comedendo robuſtus ero.* Rihotam, am hakeñe. Ero robuſtus, dum comedam. *Venio ad te videndum. Hanegiyeroa'. Venio ad te alloquendum. Heëchiapegrari. Kleranam Kaúe, la naue'.* Loquar tibi. Id cauſa fuit, quod jam veniam. *Solet mentiri puer. La noaharegran kén oenek.* Particulæ *Kén*, & *Aage* Conſvetudinem ſignificant. Idem ſic exprimit Abipon. *Noaharegran oenek. La lahërek.* Mentitur puer. Jam eſt illius conſvetudo. *Soleo orare. Klamach hanáyaage' m' heëtoalá.*

Vocis Paſſivæ, dum quid affirmatur verbo, nulla peculiaris forma, ſed vel participio aliquo paſſivo, vel verbis activis exprimitur. Ubi nos dicimus: Rem perditam, vel finitam eſſe, illi ajunt: Rem periiſſe, ceſſaſſe, non apparere &c. *Yúihak oaloa'*, vel *Chitlgihe.* Periit, vel non comparet jam bos. Dum quid negatur, verbo ſolum activo, præfixa particula *Chigat* vel *Chigíchiekat* explicatur paſſivum. Sic: *Neſcitur. Chigat Yaraige'. Yaraige* eſt tertia perſona indicativi præſentis verbi activi. Iſtud non comeditur. *Chigat yaìk.* Iſtud non uſurpatur. *Chigat eyga'.* Non fui certior factus *Chigat ripachigni.* Equi non fuere bene cuſtoditi, propterea periverunt. *Machka Chigat nkehayape enò ahëpega, maoge oaloéra.* Stellæ non poſſunt numerari. *Chigichiekat nakatñi eergrae.* Quod ignoratur, non debet narrari. *Am chigat yaraige. chigichiekat yaratapekam* &c.

Ex verbis pluribus activæ ſignificationis participia tum activa, tum paſſiva, non tamen futuri temporis, formantur. *Rikapit* amo. Ex hoc fit: *Ykapiche-*

cherat a me amatus, seu meus amatus. *Grkapicherachi* tuus amatus. *Lkapicherat* illius amatus. Ex isto nascitur fœmininum: *Ykapichkatè* Amata mea. *Grkapichkachi* tua amata. *Lkapichkatè* illius amata. *Ego sum amatus ab omnibus Lkapicheratè Kenoataoge.* Ex hoc participio derivantur: *Kapichera* amor. *Ykapichera* amor meus. *Kapichieraik* amans, amator.

Rikauagè Misereor, benevolentia aliquem prosequor. Participium illius passivum: *Ykáuagrat.* Benevolentia a me affectus. Substantivum: *Ykaúagra*, mea Benevolentia. *Kaaugrankatè* Instrumentum, modus, locus benevolentiæ, vel ipsum beneficium. *Kauagrankachuk* Benevolus, misericors. *Ykaúagek* benevole a me habitus. *Grkaúagigì* benevole a te habitus &c.

Hapagranatran doceo. *Napagranatranak*, Docens. Magister. *Napagranatek*, Qui docetur, discipulus. *Napagranatranrek*. Doctio, instructio. *Napagranatrankatè* Locus, ubi, vel materia, quam alter docetur. Pluribus exemplis supersedeo. Oculis quidem tuis, labiisque lassitudinem metuo jam, ac satietatem; Nam vel scribenti mihi fastidium jam jam se insinuat. Supersunt tamen plurima, que nefas sit silentio præterire.

Formidabilem jam tyronibus Abiponensis linguæ labyrinthum ingredimur, ubi, nisi ut Ariadne Theseum, sic te experientia longior duxerit, nusquam tuto citra erroris discrimen ambulaveris. Verba, quæ transitiva, vel reciproca vocant grammatici, intelligo. Actio unius in alium nostris linguis per ipsa pronomina: *Ego*, *tu*, *ille*, *nos*, *vos* nullo negotio explicatur. Abipones e contrario omisso illorum pronominum usu, varia verborum inflexione, novis hinc, at-

atque illinc implexis particulis id præstant. Exemplis hæc fient planiora. *Amo te, tu amas me, Ille me, vel te amat. Nos illum amamus. Amatis nos, vel illos,* latini sine verbi mutationibus pronominum ope mutuum amorem exponunt, quod multis cum ambagibus, vario semper artificio præstant Abipones. Sic: Amo *Rikapit.* Amo te *Rikapichieroà.* Tu amas me *Grkapichioà.* Ille amat me *Nkapichioà.* Ille amat te *Nkapichieroà.* Amamus illum *Grkapitaè.* Amamus illos *Grkapitla.* Amo me ipsum. *Matníkapitalta.* Amas te ipsum *Nikapichialta.* Nos mutuo amamus *Grkapitáatá* Verum utinam hoc verborum omnium foret paradigma! Alia alias sibi adsciscunt particulas, syllabarumque mutationes. Sic:

Rikauagè. Misereor. Misereor tui. *Rkauágyégarigè.* Tu misereris mei. *Grkauagiygè* Tu misereris nostri. *Grkauágyegarik.* Miseretur mei. *Nkauágiygè.* Miseretur tui. *Nkauágyegarigé.* Miseretur illius. *Nkaúagegè.* Miseremur nostri mutuo. *Grkaúagekápegetaá.* Misereor mei ipsius. *Ñikaúakáltaá.*

Hapagr̃anatr̃an. Doceo. Doceo me ipsum, seu disco. *Neapagr̃an.* Docemus alter alterum. *Hapagr̃ankatápegetà* Doceo te. *Hapagrani* Doces me. *Riápagr̃ani.* Docet me. *Riapagr̃an.* Docet illum *Yapagr̃an.*

Hamelk verbero. Ego te. *Hámelgi* Tu me. *Riámelgi.* Ille me *Riamelk.* Ille te verberat. *Gramelgi.* Ille illum *Yamélk.*

Hakleenté. Recordor. Ego tui. *Hakleenchitápegr̃ari.* Tu mei *Hakleenchitapegii.* Ille mei *Yákleentetápegiì.* Vel his visis deprehendas in verbis transitivis variationem, cum jam *er̃oà*, jam *yégarige*, jam *rar̃i*,

jam alias particulas aliis perſonis inſpergere oporteat. Illarum cognitio, mihi crede, incredibiliter fatigat Europæos, & non niſi longa cum his Barbaris conſvetudine tandem obtinetur. Alii quoque Americani verbis iſtis tranſitivis utuntur, ſed ad mutuam actionem, vel paſſionem explicandam una illis eſt forma. Sic Quaranii dicunt: *Ahaihù.* Amo. *Orohaihù* amo te. *Ayukà* occido. *Oroyukà* te occido. *Amboé* doceo. *Oromboe* te doceo &c. Quid, quæſo, facilius, quid expeditius?

Relativum *Qui*, *quæ*, *quod* interdum exprimunt per *Eknam*, vel *enonam* plurali numero. *Sic Dios, eknam Kaogarik.* Deus, qui eſt Creator. *Hemokáchin nauáchiekà, enonam Yapochi.* Magni facio milites, qui ſunt ſtrenui. Interdum, latinorum more, Relativo *Qui* ſuppreſſo participium, vel adjectivum aliud ſubſtituunt. *Riákayà neteginga oakaika, Kach quenò ahamraeka.* Abominor canes mordaces, & mortuos.

CA-

CAPUT XVII.

De aliis Abiponum linguæ proprietatibus.

Abiponum ſinguam verborum egenam, ac jejunam, an locupletem dicam, anceps hæreo etiamnum. Poſtquam expoſuero, quibus vocabulis hinc deſtituatur, inde ſuperfluat, tute ſententiam feras judex. Deſunt Abiponibus vocabula, quæ quotidianæ locutiotionis videntur elementa. Carent verbo ſubſtantivo: *Sum*, quod quidem & quaranii non habent. Carent verbo: *Habeo*. Carent vocibus, quæ *hominem*, *corpus*, *Deum*, *locum*, *tempus*, *nunquam*, *ſemper*, *ubique &c.* Significent, quæ tamen ſingula humana in conſvetudine identidem recurrunt. *Ego ſum Abipon. Aym Abipon.* Ego Abipon, dicere ſolent. *Tu es plebejus - Akami Lanaraik.* Tu plebejus. Sæpe adjectivo, & verbo ſubſtantivo verbum aliquod neutrum ſubſtituunt exemplo latinorum, quibus perinde eſt dicere: *Sum ſanus*, vel *bene valeo*. Sum fortis *Riabòt*, tu *Gribochi*. Ille, *Yhòt*. Sum magnanimus. *Riapòt*. Tu *Grapochì*. Ille *Yapòt*. Sum timidus. *Riakalò*. Tu *Grakaloi*. Ille *Yakalò*. *Veniat Hiſpanus, jam ero ſtrenuus. Tach hanék Kaámelk, la riapotam.* viden', ut Abiponibus facile verbo ſubſtantivo carere! quin & verbo: *Habeo*. Habeo multos equos. *Ayte yla ahêpega.* Multi equi mei. Habeo multos pulices. *Netegink loapakate enò ! Pop*. Non habeo Carnem. *Chitkaeká Lpabè.* Non habeo piſces. *Chige-*

koà nòayi. Hekà Abiponibus idem ſonat, quod latinis *datur*, vel *ſuppetit*, Germanis *Es giebet*. Hiſpanis *ay*. *Chitkaekà* eſt negativum, ſignificatque: Non dari; non ſuppetere carnem, piſces &c. In plurali numero dicitur: *Chigekoa*. Daturne cibus? *Meka Kanák?*

Neogà diem ſignificat, ſed & tempus. *Grauek* Luna pro menſe accipitur. *Yñiera* flos ſiliquæ Græcæ eſt, ſimul annum denotat. Hinc dum ex alio, quot annorum ſit? quærunt, *quoties jam te vivente ſiliqua græca* floruit? ajunt: *Hegem leyera yñiegari?* Quæ phraſis utique poetica. Pro corpore vel pellem, vel oſſa, partem nempe pro toto, nominant. *Yoalè* virum ſignificat duntaxat, pro homine tamen ſignificando pariter adhibetur. Eodem modo Quaranii vocabulo: *Aba*, quod virum, & nationem Quaranicam denotat, utuntur, cum nomine, quod hominem ſignificet, careant. *Aba che* triplicem ſenſum contiņet, ſcilicet: Ego ſum *Quaranius*. Ego ſum *homo*, vel ego ſum *vir*. Quid horum dictum velit, ex colloquii argumento colligendum eſt. Nusquam forte plures, quam Abiponum in patria, virgines; Neque tamen, niſi per circumſcriptionem, norunt virginem explicare. Vox enim: *Haayè* juvenculam qualemcunque, etiam corruptam, ſignificat. Pro *nunquam Chik*, vel *Chit* non ſolent collocare. Sic: *Nunquam hinc migrabo*. Chik rihiukàm. Frequentius: *Chitlgibe rihiukam* ajunt; *Chitlgibe*. *Non apparet tempus, quo migrandum mihi*, denotat. *Æternum* per interminatum explicant. Sic: vita ſempiterna. *Eleyra chit Kataikañi*. Vita, quæ non finitur. Deum, cujus nomen ignorant, cum Hiſpanis vocavimus: *Dios*, *eknam Kaògarik*, vel *Naenatranak lipigem*, *Kachka aalò*; Deum, qui rerum omnium effector, vel creator cœli, & terræ. *Kauè* facere ſignificat. *Kaogárik* factorem. *Tetarik l'Kauete* ova, Gallinæ opera, appellant.

Ubi-

Ubique una voce dicere nequeunt, ſed circumſcribunt hac ratione: Deus eſt in cœlo, in terra, & non eſt locus, ubi non ſit. *Menetahegem quem hipigèm, menetañi quen aaloà*, *Ka chigekòr amà, chig enaè.* Præterea alia innumera, queis deſtituuntur, vocabula; Illa tamen variis modis ſupplere norunt; Norunt quoque res non paucas, quæ apud nos una ſemper, eademque voce exprimi ſolent, multis nominibus inſignire, vel eandem verbi radicem novis particulis ita veſtire, ut aliud ſemper atque aliud vocabulum poſſit videri. Ut linguæ hujus inopiam exemplis aliquot detexi, ſic ejus quoque copiam breviter exhibendam mihi putavi.

Incredibile, quot ſynonimis polleat. Sic: *Kachergaik. Kamergaik. Kereraik. Laykame'*, ſenem ſignificat. *Mortuum*: *Eloraik. Egargaik. Abamraik. Chitkaeka Laeh. Bellum*; *Nahamatrek. Nuichiera. Noélakierek. Anegla. Cibum. Kiñierat. Hanák. Nakà. Naek. Caput*: *Lemarat. Lapañik. Coelum*: *Hipigem. Obajenk. Neſcio. Chigriaraik. Taagè. Uriakà. Ntà. Chig ñetun. Akamitañi*, quod poſtremum perinde eſt, ac ſi interroganti alteri reponeret: *Tute id noveris*, fateturque ſe, quod interrogatur, neſcire. Interdum eadem interrogantis verba repetunt, quo ignorare ſe id teſtantur. Vulnus qualecunque vocant *Lalaglet*. Si illud dentibus beſtiæ alicujus vel hominis inflictum; *Naagek.* Si cultro, vel enſe: *Nicharbek.* Si lancea: *Noarek.* Si ſagitta: *Nainek* vocatur. *Pugnant*, ſi ratio pugnæ non exprimatur; *Roélakitapegetà.* Si pugnant haſtis: *Nabámretà.* Si ſagittis: *Natenetápegetà.* Si pugnis ſe contundendo: *Nemarketápegetà.* Si ſolis verbis: *Ycherikáleretaà.* Si duæ uxores pro eodem ſuo marito: *Nejéentà.* Rem aliquam finitam eſſe, diverſis vocibus ex-

 pli-

plicant. Finita eſt infirmitas: *Láyamini.* Finita eſt pluvia, luna, frigus: *Lánámreuge neetè, grauek, latarà.* Finitum eſt bellum: *Nabálañi aneglà.* Hiſpani milites ſunt finiti, id eſt, internecione deleti: *Lanamichiriñi Kaáma yoaliripi.* Finita eſt mea patientia: *Lanámouge yapik.* Finita eſt tempeſtas. *Layambà.* Finivit ſuum officium, defunctus eſt ſuo magiſtratu: *La yauerelgè.* Fini, abſolve denique tuum opus: *Grahálgali, Laamachi graénategi*, Jam jam res finitur: *Láyam ayam.* ſub finem mundi. *Amla hanamrani.* Pugna ſi committatur ſagittis, dicitur: *Noatarek.* Si haſtis: N*oaararaurek* vel N*abamatrek.* Si pugnis ſolum: N*emarketrek* Hoc vocabulum eventus ridiculi memoriam mihi refricat. Laicus quidam noſter Bavarus ad ſtruendum Miſſionariis tugurium in recenti S. Hieronymi colonia verſabatur aliquamdiu. Fabrili opere occupatus Abipones quotidie ſpectatores habuit ſuos, colloquentesque, quin vel ſyllabam intelligeret, audivit identidem. Cum voces N*abamatrek*, N*oatarek* aliaque plurima verba in *Trek* deſinentia frequentiſſime perceperit, menſæ accumbens Patri Joſepho Brigniel Auſtriaco ingenue dixit: Nullus ſim, ſi hæc Abiponum lingua cum noſtra Germanica non habeat maximam affinitatem. Vix ovum ovo ſimilius. Iterum enim, iterumque, aiebat, *Trek*, *Trek* audio pronunciari.

Hanc Abiponum linguam haud abs re linquam Circumſtantiarum dici oportere aſſeruimus. Nam ad ſitus rei, de qua ſermo, diverſitatem indicandam alias, aliasque particulas verbis affigunt; Jam *Hegem* ſurſum. *Añi* deorſum. *Aigìt* Circa. *Hágam* in aqua *ónge* foris, vel foras. *Alge*, vel *Elge* in ſuperficie &c. Exemplis res evadet luculentior. Eodem verbo: *Eſt*, contenti dicimus: Deus *eſt in Cœlo*, eſt *in terra*, eſt *in aqua*, eſt *ubique*. Abipones nova ſemper par-

ti-

ticula, quæ ſitum indicet, verbo *eſt* adjecta ajunt: *Dios menetabegem Ken bipigèm* Deus moratur ſupra in Cœlo. *Menetañi Ken aàloà* moratur infra in terra. *Meñetàbagàm Ken enarap* moratur in aqua. &c. En particulas *añi. Hegem. Hagam* Verbo: *Ménetá* affixas. Sed adverte animum ad reliquas. Quanta verbi *aſſequor* variatio! Aſſeqnor adventantem: *Hauíretaigìt.* Aſſequor abeuntem: *Hauiraà.* Aſſequor manu, quod eſt infra me: *Hauirañì.* Quod eſt ſupra me: *Hauiribegeméege.* Non aſſequor oculis: *Chit beonáage.* Non aſſequor intellectu: *Chig ñetuñétaigìt.* Aſſequor ſagitta. *Ñaten* Proficiſcentes alii alios aſſequuntur: *Yâueráatà.* Vel. *Yauirétapegetà.* Aſſecutus ſum, quod alter animo ſuo meditatur, vel machinatur. *La hâui Larenatrañrek Lauel* Aſſecutus ſum, quod petii: *La hâuì eka Kan abelrañrat Kiñi.* Audi alia exempla. Metuo: *Rietaebà.* Metuo aquam: *Rietachabagam* Fulgurat: *Rkábagelk.* Fulgurat eminus: *Rkábagelkātaigìt* Splendet: *Richàk.* Splendet in ſuperficie: *Richákatalgè* ſplendor late ſe diffundit: *Richakàtaugè.* Aperio portam plateam verſus: *Hebòtouge Labàm.* Hinc ingredi cubiculum Patris volentes clamitant: *Ybochiugè Labàm.* Aperio portam feneſtram verſus: *Hebòtoà Labam.* Si duplicem portam ſimul aperiam: *Hebòtetelgè Labam.* Claude portam: *Apëegi Labàm.* Morior *Riigà.* Sum moribundus: *Riigarari.* Morior ſuffocatus: *Riigarañi.* &c. &c.

Commemorandæ jam veniunt aliæ particulæ, quæ maximi apud hos barbaros uſus:

Là jam, ſingulis prope verbis præfigunt. *La reòkatarì cachergayè.* Jam plorat vetula. *Là rielk* Jam ſum territus. *La nañam* Jam bibo.

Tapek

Tapek, vel *Tari* ultimæ verbi syllabæ adnexum actionem, quæ nunc suscipitur, denotat. *Hakiriogr̃an* aro terram. *Hakiriogr̃anetapek* nunc, dum loquor, aro. *Haoachin* ægroto. *Haoachinetari* Hoc temporis puncto ægroto.

Kachit. Facio. *Ar̃air̃aik abëpegak* cicur equus. *Ar̃air̃aikachit abëpegak*. Facio equum cicurem. *Rièlk* Paveo. *Riélkachìt nihìrenàk*. Tigris me fecit pavidum. *Ayerhègemegè*. Res alta *Ayercachihègemegè*. Rem facio altam, in loco altiori colloco.

R̃at, vel *R̃an* ejusdem cum priori significationis est quibusdam in verbis. *Rpaè enar̃ap* calida aqua. *Hapaer̃at enar̃ap* calefacio aquam. *Laà* magnus, amplus. *Laar̃ar̃at* amplifico. *Lenechi* parvus tenuis. *Lenechitar̃at* extenuo. *Haoatè* dormio. *Haoacher̃an akiravàlk*. Infantulum facio dormire.

Ken verbum reddit frequentativum, consuetudinem, ac habitum notat. *Roèlakikèn* solet digladiari.

Aagè substantivis: Lahërek opus, vel *Yaàr̃air̃èk* scientia affixum pariter consuetudinem explicat. *Nèoga latènk nañametapek*; *Gramachka Lahèrekàage*, vel *Mat yaàr̃air̃èk aage*. Toto die potat. Hæc denique illius est occupatio; Hæc illius est scientia. Verbo. Illius est consvetudo.

It. Materiam, ex qua res aliqua componitur, significat. *Nichigeherit* Pallium ex Lutræ pellibus consutum. *Nichigehè* enim Lutra est Abiponibus.

Kàepe-

Káepèrit. Locus ſudibus terræ infixis munitus, Hiſpanis la paliſada, vel eſtacada. *Káepak* lignum ſignificat.

Hat. Arborum, vel frugum quarumcunque natale ſolum indicat. *Nebokehat.* Sylva, ubi palmæ naſcuntur *Neboke* palmæ ſpecies. *Nemelkehat* ager tritico conſitus, quod *Nemelk* dicitur. Quaranii eodem utuntur compendio, ſed particulæ *Hat* ſubſtituunt *Ti.* ſic: *Abati* Turcicum triticum. *Abatiti* ager, ubi hoc procreatur. *Peti* Tabaca. *Petindi*, ubi tabaca creſcit. Euphoniæ cauſa, quam maximopere curant Quaranii, *ndi* loco *ti* ponunt.

Ik. In hanc ſyllabam omnia prope arborum nomina deſinunt. *Apèhe* fructus Chañar. Arbor *Apebìk.* Oaik ſiliqua Græca albi coloris; *Roak* rubri. Arbores illius feraces *Oáikik.* roaikik. quamvis & uno nomine *Hamáp* ſiliqua Græca appelletur.

R̄eki. Significat Vas, locum, vel inſtrumentum, quo res aliqua clauditur, ſervatur, vel continetur. *Nañamr̄eki* Poculum, a *Nañam* poto. *Neetrki* idem ſignificat. *Neèt* enim & *Nañàm* ſynonima ſunt. *Katarãnr̄eki* furnus, acerra a *Nkáatèk* ignis. *Keyeerãnrekì* Linter, in quo veſtes ſimigmate lavantur. *Keyarãnràt* Sapo, ſeu ſmigma eſt illis.

Layt. Ejusdem prope, cujus prior particula, ſignificationis. *Yabogék Layt* pyxis, qua tabaca ſervatur *yabogék* enim tabaca in pulveres redacta. *Ahëpegrlayt.* Septum, quo equi clauduntur.

Lanà

Lanà magni omnino ufus, & fæpe facra anchora, quam tyrones lingua hac leviter tincti ad fe fe explicandos arripiunt. Significat id, quod vel inftrumentum, vel medium, vel pars rei alterius perficiendæ. Exemplis palam fiet. Abipones tabacæ folia fale mifta, & vetularum falivâ fubacta mandunt quotidie, ac medicinam appellant. Horis prope omnibus adfunt, &: *Tachkaûe Pay̓ npeetèk yoetà*, ajunt, Pater da mihi folia tabacæ meam medicinam. His acceptis mox fubjungunt: *Tach kâue achibiraik noetà̓ lanà̓* da mihi etiam Sal, quod ad illam medicinam componendam fervit. Adeft alter, &: *Tachkaûe latarān, lpabè̓ lanà̓* ait: Da mihi cultrum, quo Carnem fcindam. Vel: *Tachkaûe Këëpe yëëriki lanà*. Da fecurim, inftrumentum domus mihi fabricandæ. Linguæ peritiores hac vocula *Lana* fere abftinent; Illius loco ex verbis effingunt fubftantiva nomina, quibus rei faciendæ inftrumentum, vel medium belliffime exprimitur. Sic: *Noetarèn* Medeor. *Noetarenátaranrát* Medicina. *Noetaranatarankatè̓*. Inftrumentum medicum. *Hakiriogran* aro. *Kiriogrankatè̓*. Aratrum *Nahategran* Tondeo. *Ahategkatè̓* Forfices, vel emunctorium candelæ, quod lychnum quafi tondeat. *Géhayà*. Afpicio. *Gebarlatè* Speculum, *Rietachà* Timeo. *Netachkatranrat*. Inftrumentum terroris injiciendi. Vultus deformitate infignes hoc nomine faceti appellant, veluti oculorum terriculamenta.

Latè Locum actionis indicat. Sic: *Nahamâtralatè* locus pugnæ, *Kinieralatè* locus, ubi comeditur, fcilicet menfa.

Res ex Europa allatas, vel ab Europæis excogitatas nominibus vernacula e Lingua depromptis haud ineptè insigniunt. Nolunt vocabulorum inopes videri, mendicatisque ab extera gente vocibus linguam contaminare suam aliorum Americanorum more, qui passim ab Hispanis verba mutuantur. Equos, quos Hispani cavallos, Quaranii *Cavayù* appellant. Boves, quos Hispani *Nobillos* dicunt, ab illis *Nobì* vocantur &c. Abipones e contrario equum *ahëpegak*. Bovem *ỳúihàk*. Taurum *ỳúihák lepà*, id est, bovem non castratum lingua propria appellarunt, etsi ante Europæorum adventum has ignorarint bestias. Templum *Loakal Leëriki* domum imaginum, vel *Natamenr̃eki*, ubi Deo gratiæ aguntur. Sclopetum *Netelr̃anr̃e*, quod arcum, e quo sagittæ vibrantur, significat. Quidsi ex verbo: *Neetè* tempestas hoc vocabulum derivatum, quod sclopetum tempestatis tonitrua imitetur. Pulverem nitratum *Netelr̃anr̃e leenr̃a* farinam sclopeti: librum *Lakatka* quod verbum, linguam, orationem denotat. Epistolam, schedam quamcunque literis conscriptam, vel pictam *El rka* dicunt, qua voce utuntur alias, dum fœminæ intrarum pelles variis linearum ductibus rubro colore expingunt, e quibus pellibus penulas ad arcendum frigus concinnant. Melopepones, vel pepones aquaticos *Kaáma lakà* cibum Hispanorum vocant. Animam, umbram, Echo, imaginem eodem nomine insignierunt *Loákal*, vel *Lkibì*. A latinis quoque vox *imago* pro Echo adhibita. Valerius Flaccus l. 3. Argon: *Rursus Hylam, & rursus Hylam per longa reclamat avia, responsant sylvæ, & vaga certat imago.* Ut imago figuræ, sic Echo vocis repræsentatio est. Gossypium, quod telæ materies, *Aapar̃aik* telam appellant. Triticum *Etantà lpetà* granum panis, *Netelr̃anr̃e lpetà* plumbeas sclopeti

peti glandes, vel *Káama' lanarba* ſagittas Hiſpanorum. Fides, ſeu Chelyn *liúigi*, quod lumbos animalis indicat. Metallum qualecunque *lekàt*; Nummos argenteos *Lekachàole* parva metalla vocant. Infernum *Aalò labachiñi* centrum terræ, vel *Keevét Lëëriki* dicunt, domum diaboli. Induſium *yelamrkie* Tibialia, vel ocreas. *Lichil lelamrkie*. Femoralia. *Ykiemarba*. Calceos *yachrbárlatè*. Petaſum *Ñoarà*; vittam, mitram, qualecunque Capitis tegumentum *yetapebè*. Globulos vitreos *Ekalraye* vocant. Omitto his ſimilia.

Familiares ſunt his Barbaris metaphoræ. Capitis dolore affecti: *Là y'ivíchigi yemarat*. Jam caput mihi iraſcitur, exclamant. Manuum labore fatigati: *Là y'ivichigi yauigra* Jam Sanguis mihi iraſcitur, ſubridendo ajunt. Irati: *Là ànahegem yauel* Jam mihi cor aſſurrexit, dicunt. Moleſtiæ alicujus impatientes: *Là lanamouge yapìk* Jam finita eſt mea patientia. Jam non ſum huic dein ferendo, vociferantur.

Quamvis Quaranii, pluresque alii Americæ populi non niſi poſtpoſitiones habeant ſua in lingua, Abipones Præpoſitionibus utuntur. Sic Quarannii Sanctæ Crucis ſignum manu formantes ajunt: *Tuba haè layra, hae Eſpiritu Santo rera pipe*. Amen. Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nomine in. Amen. *Pipe* enim *In*. *Rera* nomine ſignificat. Abipones e contrario: *Men lakalátoèt Netà, Kat Náitarat, Kachka Eſpiritu Santo. Amen*. In Nomine Patris, & Filii &c. *Men* In. *Lakalátoet* nomen exprimit. *Men*, *Mek*. *Kèn*. *En Kera' In*, vel *ad* jam cum motu jam ſine motu ſignificat. *Men aaloa*, *Men hipigem* In terra, In Cœlo. *Labik Ken nepàrk* jam abeo ad Campum. *La ribi mek Kaáma Loetà*. Jam migro ad

ad Hiſpanorum terras. Propoſitionem *Cum*, quæ ſocietatem notat, ignorant. Sententiam hanc: *Ibo tecum*, ſic efferunt. *Grabauitapekam.* Te comitabor. Vel aliter per *etiam*. *La me? Clachkehin.* Abis? etiam ego. *Dominus tecum. Dios Gnoakàrà hiñitaroat.* Dominus tibi aſſociatus eſt. *Haràà* propoſitio ſignificans inſtrumentum, quo res peracta eſt. *Yóale yahámat nibirenak naraà lobélete.* Indus mactavit tigridem lanceâ. *Ýágàm* ſicut, vel inſtar. *Roahà ýágàm netegink* Invadit inſtar Canis.

Ipſa adjectiva adverbiorum vices plerumque ſubeunt; Hæc perinde, ac illa, prout tempus præteritum, vel futurum ſpectant, verborum inſtar, varie flectuntur, ſic: *Ariaik. Neèn.* Bonus, & bene ſignificat. *Kemen ariaik kàn!* quam bonus, vel quam bene fuit. *Kàn* præteriti nota eſt. *Ariaekam.* Bonum, vel Bene erit. *Am* nota futuri. *Kitè*, nunc. *Kitekân* nunc fuit. (*Kitàm* nunc mox erit. Si de re præterita quæras, dicendum: *Hegmalagè* quando. Si de futura: Hegmalkàm. Ad præteritum reſpondent jam: *Nehègetoè* Dudum. Jam: *Hákekemàt.* Nunc, hoc temporis puncto. Jam: *Chigabák* nondum. Jam: *Kitnéoga* hodie *Kitnénegin*, vel *Kit nehaól* Iſta nocte. *gnaàma.* Heri. Ad futurum: *Amà. Amlayerge. Chitlkibe.* Poſt longum temporis intervallum. *Amlà* Poſtea. *Am richigni* Cras. *Amékére láhaua* Perendie *Am náama* ad veſperum. *Et* per Kachka, Kach, vel Kat, prout ſequenti literæ melius conſonuerit, exprimitur. *Non Ynà* omnes, promiſcue dicunt. *Ita* pro ratione tum ſexus, tum ætatis diverſe explicatur: *Héé* viri atque adoleſcentes reponunt interrogantibus. *Hàà* fœminæ omnes. Vetuli ducto ex intimo pectore rhonchó, quidquid demum ſit, affirmant. Id non literis, ſed

viva voce, licet non citra raucedinis periculum, facilius, apertiusque poteſt declarari. Quanto ſonantior rhonchus, tanto luculentior affirmatio.

Eùrigri, *Eòrat*, *miekaenegen*, Cur, qua de cauſa. *Miéka énegen nkaué*, *nauichi enà?* quid cauſæ fuit, ut venires? *Men* interrogationis eſt particula, *an* ſignificans. *Men leerà?* Eſtne verum? *Klerà* eſt certum. *Chigera.* Non eſt verum. Vel ſi de rei veritate dubitant, reſpondent: *Eùriñigi.* Interdum, dum falſitatem alterius relationi ſubeſſe arbitrantur, præteritum futuro conjungunt, & per ironiam reponunt: *Kánigra Leeràm.* Olim verum id erit. *Kánigra* præteritum, *leerám* futurum eſt.

Litera *M* verbo præfixa interrogationem denotat. Sic: *M'ayte nauachieka?* An multi milites ſunt? *M'oachiñi.* An ægrotas? Si prima, quæ M ſequitur, litera conſonans, vel *H* ſit, illa penitus abſorbetur. *M'anekam ena?* Veniet ne huc? Ex verbo: *Hanekám* veniet, H penitus omittitur, diciturque: *Manekàm.* Mauichi Kenà? Hucne advenisti? *Nauichi* N litera eliminatur, & M. ſubſtituitur: *Mauichi.* *Mik* ſolum, vel *Mik mich* interrogationis formulæ ſunt. *Mik mich grihochi?* Num bene vales? Alias ſolo accentu, vocisque elatione interrogatio cognoſcitur. *Layàm nauichi?* Tandem veniſti? *Origeena*, *Morigi* voculæ ſunt interrogantis ſimul ſimul dubitantis. *Morigi npágàk ocnèk?* Forſitan pudet juvenem? *Hegmi hìnnerkam?* quid tandem erit? *Orkeénam.* Neſcio, quid futurum ſit.

Latàm prope, parum abfuit, quin ſubmergerer, *Latàm riýgerañi.* *Latam riahámat 'yíuihàk*, Bos me prope occidit. *Yt*, vel *ych* ſolum, duntaxat.

Tach-

Tachkaue yt leneckiavalk. Da mihi tantum modicum quid. *Mat*, vel *Gramachka* denique. Quando cum aſſeveratione ſeria aliquid affirmatur, vel cum jactantia. *Gramachka Abipon yapochì.* Denique Abipones ſunt magnanimi. *Eneha mat yoale.* Hic denique eſt vir. *Chik*, *chit*, *chichi* prohibentis voces ſunt, uti *ne* apud Latinos. *Chik grakalagitrani*, ne dubites. *Chichi noaharegrani* ne mentiaris. *Klatùm Keèn* quamvis, *oagan* tamen. *Eneha Klatum Keèn èúének*, *oagan netackaik.* Quamvis iſte ſit pulcher, eſt tamen timidus. *Tan* Quia. *Máoge*, ideo. *Tán ayte apatáye ken nepark*, *máoge chik àatèkan.* Quia multi culices in campo, ideo non dormivi. *Men*, *Men* ſicut, ita. *Men netà*, *men naetarat.* Sicut pater, ita & filius.

Diverſas habent admirantis, dolentis, gaudentis &c. Exclamationes. *Kemen apalaik akami!* Quam tu ſordidus, & rerum tuarum tenax es! *Keméu naáchik*, vel *Kimili naáchik*! O quam erit mihi hoc utile! Eſt modus gratias agendi pro accepto munere. Haud enim Abipones, aut Quaranii verbum ullum poſſident, quod *gratias agere*, vel gratitudinem ſignificet. Quid mirum, quod gratitudinem ne de nomine quidem notam factis rariſſime con[illegible]ſtentur. Beneficiis equidem, ut quidam dixit, utuntur ut floribus, tamdiu gratis, quamdius recentibus. Repulſa unica beneficiorum priorum memoriam penitiſſime apud Indos abolere conſuevit. Quaranii dono accepto eadem phraſi dicere ſolent: *Aquiyebete ângà* ſalutare mihi hoc erit. Abipones interdum, poſtquam, quod petierant, impetrarunt, nil niſi hanc voculam: *Kliri* Hoc erat, quod volui, beneficium conferenti reponunt. Alias ſeu admirantes, ſeu miſerantes exclamant: *Kem ekemar*! *Ta yeegàm*! *Ndrè* quod iis ſubita

quavis novitate attonitis familiariſſimum. *Tayretà!* O pauperculum!

Verum ſatis hæc, ſuperque fuerint, ut Abiponenſis Linguæ ſalebras, difficultates, exoticumque artificium animo concipias. Quod ſi enim, quæ ad ejus penitiorem ſcientiam pertinent, complectar ſingula, juſtum utique volumen exiret. Pater Joſephus Brigniel primus gentis illius cultor, dum S. Hieronymi Coloniæ annos admodum duodecim præeſſet, primus item Linguæ huic diſcendæ, moxque tradendæ operam dedit, nuper barbarorum diſcipulus, ſubinde ſociorum, qui ſuppetias miſſi, magiſter. Præcipua Religionis capita, ſolemnes Eccleſiæ precationes in Abiponenſem traduxit linguam, univerſæ in quatuor dein colonias tributæ nationi ſubſidio futuras. Incredibile, quantum moleſtiæ hoc in ſtudio devoraverit, etſi ut laborum patientia, ſic memoriæ tenacitate plane ferreus. Cum Latinis, Germanis, Gallis, Italis prompte, cum Hiſpanis, Quaraniiſque, quorum diu Apoſtolus fuerat, etiam eleganter loquebatur, ſex linguarum probe gnarus; Cum Abiponibus tamen balbutire denique ut noſſet, hic labor, hoc opus fuit. Ut rerum nomina, nominumque inflexiones, ac uſum expiſcaretur, omnem ſane movebat lapidem. Aſt quamvis diſcendi avidiſſimus nulli induſtriæ parceret, magiſtri nempe, ac libri, qui docerent, fere deſiderabantur. Haud defuere equidem Hiſpani, qui adhucdum pueri bello capti Abipones inter Abiponenſem combibiſſent linguam, ſed iſti linguæ patriæ plerumque jam immemores. Qui adultiores in Barbarorum captivitatem incidere, eorum linguæ adeo infeliciter demum aſſveſcunt, ut quatuor verba ſine totidem erroribus vix, ac ne vix quidem noverint proferre. Nativæ linguæ ſenſum

ſim obliviſcuntur, quin alienam rite perdiſcant. Utraque loquuntur, ſed neutram vel mediocriter callent. Idem Germanis, Italis, Gallis in America eveniſſe, vidimus, qui patriæ linguæ obliti Hipanicam rarò perfecte ſunt aſſecuti. Idem de Abiponibus ſentiendum, qui apud Hiſpanos aliquamdiu captivi ad ſuos rediere. Ex captivis igitur errare citius, quam loqui diſcas. Si quis tamen illorum linguæ utriusque mediocriter gnarus a nobis conductus eſt magiſter, ſuperi boni! quanta nobis faſtidia erant exhaurienda. Interrogatus: quo nomine hanc, illamve rem compellant Abipones? Voce tam dubia, tam obſcura reſpondet, ut ne ſyllabam, ne literam quidem unam percipias. Si bis, ſi ter idem tibi pronunciari vocabulum poſcas, commota mox bile ſtomachatur, & obmuteſcit. Vix lapſa inſtitutionis hora verborum aliquot, quæ enunciavit, mercedem quotidie poſtulat: Hodie cultrum, Cras forficulas, perendie globulos vitreos, alias aliud majoris pretii. Si negas illi poſtulatum præmium, vix tandem te reviſet; Si porrexeris, ad petenda ſemper majora indies evadet audentior. Summa diſcipuli miſeria, ſi magiſtri vel rari, vel nimium cari. Rerum, quæ oculis obverſantur, nomenclationem quotidiana cum Indis conſvetudine paulatim perdiſci, haud inficior; At illa, quæ oculos fugiunt, quæ ad Deum, ad animum pertinent, conjectura ſolum, & longiſſimo rerum uſu tandem cognoſces. Dum de equis, de tigride, de armis ſermo, Abiponum quemlibet Demoſthenem, Tulliumve experieris. Dum de animi affectionibus, functionibusque, de virtutum habitudine quæſtio, reſponſa nocte obſcuriora reddent, vel elinques adſtabunt.

Quaranicæ linguæ ſtudentibus nobis Grammatici Codices, terna item lexica Patribus Antonio Ruyz de Montoya, & Paulo Reſtivo ſiculo authoribus edita temporis perinde, ac laboris compendia exſtiterunt. Horum ope noſtri adeo accelerati fuere progreſſus, ut menſe tertio exeunte Quaraniis ſacro pro tribunali aures præbere permitteremur e quatuor ſociorum antiquiorum ſententia, qui ſuperiorum juſſu noſtram linguæ ſcientiam longo examine acriter ſunt periclitati. Quæ quidem librorum ſubſidia, cum Abipones inter deeſſent, Joſephus Brigniel laboris contentione, & quotquot poterat, induſtriis ſupplevit. Si quam vocem novam, vel elegantiam e Barbarorum colloquio, ut aves e fimo tritici grana legere ſolent, detexit, in adverſaria retulit diligenter, ac demum lexicon conſcripſit, quod progreſſu temporis ad centum quinquaginta phyliras excrevit. Illud a ſociis ſubinde deſcriptum, limatum, magnisque acceſſionibus locupletatum fuit. Scilicet facile eſt inventis addere; Nam ſucceſſores anteceſſorum humeris inſiſtentes & longius, & plura vident. Opulentum Peruvium Pizarrus, Mexicum Corteſius penetrarunt, ſed columbo, qui Americam primus vidit, præeunte. Brigniel noſter viam, qua tantis in tenebris linguæ barbaræ incedendum ſit, primus oſtendit, ducem ſe præbuit reliquis, &, ut paucis dicam, in illa rerum caligine rudia grammaticarum legum lineamenta indicans lucem accendit, vel hoc nomine æternum celebrandus. Illo per biennium & contubernali, & magiſtro uſus vocabularium ſcripſi non alphabetico ordine digeſtum, ſed eo fere modo, quo Amos Comenius *Veſtibulum linguarum* concinnaverat, ac in hanc usque diem retineo.

Novis Abiponensem linguam difficultatibus implicat mos barbarorum ridiculus, vocabula universæ Nationi communia antiquandi identidem, novaque illis substituendi. Ritus funebres istius consvetudinis sunt origo. Nolunt Abipones superesse quidpiam, quod vita functorum memoriam refricaret. Hinc vocabula apellativa, quæ cum mortuorum nominibus aliquam referunt affinitatem, mox abolentur. In S. Hieronymi oppido tabe confectus est Abipon juvenis, cui nomen *Hanà* fuit. Eadem vox *acum*, vel *spinam* significaverat id temporis; Sed mox a morte adolescentis vox *Hanà* abrogata est, illique substituta: *Nichirencatè*, quod dein acum, denotaret. Primis, quos Abipones inter egeram, annis quotidiana fuit interrogatio: *Hegmalkam Kahamátek?* Quando erit boum occisio? Ast ob Abiponis alicujus obitum vox *Kahamatek* interdicta est, & illius loco: *Hegmalkam négerkatà* dicere, præconis voce jubebantur omnes. Vocabula: *Nihírenak* tigris cum *Apañigehak*. *Peûe* Crocodilus cum *Kaeprhak*. *Kaáma* Hispani cum *Rikil* permutarunt, quod hæc cum nominibus recens vita functorum Abiponum similitudinem nonnullam referrent. Taceo plurima alia ejusmodi. Inde est, quod vocabularia nostra lituris scatuerint, cum antiquata vocabula ex illis identidem expungenda, novaque inserenda fuerint. Nova rebus nomina indere, Vetularum jus, ac negotium est. Mirabar sæpe, recens inventa ab his vocabula remotissimis mox contuberniis innotescere, universamque nationem vetulæ unius inventioni, ac arbitrio, quin vel unus repugnaret, acquievisse tanta cum religione, ut summi æque ac infimi nefas putent vocabulum abolitum porro enunciare.

His aliud, quod linguæ hujus studium discentibus aggravat, accedit. Ad nobilitatis gradum pro-

promoti Hécheri, & nelareykatè audiunt, ac ipso sermone a vulgo se distinquunt. Verbis utuntur plerumque iisdem, sed literarum jam interpositu, jam additione adeo transformatis, aliud plane linguæ genus ut esse videatur. Virorum, qui ad hanc nobilium classem pertinent, nomina in *In*; fœminarum (Nam & istæ his honoribus initiantur) in *En* desinunt. Quam ipsam syllabam, si cum illis, vel de illis loquaris, verbis, substantivisque adjicere oportet. Hanc sententiam: *Iste equus est possessio Capitanei De baya Kaykin.* Lingua vulgari sic efferet Abipon; *Ene ha ahë, pegak Debayakaykin lela*; Lingua Hecheri autem dicendum: *Debayakaykin lilin.* Plebejum adventantem salutant: *Là nauichi?* Jam venisti. *La ñauè*, jam veni, alter reponit, Si veniens sit nobilis, salutandus est; *Là náuirin* Jam venisti. Iste cum fastu, & magnifica vocis modulatione; *La ñauerinkie*, respondet. Variæ syllabæ verbis vulgaribus vel adjectæ, vel interjectæ sermonem reddunt adeo obscurum, ut lingua prorsus diversa loqui nobiles videantur. Quid, quod & iidem vocabula sibi interdum propria vindicent, quibus, qui de vulgo, sibi fere superſedendum putant. Sic: Plebeji matrem *Latè*, nobiles *Lichiá*. Filium ille *Laétarat*, isti *Illalèk* apellant, ut cætera taceam. Apud Abipones Yaaukanigas, cæteris arrogantiores, fœminarum, puerorumque fæcem nobilium ritu ad pompam loqui, sæpe indignabar. Quidam & risus ciendi gratia hunc Hécherorum stylum affectant. Nos seu in rerum divinarum explanatione, seu familiari in colloquio lingua vulgari, quippe omnibus perspecta, utendum nobis, putavimus.

Triplex esse Abiponum genus, dixi: *Rükahe. Nakaikétergehe. Yaaukanigas.* Eadem omnibus lingua. Singuli singulos intelligunt, a singulis intelliguntur. Voces

ces tamen peculiares in quavis iſtorum claſſe deprehendas. Rükahe culices: *Ayte*; Nakaiketergehe: *Apatáye* nuncupant. Utrumque nomen culicibus belle congruit; *Ayte* enim multos ſignificat, *Apatáye* a *napàta* derivatur, quod ſtoream, qua pro tecto utuntur, denotat. Tanta enimvero Abiponum in finibus culicum eſt frequentia, ut iis non tegi ſolum, ſed & opprimi incolæ videantur. *Bibere* apud Rükahes *neèt*, apud Nakaiketergehes *nañàm* eſt. Iſti caput *Lapnañik*; Illi *Lemañat* dicere malunt. Jaaukanigæ in verborum uſu jam hos, jam illos imitantur; In quibusdam tamen ab utrisque differunt. Lunam vocant cæteri *Grauèk*; Iſti vero *Eergraik* Stellam per antonomaſiam appellant. *Iris* ab aliis *Oábetà*, a Jaaukanigis *Apich* dicitur. Omitto plura ejusmodi. Sed quanta quanta hæc varietas, difficultatis parum, nihil admirationis affert; Tot gentibus Teutonica in uſu eſt lingua, & quantum hæc non dialecto ſolum, ſed & verbis paſſim per provinciam variat. Equum hi *Pferd*: Illi *Ros*: Alii *Gaul* appellant. Quantum Hetruscus a Mediolanenſi, Sabaudo, Veneto differt? Quantum Caſtellanus ab Arragone, Bætico, Navarro, Valentiano! Verum ut ingens, quod Americanas inter linguas intercedit, diſcrimen luculentius pateat, aliquot illarum paradigmata corollarii loco adnectam.

CAPUT XVIII.

Variarum Americæ linguarum ſpecimina.

Riſi perſæpe multorum interrogatiunculam: Quem ſonum ederet Americanorum lingua? avidius, quam ſagacius ex me quærentium. Inſederat ſcilicet rudium animis opinio, per immenſos terrarum tractus innumerabiles Americæ populos uno omnes ore loqui. Verum jam alias dixi, non modo ſingulas Americæ provincias, ſed ſingulas quoque provinciæ cujuslibet nationes propria ſibi gaudere lingua, quæ a reliquis toto plerumque differt coelo. Diſcrimen iſtud oculis, auribusque exploratum ut habeas, en ſigni crucis Romano ritu formandi methodum in quatuordecim Americæ linguis! Binas iſtarum, Quaranicam ſcilicet, & Abiponenſem ipſus calleo, atque annos omnino octodecim exercui. Reliquas ſocii, qui alios inter Indos incanuere, me poſcente adnotarunt. Si, quotquot Americanis ſacram navarunt operam, ſocios omnes idem rogitaſſem, linguas centenis fors non pauciores his in commentariis jam exhiberem. Habeo, de quibus te præmoneam, paucula. Hiſpanis, luſitanisque ſolenne eſt, duplicem ſemper crucem formare. Primum enim frontem, os, ac pectus Germanorum more cruce ſignantes: *Por la ſeñal de la ſanta Cruz de nueſtros enemigos libra nos Dios nueſtro ſeñor.*

Per

Per ſignum S. Crucis de inimicis noſtris &c. ajunt, quod pie præfati manum fronti, pectori, utrique humero, ut latinorum mos fert, applicant, ac: *En nombre del Padre, y del hijo, y del Eſpiritu ſanto, Amen.* In nomine Patris, & filii &c. dicunt. Duplicem hanc crucis formam Hiſpani *perſignarſe, y ſantiguarſe* ſe ſignare, & ſanctificare, vocant. Hiſpanorum ritui Indos conformari oportuit. Hinc verſus primo loco linguis Indicis expreſſos: *Per ſignum S. Crucis* &c. Secundo loco: *In nomine Patris* &c. Significare, noveris. Literas *Ch* more item Hiſpanico ſcias pronunciari. Hinc dum legis: N*achabèt* N*atſchabet* dicendum eſt. Ne mirare, ſi *Dios.* Crúz, Cruzú, Cruſpa, Eſpiritu ſanto voces vel Hiſpanicas, vel ex Hiſpanicis detortas hic identidem deprehenderis, carent equidem vocabulis propriis Americani, quibus *Deus*, *Crux*, *Spiritus Sanctus* rite exprimi queant. Norunt Crucem alii alii Deum lingua patria nuncupare, nemo Spiritum ſanctum,

In 32 Oppida diſtributi Quaranii ſic ajunt:

Per ſignum S. Crucis &c. 1. Santa Curuzù raangaba rehe oreamotareỹmbara agui orepiçirô epè

Tupâ oreyara

In nomine Patris &c. Tuba, haè Tayra, haè Eſpiritu ſanto rera pipé. Amén.

Adverte ſignum ^ literam per naſum ˘ per guttur ˜ per naſum, & guttur ſimul pronunciandam eſſe, monet. Ç apud Hiſpanos litera Z æquivalet,

Cmu

Cum Quaranica lingua non præpoſitiones ſed poſtpoſitiones habeat, utraque Crucis formula ſic ſonat.

I. Sanctæ Crucis ſignum per noſtris inimicis ab libera nos Deus Domine noſter.

II. Patris, & Filii, & Spiritus ſancti nomine in. Amen.

Abipones equites.

I. Kaána nachahét ſanta likinȓánala oahaýegalgè gnaágȓoá Dios Gnoakára.

II. Men Lakalátoét Netà, kat Naitaȓat, Kachka Eſpiritu ſanto. Amèn.

Mocobies, *ſeu Amôkebit* duobus in oppidis. Equites

I. Kena Letanèk ſanta Latizenȓanȓat 'Gdomaȓti Kenoà nokiatedoȓba Dios Gnoakodo.

II. Kelenȓat Neta, Oka Ilialek, Oka Eſpiritu ſanto. Amèn.

N*ota*. Litera ȓ uti apud Abipones, nec ut R, nec ut G, ſed ut mixta ex utraque enunciatur.

Tobas, *ſeu* Ň*atákebit*. Equites uno in oppido.

I. Tigága Laanèk ſanta Lottisdagáñadak Niſontiagà Kanalatagaua Abockiakatit ſeñor Okkomi.

II. Lettaà, Llalèk, Eſpiritu ſanto Leenagàt. Amen.

Mba-

Mbayas, seu Eyiguayegi, Quaykuru, vel Oaekakalòt Equites uno in oppido.

I. Santa Nikenaganagalatè liguága talo Konogoà temà Konoelgódódipi ákami Dios Konibotàgodi.

II. Tigi Liboonágadi Eliódi, liónigi, ninága Espiritu santo. Amen.

Ecquid hæc lingua svavis, mellea, cæterisque blandior videtur? A' literis *F* & *R* abhorret. Literis D L & G abundat. Sed, qui hac lingua utuntur, Mbayæ ante reliquos Barbaros Barbarissimi, Athletici corporis, bellicosi, cunctisque formidabiles. His solis strenuitatis gloriam tribuunt ultro Abipones, etsi quosvis alios Paraquariæ populos præ se aspernentur. Adverte præterea, quatuor has linguas Abiponum scilicet, Mocobium, Tobarum, Mbayarum eadem olim matre natas fuisse. Id nemo nostrum in dubium revocat. Verum superi boni! quanta has inter sorores hodie dissimilitudo! Quam diversa lineamentorum conformatio! Crucem Abipon vocat: *Likinȓanala.* Mocobi: *Latizenȓanȓat.* Toba: *Lottisdaganadak.* Mbaya: *Nikenagana'galate.* Quid dissimilius usquam? Signum Abipon appellat: *Nachabet,* Mocobi: *Letanek.* Toba: *Laanek.* Mbaya: *Liguaga.* Ingens sane duarum vocum metamorphosis, sed nobis Europæis neutiquam miranda, quippe qui novimus: Illyricam linguam Bohemicæ, Slavonicæ, Croaticæ, Rascianicæ, Russicæ, Polonicæ, Vindicæ, Carniolicæ matrem extitisse; Latinam Italicæ, Gallicæ, Hispanicæ, Lusitanicæ, Catalaunæ, Forojuliensis, Sardinicæ; Germanicam Flandricæ, Svecicæ, Danicæ, Helveticæ &c. Ast quam dissimiles ejusdem matris filiæ! Germanus Belgam, Carniolus Russum, Italus vel Hispanus Gallum, nisi Oedipus sit, loquentem ægerrime intelliget, & divinan-

nando ſolum loquentis animum aſſequetur. Navigavimus anno 1748. cum ſvecis liburno Ulyſſiponem; Anno 1769. cum Danis ex portu Gaditano in Italiam. Iſti patrio uſi ſermone nobis Auſtriacis quot verba, totidem ænigmata protuliſſe videbantur. Sed jam ad linguarum ipſa origine a ſe diſcrepantium contemplationem progrediamur; Quæ cum mihi ſint peregrinæ, parentheſes multas porro ne metue.

Lules, & *Yſiſtines pedites duobus in oppidis*. Hæc illorum lingua Tonocotè vulgo dicitur

I. Santa Cruz Yapſaps tayulè Enunupçèn ùá tac: ſéſi çen.

II. Pe, Kuè, Eſpiritu ſanto ùétplè. Amen.

Vilelæ (*Raregrânrâik Abiponibus*) *Paſſain*, Chunipi, pedites duobus in oppidis.

I. Santa Cruz udcebeb rurup Goſagpilet Nakis tum moyóm Dios Pekís.

II. Tatè, Ynakè, Eſpiritu ſanto Guatebè. Amen.

Mataguayi, *Abiponibus Ychibachi* Pedeſtris populus uno in oppido:

I. Ta noltelxanèk ſanta Lekakilús Thetla Lekoix naimameg Illabug Illakatupà.

II. Noala ku lei, uetlas lei, uet Espiritu ſanto Yhilei. Amen.

Ut ſonus linguæ, ſic nationis perfidæ, pediculoſæ ingenium abſurdum. P. Auguſtinus Caſtañares,

&

& P. Franciſcus Ugalde Cantaber Socii noſtri noſtra ætate ab illis ſunt trucidati.

Chiquiti pedites in 10 *Oppidis.*

I. Oi n' aucipi ſanta Curuzis okemai zoichacu zoichupa mo unama pocheneneco Zumunene.

II. Au n'iri Naki Yaitotii, Ta Naki Ritotii, Ta Naki Eſpiritu ſanto. Amen.

Eſt lingua multi artificii, ac laboris, ſed latiſſimè patens.

Zamuci, quorum lingua utuntur nationes Ygaroño, Kaipotades, Karaò, Tunacho, ymonò, & tres aliæ Chiquitorum oppidis paſſim aggregatæ.

I. Guiozè ſanta Curuzire Tupadè arota noc ihia yetaddoe.

II. Daire, Abire apo, enapò Eſpiritu ſanto aha iru. Amen.

Lingua Quichua, quam alias linguam del Cuſco appellant non in Peruvio duntaxat, ſed & in finitima Tucumania Vulgo uſitata.

I. Santa Cruſpa unanchanraicu acaicu cunamanta Guespichi huaicu Dios.

II. Dios Apuicu Yayap, Churib, Eſpiritu ſanto ſutimpi. Amen.

En undecim linguarum, quarum in Paraquaria uſus, Specimen! utinam & cæteras, queis Pampas, Serranos, Patagones, Charruas, Payaquas, Malbalaes, Guanoas, Quanas, Calchaquies, Quayaguis,

Qua-

Quakis &c. uti novimus, a ſociis meis, qui illas calluere, deſcribi curaſſem. Tres, quæ Mexicanis in provinciis vigent, ſubnecto.

Lingua Cochimí in California vulgaris.

I. Santa Cruz makiguá magáe temedegua bapac pakamadèn Dios Wavabapà.

II. Dios ác Ijem, Viſajem, Eſpiritu ſanto maña juann Amen.

* Adverte, literam J Yota H inſtar cum aſpiratione proferri.

Lingua Waicurà Ejusdem Provinciæ.

I. Akatui tipichêù tè ſanta Cruz pèn Kepetakurſu kepe kakuña Dios Urekepe tuyakakéne.

II. Tiè tè Tiáre tipicheu; tè Tichánu chie, Te Eſpiritu ſanto chie. Amen.

Hæc lingua aſperrimo literarum K & T concurſu identidem crepitans, ut auribus, labiisque moleſta, ſic vel ad lemures terrendos aptiſſima cui non videatur?

Lingua Mexicana in Itocatzin uſitata.

Per Signum S. Crucis &c. omittunt.

In nomine Patris &c. In Dios Itatzin; in Dios Ipiltzin, in Dios Eſpiritu ſanto ma Xichiva. Amen. De linguis, quibus in Sonora, in Cinaloa, in aliis Mexici provinciis utuntur indigenæ, nil adnotatum habeo,

habeo, etſi Veteranos Miſſionarios illarum ſcientiſſimos in Hiſpania habuerim aliquamdiu contubernales.

Hæc poſtquam attentius perlegiſti, quantum Americanas inter linguas interſit, perſpexeris utique. Plerasque illarum non dialecto ſola, ſed ipſa prorſus radice differre, aliasque aliis e fontibus ortas fuiſſe periti exiſtimant, qui vocabulorum, queis variæ utuntur gentes, anatomen curatiſſime ſuſceperunt. Ex innumeris Americanorum linguis pauculas duntaxat Europæorum auribus delibandas porrexi. quidſi cæteras in medium adferrem, quæ in Provinciis Peruviana, Chilenſi, Quitenſi, novi regni Granatenſis, in Braſilia, Maragnone, Cánada, Florida, Virginia, Acadia, in tot vaſtiſſimis Americæ inſulis ad immenſa litora fluminum Miſſiſipi, S. Laurentii, Amazonum, Orinoci &c. Tot inter Barbarorum gentes etiamnum ſuperſunt? Linguarum multitudinem ſpectares, fide, prope dixiſſem, & numero ſuperiorem. In Babylonica confuſione duas ſupra ſeptuaginta linguas extitiſſe Divus Hieronymus refert. In utraque America tot extant, ut illarum ſeu numerum, ſeu nomina etiamnum ignoremus. Omnium conſenſione laudatus Antonius Vieira noſter Regius Romæ, & Ulyſſipone aliquamdiu Concionator, demum Braſiliæ, Maragnoniæque ſtrenuus Apoſtolus, dum in urbe Maragnonica S. Ludovici in feſto Pentecoſtes ſeculo ſuperiore ad populum verba faceret, palam edixit: *In litoribus fluminis Amazonum, quæ incolis confertiſſima, ad annum* 1639. *uſque, centum quinquaginta linguas fuiſſe detectas; Labentibus dein annis novas identidem & nationes, & linguas innotuiſſe.* Ex uno fluminis unius angulo facilis erit ad immenſa Americæ ſpatia conjectura. Explodendi potius, quam refellendi ſunt, qui linguam

communem, ubique locorum vulgatam, vulgaremque populis omnibus in America Auſtrali (uti Malayiſia lingua in magna ad orientem ſolem India) vigere perperam affirmarunt. Quæ enim, amabo, communis illa lingua? quo nomine vocatur? Nos equidem, quibus iſtic comæ, barbæque incanuerunt, illam etiamnum neſcimus. Quæ ſi ſuppeteret, gratulandum magnopere foret Miſſionariis; Nam illa ſola imbuti docendis Paraquariis, Chilenſibus, Peruvianis, Quitenſibus populis ſufficerent, ac moleſto alias, aliasque linguas diſcendi onere levarentur, quoties alias, atque alias gentes ſuſcipiunt erudiendas. Quid ſi linguæ univerſalis nomine Quichuam intelligant? Illam enim liguam Generalem Peruvii nuncupare conſveverunt. Haud inficior, hanc ab Indis, & Æthiopibus, qui Hiſpanos inter verſantur, quin & ab Hiſpanorum vulgo in Peruvio, in confini Tucumania, in Quito uſurpari paſſim; ſed eandem penitiſſime ignorari a plerisque omnibus Americæ Auſtralis incolis, a Chilenſibus, Braſilis, Paraquarienſibus, certum omnino nobis, & exploratiſſimum. In Chaco univerſo, tot nationum ſeminario, ecquis tandem Quichuam vel de nomine novit? Niſi forte captivus apud Tucumanos eam condidiciſſet aliquando. De Quaranica lingua id jure affirmavero, illam non Braſiliæ modo ſed & vicinæ Paraquariæ latiſſime, longiſſimeque dominari, quamvis utrobique numeroſas, quæ illam penitus neſciant, nationes deprehendas. Quaranica a Braſilienſi, qua Indi Tupies utuntur, haud multum ſane differt. Diſcrimen, quod utramque inter linguam intercedit, pauculos intra dies perdiſcas. Quotieſcunque Quaranii H adhibent, Tupies illud per Zeta efferunt. Sic iſti: *Mbozapy̆* dicunt. Illi: *Mbohapy̆*, quod *tres* ſignificat. Quaranii lintrem *Ygà*:

Bra-

Braſili: *Ygara* vocant &c. Grammaticam Braſilæ linguæ a Sacerdote noſtro Joſepho Anchieta Braſiliæ Apoſtolo, &, ut paſſim dicitur, thaumaturgo (Illius virtutes dudum heroicas, & eminentes Vaticanum declaravit) concinnatam mihi Quaranicam condiſcenti magno uſui fuiſſe lubens fateor, etſi alias a Patribus Ruyz de Montoya, & Reſtivo typis datas neutiquam neglexerim. Verum ſatis ſuperque de linguis Barbarorum. Jam ad nuptiales, conjugales, genethliacos, funebres, medicos, venatorios, aliosque gentilitios Abiponum ritus mihi properandum. De militari eorum ſpiritu, & quæ ad militares expeditiones pertinent, poſt hæc multis capitibus prolixè diſſeram. Bellum equidem princeps Abiponum negotium, quamvis illos prædatoribus rectius, quam bellatoribus putem adnumerandos.



CAPUT XIX.

De Abiponum nuptiis.

Quot nationes, totidem prope Connubiorum ritus Americanis in historiis deprehendes, facilius ut sit eos ridere, quam numerare, vel narrare. Vix tamen hoc in genere quidquam inter Abipones detegas, quod aliis, ubi ubi demum, Gentibus non fuisset aliquando usitatum. Ex dicendis id palam fiet. Abipones, quod alibi dixeram, non nisi confirmata jam ætate ad nuptias adspirant. Raro maritum inter illos videas, qui quinque minimum lustra vivendo non exegisset. Nemo omnium illos sibi imitandos putat, qui primam suam ætatulam devovent Hymenæo. Neque puellam, quæ anno vicesimo proxima non sit, nupturire audias. Permultæ pudicitiam tanti faciunt, libertatemque suam, ut parentum duntaxat imperio, non nativa propensione in thalamum consentiant denique. Romani adolescentulas teneriores pro conjugio ambivere vel idcirco, quod procedente ætate earum integritati labem timerent. Id periculum, quin & periculi suspicio longissime profecto abest Abiponensibus a fœminis, pudoris sui perinde, ac vitæ acerrimis semper custodibus. In vagas effundi libidines, a maribus quoque omnino alienum. Hinc adulter, scortum, incestus &c. Ut probrosa Europæis, sic inaudita Abiponibus nomina. Quæ non bipedum

mo-

modo, ſed & quadrupedum turpiſſimi audent alibi quotidie, hic peregrina ſunt omnino, ac nunquam viſa. Teſtes adfero. Hiſpanienſes fœminæ quam plurimæ ut ætate, ſic forma florentes, poſtquam bello captæ annos non paucos apud hos Barbaros conſumpſiſſent, incolumi pudore ad ſuos rediere, faſſæque ſunt & clam ſacro in tribunali, & palam omnibus: Pudicitiam nuſquam, quam inter Abipones, ſibi videri tutiorem. Si quæ captivarum labefactatam ſe, vel pellectam meminiſſet, id captivorum Hiſpanorum petulantiæ, non Abiponum erat tribuendum, quorum temperantia explorata nobis, & vero admiranda univerſis. Herodotus libro 9. celebrat Pauſaniam, quod a captiva Coa abſtinuerit. Plutarchus in Alexandri Macedonis laudes effunditur, quod a Darii Regis uxore, Sororibusque ejus venuſtiſſimis bello captis vel ipſos, ne illarum amore caperetur, oculos cohibuiſſet. Livius quoque Decade 3. libr. 6. Scipionem commendat, qui Allucii ſponſam, captivam ſuam, intactam reliquit. Illuſtria hæc equidem moderationis exempla, ſed edita a viris illuſtribus, queis patriæ leges, queis recti amor, ac ignominiæ metus, ut adeo, bona antiquorum venia, hanc Abiponum a fœminis captivis ſuis abſtinentiam plus ſuſpiciendam exiſtimem. Hi enim barbari arbitratu vivunt ſuo: una illis agendi lex, ac norma eſt, ut feris, ſua cujusque lubido. Stupendum profecto, quod, ſi quæ honeſtioris animi ſcintilla in tanta caligine illis promicuit, eam inſana perpotandi conſvetudine non extinguant aliquando. Adeo veriſſimum eſt: *Laudabilia multa etiam mali faciunt*, quod in oratione ad Trajanum Cæſarem Plinius affirmavit. Germanorum Veterum exemplo provectiorem in ætatem connubium rejiciunt Abipones de quo C. 7. Diſſerui, illorumque corpora

 ſucci,

ſucci, & vigoris plena, proceritatem eximiam, artus robuſtos, ingenia vivida, tardam, vegetamque ſenectam, vitæ diuturnitatem incredibilem Seri conjugii fructus eſſe, probavi. Serò nubendi conſvetudinem tum alibi paſſim, tum apud Carmanos, finitimum Indis populum, viguiſſe patet ex Strabone L. 15. Ubi ait: Neminem uxorem ducere, nî prius hoſtis caput a ſe amputatum Regi attuliſſet. Hoſtium capita detruncare adultiorum eſt fere, raro juvenculorum. In tot Quaraniorum millibus paucos inſigniter proceros, aut admodum vivaces deprehendi. Ratio in promptu eſt: Maſculi ſeptimo decimo, fœminæ quintodecimo ætatis anno conjugium inire ſolent; Quid ſi illo necdum inito jam laſcivirent? Multa hic, quæ in mentem veniunt, conſulto prætereo.

Si cui Abiponum ſponſam deligere viſum, cum puellæ parentibus de pretio, quo illam ſibi comparet, paciſci oportebit. Quaterni, vel plures equi, globulorum vitreorum, aut e limacum concha fictorum faſces, veſtis e lana varii coloris tapetis Turcici inſtar contexta, haſta mucrone ferreo præmunita, alia id genus utenſilia a ſponſo perſolvuntur. Abipones namque, ut Cæteri omnes Indi, quorum curam geſſimus, monetam nec nôrunt, nec poſſederunt. In pluribus equidem Hiſpanorum per Paraquariam urbibus nullus plane pecuniæ uſus. Rerum, quas natura profert, permutatione mercatus omnis iſtic definitur. Imperiales argenteos, qui Abiponibus bello adhuc vigente ex Hiſpanorum e Peruvio venientium ſpoliatione olim obtigerant, jam lapidis, jam ſecurium ictibus in bracteas attenuarunt, quas ſubinde ceu monilia e collo ſuſpendebant alii, alii freno, lituove ſuo ornando impen-

de-

debant, Plurimis ab hinc annis currus argento Peruviano onuſtos ſolitario in Campo diripuerant, aurigis, cuſtodibusque primo impetu confoſſis. Quivis, quantum equus capiebat, fugiens aſportavit. In urbe S. Fidei obvius Hiſpanus pallium rubrum ſuis detractum ex humeris Abiponum cuipiam propinaverat, qui nil titubans pro illo duo ſcutorum Hiſpanienſium, quatuor ſcilicet florenorum noſtratium millia confeſtim porrexit. Hæc enim ſumma argenti ſaccis ſingulis (quos Zurrones vocant) claudi conſvevit a Peruvianis. Adeo Abipones monetæ uſum, valoremque ignorant. Cæterum ab his Barbaris uxores emi reculis quibusvis pecuniam ſupplentibus haud eſt, quod miremur. Idem enim apud Græcos, Hebræos, Romanos, aliosve aliquando more receptum. Jacob certe tot annorum ſervitute Liam, Rachelemque Sorores a Labano earum patre demum extorſit. Geneſ. 29. c. David centum Philiſtæorum occidione Michol Saulis filiam eſt meritus. 1 Reg. 18. Saxones, & Burgundiones trecentis ſolidis uxorem ſibi a parentibus coemebant. Et ſi Herodoto fides, apud Aſſyrios virgines nuptiis maturæ in foro proſtabant venales. Frotho tertius Danorum Rex decreto publico victis a ſe Ruthenis, ne quis eorum uxorem, niſi emptam, duceret, præcepit, mariti in illam fidem minus deſultoriam fore ratus, ſi noverit novam ſponſam quovis pretio ſibi eſſe comparandam, ut Saxo libro 5. refert.

Frequenter accidiſſe, memini, ut, quæ parenrentes inter, ac ſponſum pacta, tranſactaque fuerant, puella reſcindat, ac pertinaciſſime non modo qualecunque connubium recuſet, ſed ne mentionem quidem illius ferat. Complures puellæ nuptiarum metu fuga dilapſæ per ſylvarum, lacuumve receſſus

multis noctibus Latuere; Minusque tigridum ubique infestarum insidias, quam intentatas nuptias reformidare videbantur. Istarum quædam ad sponsi ædes jam jam deducenda ad sacram refugit ædiculam, istic sub ara latitans sponsi obtrusi minas, expectationemque elusit. Nuptialium apud Romanos rituum pars fuit non ultima, ut sponsa obluctans materno a sinu, domusque paternæ liminibus simulata vi abstraheretur, ne scilicet nuptiis inhiare, sed ad eas cogi invita putaretur magna verecundiæ apud omnes commendatione, rectius dicam, simulatione. His affinia de Grönlandis legeram. Si quis istorum ad conjugium aspirat, per duas vetulas facundia celebriores negotium agit suum. Hæ puellam, quam sibi designaverat, a parentibus deposcunt. Illorum consensum ut primum sponsæ nunciant, illa solutis mox crinibus vultum contegit, fictisque, verecundiæ famam aucupans, diffluit lacrymis, ac nullum facit tergiversandi, lamentandique finem. Verum a duabus illis nuptiarum conciliatriculis ad sponsi ædes raptatur verius, quam ducitur; Multis lenociniis, blanditiisque delinita illum voti compotem reddit denique, ac maritum pronunciat suum, vultu lacrymis, animo solatiis innatante. Aliquot post diebus ceu conjugales aspernata amplexus in paternam refugit domum. Ast sacco inclusa per easdem vetulas ad mariti ædes bajulatur. Felices Europæi! quibus ad uxores seu consequendas, seu domi retinendas nec sacco, neque tot artificiis opus est. Hanc puellarum, dum de nuptiis agitur, tergiversationem apud Romanos, ac Grönlandos, fictam, simulatamque, apud Abipones sinceram, seriamque fuisse, nunquam dubitavi, quippe de illarum honestate Certissimus.

Fin.

Fingamus jam a ſponſa Abiponenſi ratam haberi parentum ſuorum de Conjugio ineundo voluntatem, neglectis aliis, quæ alibi ſolennes, cerimoniis illa ad ſponſi tentorium deducitur non ſine pompa. Octonæ puellæ veſtem elegantiorem tapetis inſtar expanſam elatis brachiis, ceu umbellam ſuſtinent, ſub qua defixis humo oculis, mæſto ſilentio, Verecundiam ſpirans incedit ſponſa, circumfuſis de more ſpectatoribus. Amanter a ſponſo accepta, amiceque ſalutata a contubernalibus paternas in ædes eodem, quo venerat, modo, ac comitatu reducitur, unde ſecundo, ac tertio itinere cucurbitam, ollas, cantharos, reliquam pro filo texendo ſupellectilem itidem ſub umbella ad ſponſi tentorium deportat, poſt perbrevem collocutionem ad parentum ædes regreſſura, ad quas novo item marito ſeu cibi capiendi, ſeu noctis agendæ gratia quotidie eſt itandum. Ea enim ſollicitudine matres filias curant ſuas, ut eas a ſe avelli etiam nuptas minime patiantur, neque alienis arbitriis illico relinquant. Perſpecta generi ſui probitate, vel nata jam prole diſtincta vivere in domo illis concedunt denique. Pauculi hi nuptiarum Abiponenſium ſunt ritus, quos tamen virorum compotatio interdum reddit jucundiores. Aliquando militare tympanum a puero tentorii alicujus apici inſidente pulſatur, nuptiarum præcone. Quod ſponſa, dum ad ſponſi domum deducitur, umbella tegatur, id Romanorum moribus conſentaneum, qui fœminarum, dum marito tradebantur, capita velabant, ſeu flammeo, lutei coloris velo obnubebant, unde nuptiæ dictæ. Alios nuptiarum, quibus Americani alii utuntur, ritus miſſos facio præter unum, cujus Pater Joſephus Gumilla in ſuis de fluvio Orinoco commentariis meminit, cujusque citra riſum meminiſſe nunquam potui. Eſſe nimirum iſtic nationem aliquam, ait, quæ puellis vetulos, ve-



tulas adolescentibus despondere, ac in matrimonium dare consvevit: Has ceu moderatrices, illos ceu moderatores petulantiæ juvenilis. Juvenes enim ætate, ac imprudentia pares connubio jungere, stultum stulto associare est, inquiunt. Rationes præterea, quibus ad claudicans hoc cum ætate imparibus conjugium probandum ducuntur, alias addunt, sed a me neutiquam memorandas. Istud juvenum cum vetulis matrimonium tyrocinii instar est, quo aliquot post menses defunctæ pares paribus ætate nubere permittuntur. Legis absurdissimæ observationem dum vetuli, vetulæque incredibiliter apud adolescentes urgent, quidni negotium agere suum videntur? Id sane Gumilla historicus affirmat.



CAPUT XX.

De Abiponum conjugio.

Uxorum ſeu multitudinem ſeu repudiationem Hebræis, aliisque gentibus quondam, Mahometis ſectatoribus, ac ſinenſibus etiamnum familiarem novimus. Græci, Romanique non omnes illam reſpuerunt, nec ſemper. Quid mirum apud plerosque Americæ Barbaros polygamiæ, repudiique abuſum invaluiſſe, exempli vetuſtate corroboratum. Haud tamen, quod jure ſuſpicias, univerſa Abiponum natio aliarum gentium veſtigia premit. Major illorum pars una, eademque in conjuge acquieſcere ſolet. Quamvis haud diffitear, uxorum repudiationem, perinde ut apud Europæos induſiorum mutationem, crebram iis eſſe, novi tamen complures, qui eandem per omnem ætatem retinuerunt uxorem. Quod ſi quis eorum vel ſui impotentior, vel rerum potentior apud ſuos conjuges ſibi adſciſcat plures, illas per varia multis a ſe leucis remota contubernia diſtributas habere ſolet, & per anni intervalla jam hanc, jam aliam inviſit. Si quando plures, quod rariſſimum, iisdem in ædibus alat, quotidianas earum de Gubernandæ familiæ prærogativa, de mariti benevolentia altercationes, pugnas, pugnosque ſibi mutuo impactos ecquis numeret? *Nejetenta*, ut ſuperius adnotavi, peculiare eſt vocabulum, quo duas pro marito luctari uxores ſignificant. Nam ſi aliam ob cauſam pugnatur, *roélakitápeketa* dicunt.

Sed

Sed jam repudii uxorum rationem videamus. Frequens id non modo, ſed & inſolens apud iſtos, quod pro arbitratu, impune rejiciunt, quas conjugii vinculo ſibi prius adſtrinxere, ut adeo de veritate matrimonii barbarorum jure dubitent Theologi, cum vinculi conjugalis perpetuitate id videatur carere. Diſpliceant uxores, ſatis eſt. Res ſibi ſuas habere jubentur. Nulla præterea ſeu culpa, ſeu cauſa inquiritur; Voluntas uxorem faſtidientis mariti ſtat pro ratione. Quamvis enim Græcis, Hebræis, Romanis repudiandæ conjugis libertas conceſſa, certis tamen legibus coercita ſuos intra limites ſtetit, judice uxoris culpam, maritique jura arbitrante. Apud Abipones ipſe maritus actor, ipſe judex, & arbiter nemine obloquente. Non longe quærenda eſt repudii cauſa, neque ullius authoritate approbanda. Demulceat mariti oculos alia, cui plus venuſtatis, veteranæ conjugi migrandum erit vel ſolo hoc nomine, quod vel forma evaneſcens, vel ætas provectior eam accuſaverit, etſi a conjugali fide, a morum integritate, a præſtitis ſolerter obſequiis, ab edita ſobole commendetur undique. Nova oculis blandiens venuſtas ex mariti memoria delet ſuperiorum temporum officia, novasque mox nuptias perſvadet. Nemini potentiorum jus, animusve ſeu tutandi repudiatam, ſeu coercendi repudiantem. Oblata tamen compotatione, ubi in temulentorum animis injuriarum memoria recrudeſcit, propinquitate ſanguinis conjuncti probrum repudiatæ mulieri illatum ferociter ſolent vindicare. Sæpius etiam fœminæ nuper ab alio rejectæ ab alio ducuntur confeſtim. Aliquæ tamen, queis forma triſtior, ætas productior, maritum diu nequidquam præſtolantur novum, tumulo ſcilicet, quam thalamo aptiores. A fœminis junioribus divinam legem mirifice probari, optarique & ſu-

um, & maritorum baptiſmum, quod per hunc conciliata conjugio perpetuitate maritorum in mutandis, augendisque uxoribus libertas porro cohibeatur, alio loco dixi. Ex tanta repudiationis licentia cruentas prolium ſtrages, & nationis univerſæ diminutionem incredibilem enaſci, pariter memoravi alias. Per triennium pleræque matres lac præbent proli, ac a marito abſtinent. Hic moras pertæſus priori rejecta aliam ſibi thori ſociam adſciſcit. Ad prævertendum igitur repudii periculum proles mox a partu, quin ſæpe partu non exſpectato interimunt ſuas, ut lactatus diuturno onere expeditæ operam dare queant marito. Conformatis opera noſtra ad Divinæ legis normam Abiponum conjugiis, nexuque ſemper duraturo firmatis, abolita demum eſt matrum ſuos in fœtus crudelitas, copioſiore mox ſobole natio univerſa ſe locupletatam mirabatur. Patuit ſane, quantum ad generis noſtri incrementum, ad domeſticam familiarum concordiam interſit, eliminata repudii, polygamiæque licentia maribus ſingulis ſingulas dunxat uxores concedi. More receptum erat Abiponum in Coloniis, ut conjuges eodem tempore, quo ſacris undis luſtrabantur ſacra in ædicula, conjugalem e Chriſtiana diſciplina conſenſum nobis, teſtibusque præſentibus renovarent. Vix riſum tenui, dum vetula rugis liberaliter conſita marito mediocris ætatis, formæque liberalis perpetuam fidem, ſocietatemque maxima vocis contentione coram ſacerdote eam interrogante ſpopondit, ad æternam certiſſime viduitatem damnanda, ſi idem eandem maritus, ut poterat, reſpuiſſet.

Multa reprehenſione digna, non pauca item, quæ laudem mereantur, in Abiponum adhuc barbarorum conjugiis deprehendas. Referam potiſſima,

Quam-

Quamvis primus duntaxat, ſecundusque cognationis gradus e Pontificum Romanorum paterna indulgentia Indorum matrimonium dirimat, Abipones tamen naturæ ſolius admonitu, majorumque ſuorum exemplo nuptias cum quomodocunque cognatis recuſant omnino, & angue pejus averſantur. Debayakaykin illorum Dux Clariſſimus ad reliquum uxorum gregem binas ſorores ſibi adjungere eſt auſus. Quod facinus licet omnes execrarentur, nemo tamen unus fuit, qui illi vel ſuccenſeret, vel illum imitaretur. Illius authoritati tribuendum aliquid, connivendumque putarunt. Cambyſes Rex, dum de ſorore ducenda cogitaverat, a proceribus ſeu timidis, ſeu ſtupidis id reſponſi tulit: Nullam equidem extare legem, quæ connubium cum ſorore indulgeat; Non ignorare ſe tamen aliam legem: Quod Regi Perſarum integrum ſit facere, quidquid allubuerit. Hanc de Rege potentiſſimo hiſtoriam Debayakaykino Abiponum Regulo, quantum poteris, accomoda, qui ut bellatores permultos Hiſpanis profligandis in campo oppoſuit, ſic præter nationis ſuæ morem Bellonas conjuges nulla propinqui ſanguinis habita ratione ſibi plures indulgere eſt auſus indignantibus cunctis, nemine refragante. Hanc cognationis reverentiam, qua a nuptiis abſterrentur, Paraquariæ populis plerisque omnibus a natura inſitam eſſe, experimentis minime dubiis exploratum habemus. In illa me ſententia magnopere confirmavit Caziquius Roy barbarorum in Mbaeberà ſylvis primipilus, qui, dum circumfuſæ multitudini religionis capita exponerem, facta de inceſtis conſanguineorum nuptiis mentione, in has eruperat voces: Bene ais, mi Pater! Connubium cum cognatis res eſt profecto turpitudinis pleniſſima. Verum id jam perſpectum nobis, & a majoribus noſtris acceptum. Is illorum hominum ſylveſtrium ſenſus, etſi multipli-

care

care uxores, easque, quoties visum, a se repellere nec rationi absonum, nec indecorum sibi putent. Quam acerbo in incestos amores odio ferantur Abiponenses fœminæ, eventus, quem refero, luculentissime docebit. Abiponum quispiam adhuc puer sacro latice tinctus, ac Chrysostomi nomine initiatus postquam per Hispanorum prædia sæpe, diuque cum infima, & infami hominum colluvie versatus esset, eos imbibit mores, ut sui jam dissimilis Barbaros ipsos improbitate superaret. Ad nostram Rosarii Coloniam postliminio redux quidquid turpitudinis alibi didicerat, hic imitatione exprimere conabatur. Ausus est cognatam mulierem, ætate florentem, ac nuperrime marito, qui in velitatione occubuit, viduatam ad flagitium pellicere. Quamvis virtute mulieris, quam opprimere tentabat, fortissime repressus cogitata haud perfecerit, nefandi tamen conatus fama illico pervulgata contubernalium omnium animos furore accendit, facinus inauditum, incredibile, & apud illos prodigio simillimum acerbissime indignantium. Fœmina de oppugnata sua pudicitia identidem conquerens lamentis domum implet, ac ad impudentiæ nefariæ vindictam parentes, cognatosque exstimulat suos. Nec mora: Appetente aurora armis, armatisque perstrepit omne forum. Contra petulci juvenis parentes itur, cæteris ad alios, aliosque juvandos concursantibus. Pugnatur. Hic hastis, sagittisque viri, inde mulieres pugnis, unquibus, dentibus atrociter impetunt se se. Hæc facies Trojæ, cum caperetur, erat. Verum, ut sæpe alias, tota dimicatio intra minas, ac terrores stetit denique. Multa vociferatio, vulnera pauca, uti in tempestatibus fulmina tonitribus semper rariora. Tranquillatis cæterorum animis vidua sui præ verecundia impos nullum faciebat lamentandi finem. Recurrente

ani-

animo identidem probri memoria, ut contubernalium se subduceret oculis, fugam semel, iterumque lacrymans tentavit, sed ab insequente foeminarum manipulo aegre domum retracta est. Cum denique nullis suorum seu precibus, seu rationibus acquiesceret, parentibus, fratribusque comitantibus rusticatum tantisper discessit. Anxiam adeo pro servanda integritate sollicitudinem vel in foeminis, quae Christo sacramentum dixerunt, quidni haud raro desiderant mariti Europaei?

Alterum, quod in barbara Abiponum gente suspiciendum utique, est integerrima conjugum fides. Hanc nec oppugnatam, neque expugnatam usquam audias. Mariti plures non raro menses domo absunt, uxoribus in virorum contubernio citra periculum, aut periculi suspicionem remanentibus. Quod Graeci de Penelope Ulyssis annos viginti absentis fidissima conjuge fabulati sunt, id verissima de Abiponum conjugibus historia est. Quod si tamen Abiponum cuipiam vel minima de uxoris integritate suspicionis rimula pateret, id tacitus non concoqueret, quin de injuria suspectum, etsi nunquam convincendum, acerrime ulcisceretur. Opportune eventus memini, qui ad hoc argumentum magnopere facit. Mulierculam nuper Pachiekè Caziquio nuptam Abiponum aliquis in via offendit, eques equitem. Ab illa melopeponem poposcit; Fructibus enim onusta ex agro redibat suo. Repulsa svavis pro pepone fuit. Nec plura. Totum negotium quatuor verbis, momentis totidem peractum innocenter. Transiens forte alter quispiam colloquentes eos eminus vidit, visisque, quae libuit, affinxit, Crescente per hominum ora rumusculo in suspicionem turpitudinis tentatae vocatur Indus, qui praeter peponem sibi desideravit, poposcitque a foemi-

na

na nihil. Excandeſcit ira Pachieke ejus maritus, vivido adoleſcens ingenio, laudisque militaris avidiſſimus: Vocatis in armorum Societatem amicis, uxoris ſuæ, quod perperam ſparſum, tentatorem nil tale cogitantem aggreditur. Accurrentibus ſuppetias contubernalibus omni telorum genere certatur aliquamdiu. Excuſſis pacificatorum opera armis, iterumque reſumptis in arenam ſæpius redeunt. Tumultuatio dies aliquot tenuit. Redintegrari tamen pax, amicitiaque inter illos minime potuit, Pachieke ſuſpicionis tenace, altero contumeliæ ſemper memori. Ergo hic aſperſam nomini ſuo labem aboliturus, ulturusque, ad inſolens flagitium adjicit animum. Matrem vetulam, ſororemque cælibem Caziquii Pachieke eidem equo inſidentes extra oppidum conſpicatus in utramque ex improviſo irruit. Puellam ex equo deturbat, & non libidinis, ſed vindictæ impulſu violare nititur. Verum matre, filiaque acriter reluctantibus cum voti compos non fieret, ira percitus vetulæ matris ſuram ſagitta conſauciat. Hæc ſanguine diffluens domum ſe recipit protinus; Luculentum in pede vulnus, quod vociferans palam exhibuit, claſſici inſtar fuit, quo ad arma evocabantur univerſi. Undique concurritur; His vindicandi vulneris, illis vindices reprimendi, plerisque aliis reſtituendæ pacis cura, ſtudiumque erat, cujus cum ſpes nulla affulgeret, Pachieke cum ſua, & aſſeclarum ſuorum familiis relicto S. Hieronymi oppido in campum remigravit poſtridie, ubi aliis nationis ſuæ Barbaris adhuc ferocibus aſſociatus per hoſtiles aſſultus & dicto oppido, & Hiſpanorum Coloniis multum ſane negotii aliquamdiu faceſſiverat, de quo uberius dicemus alibi. En! tantum ex ſcintilla incendium. Futilis de tentata conjugis pudicitia ſuſpicio turbarum incredibilium ſemen extitit. Dixiſſes, ob raptam Helenam bellum Trojanum renovari.

Inter cætera conjugum Abiponenſium decora connumerandus utique venit tenerrimus in proles ſuas amor, quem in illis alendis, veſtiendis, tuendisque palam faciunt. Equitandi, natandi, venandi, bellandique artes a prima ætatula ut condiſcant pueri, Patribus maxime cordi eſt. Puellæ ad domeſtica fœminarum officia, a matribus ſolerter erudiuntur, laboribusque, ac moleſtiis tempeſtive aſſveſiunt. Illud tamen iis vitio dandum, quod liberos parum morigeros, vel refractariolos nec verbo corrigere, minus verbere multare auſint. Alaykin princeps oppidi conceptionis Caziquius, quoties me inviſerat, filiolum quinquennem gremio ſuo inſidentem tenuit. Hic ſimioli inſtar ſemper inquies patris vetuli jam naſum, jam crines vellicabat, jam maxillas manu quatiebat. Senex hæc inter animo geſtiens: Heus tu Pater, mihi ajebat, hunc puerum impavidum aliquando militem, Capitaneum inſignem fore, ecquid dubitas etiamnum? Quippe qui nec me tot palmarum ducem, Hiſpanisque omnibus olim formidabilem vereatur. Idem puellus in matrem, a qua domum revocabatur, oſſa, cornua, & quidquid quisquiliarum in promptu fuerat, jactare ſolebat. Hanc pueri inſolentiam, quam plectere oportuerat, bellicoſus pater intrepidi animi indicium interpretabatur, quin effuſiſſimo cachinno, atque laudibus proſecutus eſt. Nimius ſcilicet, quo in liberos feruntur, amor frenum barbarorum eſt, quo moeſtitiam illis inferre, prohibentur. Verum quis neſcit, immoderatum parentum amorem peſtem liberorum eſſe certiſſimam in noſtra etiam Europa?

CAPUT XXI.

Memorabiliora de fœminarum Abiponensium partu.

Tum curiositati Europæorum, tum utilitati consulturus de hoc argumento, invitus licet, scribam paucula. Ne metue, nihil, quod ægre ferat verecundia, hic deprehendes. Neminem pigebit legere ista, quia risu digna aliqua; Nec pænitebit legisse, quia forsitan usui futura non nulla. Abiponenses, aliæque equestrium nationum fœminæ maximas in enitendo fœtu tolerant difficultates, & præter Europæarum morem diutius e dolore partus laborant. Ego quidem, dum tot annos in Paraquaria agerem, de investiganda ejus rei causa nunquam cogitaveram. Hac demum in urbe Vindobonensi cum Clarissimo, Cæsareoque medico Yngenhusio de Americæ rebus familiariter collocutus didici, quod lubens antea ignoravi, scilicet, in fœminis junioribus equitationi crebræ assvetis per frequentem illam sessionem, Succussionemque os Coccigis comprimi, ac indurari, partumque subinde, ut anatomes gnaris patet, reddi difficiliorem, quod alias jam memoravi. His accedit, quod Abiponum mulieres virorum more ephippiis bubulo e corio durissimis insideant, equitandoque majorem ætatis partem agant: Quod proles nostratibus vastiores in lucem edant: Quod idoneis, quæ opem ferant, obstetricibus destituantur. Ars hæc & commu-



munis omnibus, & omnibus ignota videtur, ut adeo repeti possit, quod Pharaoni Regi Lib. exodi cap. I. responsum: *Non sunt Hebrææ, sicut Ægyptiæ mulieres; Ipsæ enim obstetricandi habent scientiam.* Ea propter nec rarum, neque mirum, indas equestres biduo interdum, triduove parturire, sæpiusque de illarum vita conclamari.

Didicimus, nescio, quo authore, remedium præsentissimum, & admodum parabile, quo partum promoveri feliciter, accelerarique, annorum septemdecim spatio experti sumus. Dicam paucis: Brassicæ recentis, quam vulgus latinorum caules perperam vocat, folia aliquot in mortario ligneo contusa, vinoque permixta parturienti epotanda porriguntur. Sola hæc potio virtute pollet tanta, ut fœtus (sit vivus, sit mortuus jam) citra cunctationem, ceu nitratus pulvis admoto igne, in lucem exturbetur confestim. Certissimam hanc remedii efficacitatem historicus religiosissime affirmo; Illud tamen, medicus cum non sim, Europæis seu svadere, seu obtru'ere non ausim; Variæ enim, tamque ancipites sunt parturientium habitudines, varius item fœtuum in utero situs, ut Chirurgi manu interdum, medicique dexteritate opus sit eximia. Quod si tamen dictus ex brassicæ foliis, ac vino potus cuiquam alteri probaretur, illius parandi methodum expono minutius. Imprimis ad cavendam abortionem diligenter ex parturienre rescitcatur, num habita mensium, quibus uterum gessit, ratione partus legitimi adesse tempus existimet. Brassica, cujus folia ad partum juvandum adhibentur, illa ipsa est, quam passim Caules dulces (*süsse Kraut*) vocamus, quæ minutim concisa, in dolio compressa acescit denique (*saure Kraut*) & Germanorum in mensis quotidia-

tidianus prope eſt cibus. Braſſica enim, cui criſpa ſunt folia (Köhl) eandem medendi parturientibus facultatem num habeat, neſcio. Attendenda porro e partu laborantis ætas, ac vires. Junioribus, imbecillioribusque unicum folium braſſicæ adultæ ſufficit; Robuſtioribus, ut vim certius exerat medicina, bina, ternáve mediocria folia inſumuntur.

Vinum, quo plerumque in Paraquaria utimur, ex regno Chilenſi advectum coloris eſt purpurei, ſpiſſum, & admixta quadam dulcedine non nihil aſperum. Crederem illud per vinum rubrum Budenſe, Agrienſe, Sopronienſe, melius tamen, ut quidem autumo, per Tyrolenſe ſuppletum iri noſtris in provinciis. Quod ſi iſtorum copia non ſit, vino quovis Auſtriaco hunc in finem citra formidinem utendum, putarem. An parturiens vinum una cum fæcibus contuſæ braſſicæ haurire poſſit, vel ſoleat, profecto neſcio; Nunquam enim ipſe coram porrexi fœminis hanc potionem, ſed per alios miſi. Interrogatus non raro: Num ſolum braſſicæ ſuccum vino commixtum, an fæces quoque braſſicæ ſorbere oporteat? Agerent pro arbitro, reſpondi. Opinor equidem ſolo illo e braſſica expreſſo ſucco, vino commixto, partum promoveri. Succus enim ille ut ventrem, ſic uterum relaxat. Fæces, braſſicæ ſicca, terreaque portio, & ut ita dicam, braſſicæ caro, alvi reſtringendæ potius vim habent, ut Arnoldus Villanovanus, Zacharias Sylvius medicus Roterodamenſis cum aliis docent. Ingratiſſimi eſt ſaporis illa potio, & vix primoribus labris delibata non palatum modo, ſed omnes corporis artus validiſſime afficit, facitque inhorreſcere; Sed exhauſta præ omnibus, quæ tentata alias, remediis velocius, feliciusque exoneravit parturientes. Quotidiana pro-

pe experimenta tot annorum, totus quamvis medicorum exercitus mihi obstreperet, nullum relinquunt dubitandi locum Ad inchoandam pro Abiponibus coloniam a Rosario dictam cum Regio Gubernatore profectus Nardi, brassicæque plantas ex urbe Assumptionis attuli: Hanc parturientium: Illam a serpente ictorum medicamen certissimum. Verum brassica paulo post a bobus devorata Artemisiam (Quam Herbam Regiam, olus Reginam, cingulum S. Joannis, Beyfus, Himmelkehr &c. appellant Botanici) aqua, vel vino coctam parturientibus bibendam exitu optatissimo, præbui. Herba hæc alias quoque saluberrima in Campis passim, oppidorumque foris sponte sua nascitur eadem, qua apud nos urticæ, frequentia. Hæc parturientium remedia ut Historicus refero, non ut medicus propino.

Partu defunctæ Abiponum mulieres, ut naves in portu, extra discrimen sunt fere. Molestias, incommodaque, quæ mox a partu hujatibus accidere toties, quin & occidere eas non raro solent, rarissime experiuntur. Fœtu exoneratæ ad amnem, stagnumve propinquius recedunt, prolem, seque ipsas ablituræ. Vix interjecta tantisper quiete quotidiana domus officia resumunt, nullo se onere eximunt, nullas aeris injurias reformidant, ad campum, & quò quó sibi visum, concedunt. Carnibus tamen abstinent aliquamdiu, & pomulis quibusdam, quæ humilibus in dumetis proveniunt, ad sanguinis, ut sibi persvadent, refrigerationem vescuntur interea. Rident Europæas matronas, quæ aliquot a partu hebdomadibus postquam domesticos intra parietes, mollesque intra culcitras sepultæ latuerant, veluti ad vitam revocatæ in forum prodeunt denique.

Quo

Quo minus negotii partus faceſſit puerperis, eo plus illarum maritis. Miſeramne, an riſu, & quidem decumano dignam eorum conditionem dicam, neſcio. Vix audis prolem in lucem editam a fœmina, videbis illico ejus maritum Abiponem in lecto cubantem ſtoreis, pellibusque, ne aſperior illi officiat aura, circumdatum, jejunantem, publico, dapibusque qubusdam religioſe dies aliquot abſtinentem; Illum peperiſſe, jurares. Idem alii quoque de aliis Americæ populis ſcripſere. Hoc legi olim, riſi, nunquam, ut tantam inſaniam crederem, induci potui. Facetè magis, quam vere ritum hunc barbarorum referri, identidem ſuſpicabar, dum denique meis apud Abipones oculis illum uſu receptum ſpectarem. Et vero avitam hanc conſvetudinem, quamvis ſibi moleſtam, eo lubentius, diligentiusque obſervant, quod ſibi omnino perſuadeant, Patrum ſobrietatem, ac quietem ad prolium recens natarum incolumitatem plurimum conferre, quin & neceſſariam eſſe. Iſtius rei confirmationem, quæſo, auſculta. Franciſcus Barreda, Regii Tucumaniæ Gubernatoris, in territorio Jacobopolitano Vicarius novam Conceptionis Coloniam inviſit. Ad hunc, mecum in foro dum obambulat, ſalutandum accurrit Malakin Caziquius, relicto tantiſper cubili, cui eum uxoris partus nuperrimus affixerat. Barreda & mihi & aſtanti Caziquio tabacæ Hiſpalenſis pulveres propinat, quos cum a Barbaro præter morem recuſari videt, hunc alieno a ſe animo eſſe ſuſpicatur; Noverat enim has narium cupedias avidiſſime ſemper alias ab illo prenſari. Cauſam abſtinentiæ ut percontarer, abs me petit. Interrogatus Abiponica lingua (Hanc enim Barreda ignoravit, ut & Caziquius Hiſpanicam) eccur tabacam hodie reſpueret? An neſcis repoſuit, meam heri peperiſſe

 con-

conjugem? quidni ſuperſedendum mihi narium irritamento propterea? ſternutando equidem in quantum diſcrimen filiolum conjicerem meum! Nec plura. Ad ſuum ſe, confeſtim decubiturus, recepit tugurium, ne, ſi diutius ſub dio nobiſcum perſiſteret, quid detrimenti tener patiatur infantulus. Quamvis enim patris intemperiem in prolem recentem influere, credunt, ob naturalem utriusque nexum, & ſympathiam. Hinc ſi præcoci fato extinguatur infans, mors patris intemperantiæ tribuitur a fœminis univerſis alia, atque alia cauſantibus; Jam quod mulſo non abſtinuerit: Quod porci aquatilis carnibus ſtomachum onerarit: Quod aere frigidiuſculo flumen nando transmiſerit: Jam quod longiora dudum ſupercilia radere neglexerit: Quod mel ſubterraneum, apibus pede contritis, vorarit: Jam quod equitatione ad ſudorem ſe ſe defatigarit. Id genus deliramentis fœminarum vulgus patrem mortis authorem impune criminatur, & quantumvis innoxium diris devovere conſvevit maritum. Stolidiſſimas opiniones, inſanas conſvetudines, quia vetularum oracula, avorumque documenta, pugnaciſſime tuentur. Exploderis, ſi te opponas. Si contrarium doceantur a nobis: Patres iſta haud intelligere, nec didiciſſe unquam, impudenter reponunt. Quarumcunque, quæ ad religionem pertinent, rerum fidem ab iſtis impetrabis citius, quam ſuperſtitionum, quibus a pueritia imbuti ſunt, ridiculiſſimarum repudiationem.

Corollarii loco adjicio: Aliquot poſt partum horis accerſunt vetulam, vetulumve ex eorum numero, quos magicæ artis peritos illi, nos veteratores dicimus. Illius manu capilli pauculi in infantis (Mas ſit, an fœmina, nil refert) ſincipite, reſe-

refecantur, ut calvitii fpecies appareat, quod per omnem ætatem confervatur, ceu nationis fuæ teffera, ac *nalemrì* vocatur, uti capite tertio memoravi. In eam rem forficulæ, fi fuppetant, adhibentur, quarum loco palometæ pifcis mandibulâ, vel concha ad lapidem exacuta quondam ufi fuere. Neque, qui primas comas refciderit infantuli, fine præmio dimittendus. Hanc fecandi infantium Crinis ceri-moniam Hebrææ Circumcifionis feu veftigium aliquod, feu fupplementum fufpicabantur non nulli, qui obfervatis curiofe Americanorum rebus illorum ab Hebræis originem arguunt, quod a fuilla carne omnino abhorreant, quod Hifpani Americam primum ingreffi Judæorum nomina apud Indos deprehenderint, ut: *Michol, Efter* &c. Abiponem Yaaukanigam, qui Cain vocabatur, ipfus novi. Verum hanc iftorum conjecturam criticis difcutiendam relinquo.

CAPUT XXII.

Ludi Genethliaci ob natalem mafculæ prolis Caziquii.

Infitus omnium Gentium animis adverfus Principem fuum amor nunquam fe prodit luculentius, quam dum de nato filio, fceptri fubinde hærede, laureati adfunt nuncii. Fefti ignes, theatrales ludi, fauftæ acclamationes, fymphoniacorum modulata Carmina, fuperbæ pictorum, fculptorumque moles, Choreæ elegantes, epulæ exquifitæ, & quæ non alia? publicam hilaritatem fignificant. Hanc Europæorum morem Abipones barbari, ac bellicofi pro modulo fuo imitantur. Publicas diebus aliquot communis lætitiæ fignificationes edunt, de nato recens Caziquii fui filiolo redditi certiores. Genethliaca ut artificiofæ inventionis nihil, fic nativæ, finceræque oblectationis plurimum habent, quin tamen petulantiæ, obfcænitatifve quidquam iis afpergatur. Ut primum de nato Caziquii filio rumor percrebuit, univerfum puellarum agmen, ramospalmarum manu geftantium feftivas inter acclamationes ad infantis domum accurrit; Hujus tectum, lateraque longo circumcurfantes ordine palmarum frondibus concutiunt fingulæ, qua quidem percuffione, natum puerum bello clarum, hoftiumque fore maftigem feliciter ominantur. Ad hoc fignificandum palmæ ufus, & reliquæ, quæ confequuntur, Cerimoniæ pertinent.

Fæ-

Fæmina omnium robustissima struthionum plumis longioribus, veluti semicinctio a Lumbis ad suras usque contegitur, ut araneam referat. Inde festiva hæc functio *Hanali*, aranea ab illis nuncupatur. Illi fœminæ plurimum quotidie est negotii. Nam comitantibus puellis universis tuguria percursat omnia, ac Corio in Clavæ Herculis figuram complicato viros, quotquot singulis in domibus invenerit, verberat, fugat, insectatur, quos per viam deprehensos puellæ palmarum ramis strenue flagellant. Hac concursatione inter virorum vapulantium Cachinnos prima conteritur dies. Altero, qui proxime sequitur, die, puellis in manipulos distributis, singulæ cum singulis in foro sola brachiorum contentione luctantur. Pueri a puellis sejuncti idem factitant. Has enim cum illis sociari, luctarive haud ferunt Barbari, de decoro, verecundiaque semper solliciti. Tertio die hinc pueri, illinc puellæ ad choreas evocantur. Alter alteri porrigit manus, quibus, ut catena annulis, connexi circulum efficiunt, Vetula chorearum moderatrice crepitantem manu cucurbitam circumagente; Dumque motu turbinis celerrimo in orbem rotæ instar rapiuntur saltando, vertigine correpti per intervalla conquiescunt, interjectisque facetiis, ac cachinnis saltationem identidem repetunt, quæ quidem præter spectantium, saltantiumque patientiam nihil omnino habet admiratione dignum, artificii prorsus nihil. Quarto die fœmina, quæ araneæ refert speciem, puellis omnibus stipata totum percurrit oppidum, & quam in singulis ædibus robustissimam, lacertosissimamque mulierem putaverit, ad luctamen secum ineundum provocat in foro, dumque jam sternit, jam sternitur, concurrentis ad spectaculum populi risum ciet. Reliquis diebus (Nam per octiduum Ludicra hæc certamina durare solent)

vel

vel priora refumuntur, vel viri compotationi publicæ alternos inter cantus tympanis identidem conftrepentibus læti indulgent, quibus utique magis volupe, dulci potu irrigare guttura, quam oculos luctantium mulierćularum afpectu pafcere, femper fuit. De ludis aliis, dum Capitanei nomine initiatur illorum quifpiam, dum victoriæ infignioris memoria celebratur, dum funebria poft nobilioris cujufcunque obitum fiunt, vel defunctorum offa alium transferuntur in locum, dum viduus tondetur &c. alibi differemus. Illud mihi exploratiffimum, Abipones Nakaiketergehes, feu fylveftres præ aliis rituum, cerimoniarumque gentilitiarum multo ftudiofiores effe, atque obfervantiores. Multas ejusmodi nec viderit unquam, neque audiverit, qui Abipones Rükahes vel Yaaukanigas inter duntaxat eft verfatus. Apud iftos triennium, apud Nakaiketergehes quadriennium cum confumpferim, & ab ipfis coloniarum, quæ his Barbaris condebantur, primordiis barbaros eorum ritus coram fpectaverim, quidni, dum ifta refero, fide dignus videbor? Incredibile, qnam improbo labore, quanto tempore nobis conftiterit, patrios nationis ferociffimæ ritus, majorum exemplo illi venerabiles, tandem evertere. Idem olim Apoftolis, Apoftolicisque viris labor in traducendis ad Romana facra Hebræis, idololatrisque, & in avitis eorum fuperftitionibus, cerimoniisque demum eliminandis. Haud uno equidem ictu fecularis fternitur quercus, quæ altas dudum egit radices. Aft jam a nuptiis, ludisque genethliacis ad triftia tranfimus, de morbis, medicis, & medicinis acturi. Pluribus ifta capitibus, fingula fcilicet fingulis, complectemur.

CAPUT XXIII.

De Morbis, Medicis, & Medicinis Abiponum.

Vivaces esse Abipones, lacertosis, vegetis, succi plenis, Cœli cujusque ac laborum patientissimis corporibus gaudere, dudum asserui, &, nisi meus me fallit animus, liquidissime probavi capite 7. Morbi, qui in Europa domos infirmis, tumulos cadaveribus implent, plerique ab illis ignorantur. Epilepsia, podagra, lethargus, phrenesis, icterus, arthritis, maculæ nigræ, dolores nephritici, iliaci, elephantiasis &c. quam horrenda, quam antiqua Europæis, quam peregrina, quam inaudita Abiponibus nomina! Aliquem istorum febri calida, pleuritide, hectica extingui vix singulis trienniis audias. Ægrotatio rarior apud illos, quam aurora Borealis apud nos, vel eclipsis. Qui ex dentibus laboraret, neminem novi, præter vetulam, quæ aliquot aceti guttulis dolorem mox omnem absterſit. Haud equidem miror, tam vulgari apud alios dentium cruciatu immunes vivere barbaros, cum tabacæ folia sale, salivaque Vetularum permixta, & in unguenti formam redacta mandere identidem a pueris soleant. Nec abs re tabacam *noetà* medicinam appellant suam; Nam mel quotidie & potant & esitant, quod certissima, ut omnes nôrunt medici, dentium est strages, ut adeo Indos aut semper vexari a dentibus, aut iis

mox

mox destitui oporteret, ni tabacæ, salisque acrimonia utrumque impediret. Qui tabacæ vel folia mandit, vel fumum haurit quotidie, næ! is dentium incolumitati certissime consultum ibit, teste experientia. Verum enimvero, queis meliore luto finxit præcordia Titan, malunt isti ejulare, malunt Chirurgi forcipe laniari, quam nautico hoc, ut ajunt, præsidio contra dentium dolores præmuniri. Nobiliores vidi in Paraquaria Hispanos, qui tabacæ folia vel sicca, vel fumantia ore versant suo identidem, atque adeo veluti certissimum tuendæ valetudinis adjumentum in deliciis habent. Centurio, meus per ducentas facile leucas comes, tabaca ob itineris per solitudines diuturnitatem consumpta, arborum folia arida ejus loco accendit, quærentique mihi: quorsum id ageret: reposuit: Enimvero vita carere mihi videor, ni tabacam, vel hac deficiente, quidquid aliud circa nasum meum videam fumare. sed en! tabacam aversantibus aliud adversus dentium molestias remedium, Paraquariensibus familiare. Fabæ aliquot arboris Cacàó (ex quibus subinde tostis Chocolate conficitur) vino cremato per horas aliquot immerguntur. Isto liquore imbutum Gossipium denti male affecto imponitur; si concavus non sit, vino illo cremato aliquamdiu ore detento liberaliter, irrigatur. Quam industriam si iterum, iterumque repetas, & tumor & dolor sive ex frigido, sive calido ex rheumate ortus sensim evanescet. Medicinæ nobilis efficacitatem frequens ut mea, sic aliorum experientia docuit, celebravitque Europæo etiam in solo. Hunc infinem Cacào fabas, quantum fieri possit, recentiores, succosioresque deligere oportebit; Annosæ enim, cariosæque, quippe olei expertes, quam, quæso, virtutem communicabunt? Cremato utendum est poculento, ac mitiori,

non

non illo ardentiſſimo, quod ſpiritum vini cremati Chymici appellant. Alii gingivam ægro denti adjacentem compungunt ſpina piſcis, qui raya dicitur, & elicito demum ſanguine dolorem ſedant. Sunt, qui tigridis unguem, & alumen carbonum ardentium ope in calcem primum, mox in pulverem redactum & probe permixtum dentis eroſi, vel aliunde dolentis Cavernæ imponunt. Hac ratione non dolorem modo, ſed & cauſam doloris penitus extingui ita, ut nunquam porro reviviſcat, præter me plures alii ſunt experti. Hoc nobis remedium Hiſpanus agricola, ſocii mei e dentibus cruciatum miſeratus, detetexit. Haud equidem me latet, dentium medicamenta plerumque talia eſſe, ut decem aliquando vicibus laboranti egregie proficiant, undecima vice fors efficacitate careant, omnemque fallant expectationem, quin ſæpe dolores exaſperent magis. Frequens Europæorum in Paraquaria, & intolerabilis calamitas odontalgia ob Chirurgorum penuriam, ineptiamque. Dentem morbidum Forcipula eradicaturi gingivam circum omnem cultello fodiunt, revelluntque, qui laniatus dolorem adfert acerrimum, cum multa ſanguinis effuſione conjunctum. Tortorum ejusmodi opera quod nunquam egeant Abipones, felicitatis pars eſt profecto invidendæ. Perpetua ſiquidem dentium tranquillitate fruuntur, ac incolumitate. Edentulum nuſquam vidi. Dentes, quibus per omnem ætatem ſtrenue uſi ſunt, omnes tumulo inferunt plerique.

Si quando invaletudine tentari ſe ſentiant, quamvis in pede, vel cubito vis morbi reſideat, cor ſibi dolere interrogantibus reſpondent: *Yeevèt yauèl.* quaraniorum idem mos. Quid tibi dolet? quid ſentis? ſi ex ægro quæras, *Mbaèpá hacī ndebe!*

Mbaè

Mbaè panga ereñandu curi? Confeſtim; *Chepiape*, in meo Corde, ingemiſcens reponit. Ut adeo arduum ſit, morbi genus, ſedemque ex Indis expiſcari, ni aliis ſe prodat indiciis. Cibi perbreve faſtidium pro evidentiſſimo infirmitatis ſigno habent. Hinc ſi quis ſuorum, onerato foris, jamque nimium referto ſtomacho, ſolitis dapibus tantiſper abſtineat, peſſima quæque illi mox ominantur fœminæ, lamentandi finem non faciunt, illudque ſuum: *Chik rkene* non comedit, cum gemitu pronunciant identidem, jamque de ejus vita conclamatum, ſuſpicantur. Ut primum æger vel tantillum cibi receperit, morbo licet necdum profligato, jam de ſuperato periculo triumphum canunt adeo, ut *La rkeñe* jam comedit, & *Láyamini*, *Là natatéuge* jam convaluit, jam revivixit illis ſynonyma eſſe videantur. Cæterum ut rariſſime ægrotant Abipones, ſic pauciſſimi eorum, qui ægrotaverint, morbo extinguuntur. Cum crebræ illis ſint cum hoſtibus, tigridibusque dimicationes, harum unguibus, illorum telis non nullos quot annis ſuccumbere, occumbereque, haud inficior. Reliquis pleriſque ultima ſenectus & morbus & mors eſſe conſuevit. Dicam paucis: Abiponum plurimi tum denique mortem oppetunt, cum vitæ ſatietas eos tenet, cum ætate feſſi mortem ceu quietem, vitæque miſeræ ſolamen ſibi peroptant. Ex quo certe experimento enatus eſt communis error, ut nunquam omnino morituros ſe ſe credant, ſi Hiſpani, præſtigiatoresque venefici America abeſſent, horum enim artificiis, illorum armis quamcunque ſuorum mortem tribuere ſolent. Vulnus haſta inflictum quamvis tanto ſæpe pateat hiatu, ut & fugienti animæ exitum, & morti ingreſſuræ aditum ampliſſimum præbeat undique, quod ſi tamen ſauciatus emoriatur, non ferro, ſed præſtigiis lethalibus extinctus ab inſanien-

niente plebecula putatur. Sanguine propinqui omnem movent lapidem, ut in maleficii, mortisque authorem non indagetur solum diligenter, sed etiam animadvertatur crudeliter. Persvadent sibi, ejusmodi præstigiatorem e vivis mox eliminandum, mortemque illatam morte luiturum sua, si cor, linguamque emortui, quæ e calenti adhuc ejus corpore evellunt, ad ignem cocta cani devoranda objecerint. Tot linguis, tot cordibus, quæ cani porrexerant, devoratis neminem præstigiatorum tunc obiisse quamvis observaverint, maxima tamen cum religione e majorum suorum instituto & adultorum, & infantium, cujuscunque demum sexus sint, cor, & linguam secant, ut primum illos expirasse, opinantur. Insana hæc opinatio: Præstigiis duntaxat homines necari, quantum in Barbarorum animis inveteraverit, ex factis, quorum spectator fui, jam argue. Ex novo conceptionis oppido rusticatum iverant Abiponum aliquot. Venatu, parataque ex siliquis Græcis potione in campis otium fallunt. Exorta temulentos inter de equo, ut solet, altercatio arreptis demum hastis deciditur. Alter quispiam a compotatione semper alienissimus, placidæque indolis juvenis pacificator accurrit, dumque aliena impediturus vulnera dimicantibus duobus obstat, ipsus periculose vulneratur. Mense Januario, qui maximis Cœli caloribus æstuat, id actum. Brachium hasta transverberatum, soleque ardente horrendum intumescens, cum nil medicæ opis, in campo scilicet, ad manum esset, cor ipsum petit, ac bidui spatio opprimit infelicem. Hastam vulneris, vulnus necis causam extitisse quis nostrum negabit? Negarunt id Abipones, ac contubernalem suum magicis artibus extinctum palam vociferabantur. Habitis ultro, citroque ad cædis disquisitionem consultationi-

bus in vetulam ejusmodi artificiis insignem suspicio recidit. Negatus illi nuper a recens vita functo aquatilis pepo suspicionis fundamentum, & robur fuit. Adversus istam omnium animi exarsere. Ad vindicandum facinus quæ non tentata, excogitataque? Terribilem visu anum totius corporis jactatione rotæ instar se circumagentem in foro conspexi, cumque delirare eam crederem, parum abfuit, quin ad illam alloquendam properarem. Ast Abipones circumstantes: Cave mi Pater, verbulo bonam hanc interpelles mulierem, mihi ajebant: Ista equidem gyris, quos conficit, rotisque mactabit vetulam, quæ juveni nuperrime vita functo mortem acceleravit. Apage, subiratus reposui, aniles has fabulas, vobis decipiendis duntaxat, non interimendis præstigiatoribus idoneas. Sed frustra hæc. A' barbaris ceu mysteriorum suorum rudis explodebar. Ita qui maxime insaniunt, præ cæteris sapere sibi videntur. Ad ejusdem argumenti confirmationem audi jam funestiora.

In S. Ferdinandi colonia Yaaukanigarum quispiam tum prosapia, tum militari fama apud suos clarus, & ad quidvis audendum vel ideo projectissimus filiolæ suæ mortem præcocem acerbissime tulit. Noverat equidem prolem hanc suam imbecillam, morbidamque in lucem prodiisse; Totus tamen in eo fuit, ut ejus mortis authorem veneficum resciceret. Indam alienigenam, sed Abiponi nuptam veneficii patrati ream esse e vetulis eidem infensis audit, creditque. Dolore injuriæ furens, vindictæque desiderio sui impos nocte appetente in innoxiam, & nil insidiarum metuentem fœminam irruit. Illius scapulæ, dum foco humi assidens fila duceret, eo impetu hastam infixit, ut per mediam mammam ter-

ferreus mucro emergeret, ſimul prolem lactentem materno ſanguine funeſtaret. Mediocri erat ætate mulier, corpore ante alias plerasque obeſo, ubere ampliſſimo. Cruori innatabat ſuo, qui quot e venulis, totidem e fontibus ſcaturiit uberrimus. Vulneris atrocitate mortem certam minitante, religionis noſtræ capitibus, quæ jam catechumena novit, in memoriam breviter revocatis ſacro fonte rite præparata tingitur, & de venia ſicario impertienda monetur. Procurato, ut poterat, miſeræ animo, ad mortem ejus retardandam curas omnes convertimus; vitæ enim ſervandæ medicinam quamvis imparem fore arbitrabamur. Abſterſo, qui lacti mixtus affatim manavit, ſanguine, vulneri, vino calente loto, adeps Gallinaceus calens item illinitur. Maximi fiebant ad lachrymabile ſpectaculum concurſus. Turbæ immixtus aderat præſtigiator medicus; Hic cornu bubulum marito ſauciatæ mulieris porrigit: In illud veſicam ut exoneret ſuam, imperat, impetratque confeſtim. Obeditur liberaliter. Mox lotium calens uxori ebibendum præbet. Neque in hac tergiverſatio ulla. Exhauſit ad ultimam guttulam. Ad ſocium ſubinde meum converſus præſtigiator Hippocrates: Noſtin', eccur lotii recentis potus a me imperatus ſit? inquit. Scilicet, ut fœmina ſauciat a vomitu egerat ſanguinem e vulnere ad corporis interiora ſtillantem, qui putreſcens ſubinde putrefaceret pulmonem, aliaque. Dictis eventus reſpondit. Vomitu perpurgata mulier eſt. Vulnus ingens adipe Gallinæ ſæpius quotidie perunctum, applicatis etiam, ne inflammaretur, braſſicæ (quam caules dulces vocamus) foliis paucos intra dies ita coalnit, ut præter cicatricem nil prorſus incommodi, moleſtiæ, dolorisve ſupereſſet. Quidni ridebunt noſtrates Chirurgi adipis gallinacei

ufum, illiusque in confanandis vulneribus virtutem in dubium revocabunt præterea? Rideant, irrideant, dubitent, afpernentur, per me licet. Illorum rifui, dubitationique mea, quæ hifce ufurpavi oculis, experimenta confidenter oppono. Brachium meum fagitta quinque uncis horrida a Barbaris Nátakebit transfixum omnino, nervus fimul, qui medium gubernat digitum, Læfus hoc folo medicamine dierum quatuordecim intervallo feliciter confanuit. Eodem adipe alios fagitta, hafta alios fauciatos curavi; Abiponenfem item fœminam, cui fecuri forte impacta graviffime vulnerata tibia, indeque, cum diebus aliquot medicinam omnem neglexerit, pes miferandum in modum totus intumuit, eodem prorfus remedio perfanavi. Infinitus fim, fi cæteros, quibus adeps gallinæ faluti fuit, recenferem. Certiora Europæis in pharmacopœis fuppetere medicamenta, & unguenta, haud equidem aufim ambigere; In illis tamen Americæ folitudinibus obviam, quam providum Numen miferis Indis fuppeditat, herbulam citius, certiusque morbis quibuscunque mederi, fcio, quam pharmaca humanis ingeniis elaborata, multoque argento coemenda, quæ ægro corpori fæpe inutilia, crumenis ægrotantium femper perniciofa eheu! experimur.

Ut mortium, fic morborum exitialium architecti Præftigiatores vulgo putantur, quibus e medio fublatis ægri Abipones mox e morbo recreandos fe fe, confidunt. Stolidam perfuafionem, eventus fane tragicus tibi reddet indubitatam. In Sancti Hieronymi oppido Abiponum aliquis (Ychohàke dicebatur) facinorum fuorum memoria, fratrisque fui Ychoalay̆ Caziquii celebritate inflatus lenta tabe fenfim conficiebatur. Nunquam ifti in mentem vene-

venerat noxios, queis ſcatebat, humores accuſare. Quiſnam præſtigiatorum ægritudinem ſibi afflaverit, id unum ancipiti animo diu, noctuque volvebat. Conſultæ hac ſuper re ab illo vetulæ Napakainchin origine Tobam morbi authorem pronunciant. Nec mora: Huic mortem decernit æger, vitæ, ut putaverat, conſulturus ſuæ. Concubia nocte dormitantem ſuo in tentorio armatus opprimit. Haſtæ mucronem ferreum, quatuor facile digitos latum, altiſſime ejus corpori immergit, ſiniſtrum latus transverberat ictu valido, coſtis duabus confractis, humerum acinace findit præterea. Ad conſauciati voces concurritur, ſicario jam dilapſo. Evocamur ad opem miſero ferendam. Sanguini innatantem, ternisque vulneribus perfoſſum conſpicati exſpiraturum illico, putamus. Nî noſtras in ædes transferamus ſaucium, a percuſſore mox redituro novis vulneribus contrucidandum denique, circumſtantes monent. Iſtorum itaque e conſilio ad domum noſtram deportatur. Per viam bajulorum manibus elapſus, novo, maximoque vitæ periculo, terræ alliditur; vaſti enim erat corporis, ponderisque tantæ moli reſpondentis. Locus, ubi apud nos collocatus, quod repagulis, januaque careret, Abiponum opera taurinis pellibus undique præmunitur, ne ad cædem conſummandam redituro Ychohake acceſſus pateret. Et vero, ut ominabantur Indi, poſt ſemihoram adfuit acinace inſtructus, morientis ſcilicet mortem acceleraturus. Verum ab obvio Patre Joſepho Brigniel, cujus ego tum ſocius, ſtrenue repulſus re infecta diſceſſit. Saucius (Catechumenus erat id temporis) & linguæ, & animi ſemper compos citra moram ſacro fonte luſtratus, noſtrisque curis, ac medicamentis (Gallinaceus adeps primum obtinuit locum) hebdomadum aliquot ſpatio feliciſſime con-

 va-

valuit. Ecquisnam Chirurgorum Europæorum ad hæc sensus ? Napakainchin Maritum suum Christianorum sacris initiatum conjux cum liberis imitata est libenter. Universa paulopost familia, cum nova sibi ab eodem Ychokake discrimina metueret, ad vicinum Sancti Xaverii oppidum commigravit, ubi Mocobies neophytos inter Christiana disciplina mirifice jam vigebat, Liceat huic tragœdiæ Corollarium adjicere. Idem Napakainchin anno superiore, dum fervente compotatione, nescio, quid discordiæ enatum est, Abiponem sibi assidentem, atque infestum cultro confodit misere. Pro morte illata pœnas dedisse videtur vindici Deo. Quamvis illud vindictæ genus beneficii maximi instar, ac salutare fuit reo, cum impacta ejus corpori vulnera opportunitatem præbuerint, ut suis cum domesticis Christianorum Cœtui tempestive adjungeretur, plures fortassis annos prospera semper fortuna tergiversaturus, certe cunctaturus.

Neque finitam existimes de ægro, deliroque Ychohake historiam. Iisdem morbi molestiis, novisque semper de veneficio sibi illato suspicionibus conflictatus aliquot post menses fœminam de magica scientia suspectam invaletudinis suæ causam putare cæpit. Sub meridiem hanc sui securam per insidias invadit, conatusque caput illius findere declinante tantisper acinace sinistram illi maxillam secat, quæ cum aure cuti adhærente defluens pectus, pectorique incubantem prolem sanguine perfundit copiose. Ab accurrente populo retractus percussor. Vix lacrymas tenui ad crudele spectaculum. Plectere impium, qui injuriam intulit, minime licuit; Ad opitulandum injuriam passæ animum, curasque omnes converti. Æthiops nobis erat chirurgica scien-

ſcientia non nihil tinctus. Illius manibus pendentem cum aure maxillam capiti aſſui tribus in locis, mandavi, acûs, qua filum traducebatur, puncta ſine gemitu ferente fœmina, reliquis ad ejus aſpectum cohorrentibus. Vulnus, quantum erat, calente vino lotum, adipe gallinaceo perunctum, telaque coctis aliquot herbulis imbuta leniſſime conſtrictum eſt. Faſciæ, quibus tela alligaretur, cum præſto non eſſent, cingulum, quo præcingebar, adhibui. Toto illo, quo hæc patrata ſunt, veſpere, nocteque ſubſecuta per fidos Abipones fœminæ ſecuritati, me jubente, invigilatum fuit ſolerter, ne quid detrimenti rurſus pateretur. Indus enim ille ut ſuam valetudnem, ſic illius fœminæ occiſionem votis, viribusque omnibus identidem anhelabat. Aſt periculum, quod latere miſeram neutiquam potuit, prævertit, perſanato ſpe noſtra citius vulnere, ad S. Ferdinandi oppidum clam digreſſa. Divino conſilio fugam cepiſſe videbatur; Nam Ychoalay Caziquius, qui id temporis ab oppido aberat, de fratris ſui Ychohake atrocitate a nobis certior factus, rogatusque, ut ad illum coercendum quamprimum rediret; Propediem adfuturum ſe, reſpondit, non ad fratrem ſuum cohibendum, ſed ad illam fœminam mox trucidandam, quippe quam magicis artibus infamem, omnibusque pertimeſcendam dudum exiſtimabat. Et vero, quod comminabatur, propoſiti ſui ſemper alias tenax haud dubie fuerat executurus, ſi eam in oppido fœminam repeririſſet. Annis equidem ſuperioribus, dum per campos ſparſi huc illuc oberrabant, contubernio excluſit ſuo quaſcunque venefici artificii ſuſpicione aſperſas mulieres, earumque complures, ne cui fraudi eſſent porro, forſan innoxias omnino haſta confodit, nimiæ ut credulitatis, ſic crudelita-

tis ſæpe damnatus. En fratrem fratri, Ychoalay ychohake, ut ovum ovo, ſimilem!

Verum cruenta toties tragœdia lætiſſimam habuit cataſtrophen. Ille tot ſollicitudinum noſtrarum, tot vulnerum cauſa Indus Ychohake ægritudine animi, quam corporis miſerior vivere ſimul, ſimul timeri tandem deſiit, & quod mireris, qui ægrotans tamdiu inſaniebat veneficorum ſuſpicione, jam jam moriturus ſapuit. Tempeſtive ſacro baptiſmate, quod ultro expetiit, ablutus, dum fatalem ſibi inſtare horam ſenſerat, Sacerdotis præſentia delectabatur plurimum, cui, dum is prima nocte coram adeſſet, quieſceret domi ſuæ tantiſper, ſvadet, ſe, dum propinquiorem ſibi mortem adverterit, protinus ſignificaturum, ait. Stetit promiſſis. Patre ſalutaria quæque moribundo ſuggerente, collachrymantibus propinguis placide expiravit ipſa, quæ Divinæ Triadi ſacrum diem præcedit, nocte; Pluribus ſane, quod ad beatam immortalitatem tranſierit, argumentis convictos nos bene ſperare juſſit. Complorantium enim domeſticorum lamentis indignatus: Ad rerum omnium conditoris, ſummi Patris, maximi illius Capitanei magnam domum transferendum ſe, meminerint, ajebat. Propitiando Numini uſque intentus tot Chriſtianorum, aliorumque a ſe patratas cædes, tot rapinas acerbo animo, pœnitentique deteſtabatur. Conjugi ſuæ, ne majorum ritu equos ſuum ad tumulum, neu oves mactaret ſuas, ſemel, iterumque edixit: Has, & quidquid ſuum eſſet, filiolæ ſe ſuæ relinquere. Ex omnibus patuit, illum avitas ſuperſtitiones execratum, Romanaque ſacra toto animo fuiſſe amplexum. Hæc eo fine retuli, ut omnem morborum, mortiumque infelicitatem ab Abipone præſtigiatorum artibus aſſignari intelligas,

quos

quos tamen eosdem ſoſpitales, divinos medicos, ſoteres, ſervatoresque ſuos veneratur alias, quod alio capite docebo. De morbis jam plura, quæ ab Europæis ignorari nefas ſit, dicenda reſtant.

CAPUT XXIV.

De morbo quodam Abiponibus peculiari.

Fruges ubique terrarum nullo diſcrimine naſcuntur aliæ; Aliæ alicubi tantum proveniunt. Neque enim omnis fert omnia tellus. Eadem videtur morborum conditio. Aliqui gentes, provinciasque omnes promiſcue afficiunt; Aliqui aliquas duntaxat. Suos ſcilicet quisque patitur manes. Elephantiaſim vernaculum Ægypti morbum vocat Lucretius. Podagram Athenis, Ophtalmiam Achaiæ familiariorem alii affirmant. Leucophlegmatiam (Hydropis genus, quod anaſarca dicitur) in Delo inſula, ceu nativo in ſolo, deprehendi, Æſchines poeta refert Philocrati. Cruentam capillorum concretionem in Polonia, ſudorem mortiferum in Anglia, Strumas, morbosque alios aliis in provinciis patrios diffuſe enumerant medici. Luſtratis per duodecennia Paraquari æterris, populisque morbi genus deprehendi apud Abipones Nakaiketergehes, cæteris omnibus omnino incognitum. Ægritudo hæc animum, quam corpus afficit potius, etſi

ex hoc male temperato in illum derivari existimem. Delirare incipiunt aliquando, & lymphaticorum instar furere. A credulo, ac superstitionum tenaci vulgo magicis præstigiatorum artibus ad insaniam redacti putantur, & *Loaparaika* audiunt. Istiusmodi atræ bilis, ut opinor, intemperiis agitati, oppressoque rerum funestarum imagine cerebro, sole in occasum vergente potissimum, delirationem produnt suam quotidie, febricitantium more, qui accessiones febris discessionesque certis horis definitas patiuntur. E' suis repente prosiliunt tentoriis fanatici, peditesque per campum excurrunt rectissimo ad suorum sepulchra itinere, quæ propinquo in nemore habere consueverunt. Cursus celeritate vel struthiones æquant, & pernicissimi equites, qui insequuntur, ægerrime demum assequi illos, & e fuga domum retrahere vix possunt. Noctu furiis jactati patrandæ, ubi ubi possent, cædis cupiditate ardent; Arma, quæ in promptu sunt, eum in finem arripiunt. Hinc ut primum de ejusmodi delirante per oppidum percrebuit rumor, hastæ omnes obviis in latebris ab unoquoque abduntur. Contubernales dum furiosum noctu nec sedare, neque domi continere porro queunt, illum bacillo instructum in forum prodire sinunt, & quotquot possunt, comitantur. Concurrente ad optatum sibi spectaculum puerorum globo per oppidi plateas omnes fit circuitus. Delirans tectum, storeamque singulorum tentoriorum bacillo suo iterum, iterumque pulsat, nemine eorum, qui sub illis latent, vel hiscere, vel mussitare auso. Si quando aut oscitantibus excubitoribus, aut delusis armorum compotem se faciat delirans, superi boni! quanta omnium trepidatio! Nec ad fœminas solum, puerosve imbelles, sed ad ipsos, qui heroes sibi videntur singuli, viros is terror pertinet, quippe qui dicere soleant: Rationi absonum, sibi-

ſibique indecorum videri, adverſus amentes armis uti. Hinc ad aream noſtræ domus ſudibus contra Barbarorum aſſultus munitam cum prolibus ſuis fœminæ turmatim advolant, ibique delirantis metu non horas modo, ſed noctes integras hærent. Alaykin conceptionis oppidi Caziquius princeps ſuam dum intra hæc ſepta conjugem latere cum aliis, terroribusque furioſi, qui armatus per forum curſitabat, exanimari intellexerat, illum aſtu captum funibus conſtringi imperavit.

Hac inſania correpti vix aliquid cibi, ſomnive capiunt, & tum inedia, tum mærore pallidi obambulant; Crederes illos novum aliquod de figura telluris ſyſtema meditari, vel quadraturæ circuli ſtudere. Interdiu tamen nullum prope alienatæ mentis indicium præbent. Neque timendi ante veſperum. Horum aliquis, noctibus ſingulis turbulentus, me inviſit ſub meridiem. Familiari in colloquio interrogavi hominem: Ecquisnam eſſet ille, quo nomine vocaretur, qui furibundus noctu perturbare ſolet cæteros? Neſcire ſe, ſerena fronte mihi repoſuit. A me digreſſum conſpicatus Socius meus Hiſpanus: En, ajebat, quem noſſe dudum percupiſti. Ipſus eſt, qui noctu furit. Adeo nihil, quod amentiam indicaret, ex vultu ejus, ac ſermone collegeram. Alter ejusmodi, quem furibundum novi, eques equitanti mihi per campum obviam factus comitem ſe adjunxit. Ego vero, timendo ut me ſocio liberarem ocyùs, negotium cauſatus, admotis equo calcaribus domum properavi. Semel, iterumque, dum areæ noſtræ portam noctu clauderem, alias dum equum in campo paſcendum ſtipiti alligarem, a furioſo jam jam opprimendus fueram, ni ſuppetias mihi venientes alii periculum avertiſſent. Nonnunquam ſub idem tempus plures tum viri, tum

mu-

mulieres inſanire cæperant; Aliquando unicus; Sæpe nullus. Ægritudo iſta delirantium ad octo interdum, alias ad quatuordecim, quin plures etiam dies producebatur, dum denique quies illis, ac mens rediret. Quotquot hunc in modum delirare vidi usquam Abipones, ad unum omnes ingenio ſubtriſti, melancholica, vel cholerica intemperie ſemper turbidos, ſemper minaci obtutu truculentiores obſervavi. Accedente jam aeris, jam potus immodici injuria, jam eventu votis, expectationique contrario concitatam bilem in amentiam, ac rabiem deſinere denique, nec rarum, nec mirum cuiquam videatur. Stupidi ſolum ac rudiſſimi magicis id artibus tribuere ſolent, quod ſeu vitio, ſeu virtute naturæ fieri conſvevit.

De hoc Abiponum furore ſcribens opportune memini illius, quod apud Plutarchum libro de claris mulieribus cap. 11. dudum legeram: Virgines ſcilicet Mileſias, neſcio, quo furore actas mortis deſiderio ſe ſe ſtrangulaſſe. Magnopere invaluit illa puellarum rabies, & mors una omnibus erat in votis. Nil parentum lacrymæ, nil cuſtodum vigilantia, nil artes medicorum potuere. Adhibitis in caſſum remediis, ſenatus Mileti hanc ſanxit, præconisque voce vulgavit legem: Si qua virgo ſe ſe porro interemerit, nuda per medium forum efferatur. Ignominiæ metus furorem, & inſanam moriendi lubidinem extinxit. Noſtra quoque ætate virgarum metu, quotquot inſaniunt, validiſſime coercentur. Mortis metu inhibitam vidimus delirandi licentiam apud Abipones. Paucos intra dies præter morem inſanientium numerus accrevit. Iſtorum aliquis provecta jam, ſed illuſtri nocte per ſepta eluctatus in noſtras ædes irrepere videbatur, ſed ab accurrentibus tempeſtive retractus, noſtræque conſultum fuit incolumitati. De noſtro periculo certior

fa-

factus Alaykin oppidi princeps Caziquius, postridie evocatis ad forum omnibus minaci voce edixit: Si quis deinceps in delirationem inciderit, se fœminas præstigiatrices omnes, ipsosque adeo insanientes extemplo Contrucidaturum.] Hæc comminatio amentibus pro helleboro, cæteris, ne insanirent, pro freno fuit. Nihil dein de furibundorum tumultibus auditum a me, visum nihil, etsi eodem in loco eadem cum gente menses adhuc complures sim versatus. Quotquot quocunque impulsu turbari sibi cerebrum senserant, necis intentatæ metu se continuisse mihi videbantur. Quid si horum aliqui, quod a contubernalibus cæteris timeri, digitis monstrari, ac suspici gauderent, furorem prius simulassent? Quamvis enim vix homines sint cætera, humanum nihil ab illis alienum puto. Simulatione quid homines inter frequentius? Magicum carmen deliramenti causam fuisse cum vulgo barbaro ut crederem, nunquam profecto poteram induci.

CA-

CAPUT XXV.

De Variolis, morbillis, lueque pecorum.

Rodericus Fonſeca medicus in libro de ſanitate tuenda ait: *Apud Indos tam Orientalis, quam Occidentalis Indiæ nunquam viſa fuit peſtis; ſcimus tamen non multis abhinc annis in America, ac nova Hiſpania Centena decem millia Indorum ex Variolis extincta fuiſſe, cum nullus Hiſpanus eo malo correptus fuiſſet. Fuit illis hic morbus novus a quodam æthiope delatus.* Hæc medici verba momentis ſuis ponderanda mihi, atque enucleanda ſunt breviter. De Indiis, quæ ſolem orientem ſpectant, nil diſcutio, quia iſtic peregrinus. Peſtem, quæ venenato Cœli afflatu mortales conficit, nullam usquam in America ſæviiſſe nemine, quod ſciam, repugnante omnes conſentiunt. Quod ſi tamen contrarium apud hiſtoricos legeris aliquando, memineris, catarrhum, febres tertianas, diarrheam &c. Si diutius, ſi latius graſſentur, ab Hiſpanorum vulgo peſtem vocari, maxime, ſi complures illo morbo intereant. Variolæ item, morbillique, quia Americanis admodum peſtilentes, ab Indis haud abs re peſtis appellantur paſſim. Luem pecorum, quæ ab uno territorio latiſſime ſerpebat per Paraquariam, iterum, iterumque experti ſumus maxima boum, equorum, & cum primis mulorum jactura. Nec tamen peſtilente aeris halitu inducta hæc ſtrages, ſed pabuli vel malignitate, vel

aquæ

aquæ penuria, postquam vel per diutinam Cœli siccitatem exaruere campi, vel pertinacioribus nimbis corrupti gramen noxium præbuere, unicum in Paraquaria pecorum alimentum. Id pabulorum virus muli potissimum, veluti spongiæ, intimis hausere fibris. Paucos intra menses in territorio urbis Assumptionis multa illorum millia interierunt. Cadaverum struem, qua qua mihi iter fuit, per vias, camposque omnes deprehendi. Illud morbi genus jure contagium dixeris; Nam corporum jam languentium, vel cadaverum solo contactu obviis quibusque bestiis mortifera, ut cum medicis loquar, miasmata infundebantur. Capitis tumor, stillans e naribus sanguis certissimi luis jam dominantis indices exstiterunt. Eadem animantium a serpente ictorum signa esse solent. Auris mutilata, secta pedis anterioris vena adversus morbi illins venenum præsentissima, & prope unica mulis medicina fuit, maxime, si sal lingendus quotidie illis porrigebatur. Enimvero his remediis non arceri modo a bestiis pestiferum illum calorem, verum restinqui etiam, si haustus jam fuerit, magno rei familiaris emolumento didicimus. Boum, qui ad Indos alendos mactantur quotidie, abdomina, gramine semi digesto, fæcibusque referta patentem in locum rejiciuntur cum visceribus; Ad hunc, ceu ad publicam mensam, quotquot circa oppidum pascuntur, equi, mulique, turmatim confluunt semper, & avidissime lingunt non fæces tantum, sed & ipsum, cui incumbunt, solum, ubi ex bubulo sanguine, & rejectaneis cæteris salis, nitrique species enasci solet, quod bestiæ incredibiliter appetunt, ac mellis instar absumunt. His suis dum vescuntur cupediis, nemini mortalium, ni equorum, mulorumque calcibus, ni dentibus discerpi velit, fas est propinquare; Quid quod invidia stimulante motu, calcibusque mutuis

con-

concertant brutiſſimi hi rivales, dum quisque ſibi totum affectat. Sæviente igitur atrociſſima mulorum Lue noſtris in finibus, illas bubuli abdominis quisquilias ſale conſperſimus quotidie, ut, quod cibus erat alias, jam medicamentum mulorum foret. Enimvero fuit; Cum emorientibus alibi per vicina prædia quam plurimis apud nos in S. Joachimi oppido pauciſſimi ægrotarent, plerique convaleſcerent. Quod quidem ad commendandam ſalis ſalubritatam luculenter facit. Sed jam cætera, quæ e Fonſeca medico adnotavi, perſequamur.

Variolas certam, verſſimamque Americanorum peſtem dici oportere, ac ab advenis tum Europæis, tum Afris recens tunc illatam Americæ fuiſſe, extra controverſiam eſt. Inde faceta, ſed æquiſſima Indorum querela originem duxit ſuam: Belli ſane homines, ajunt, Europæi! Auri, argentique infinitatem, quam a nobis abſtulerant, exitiali, quam nobis reliquerunt, variolarum peſte liberaliter penſarunt. Enimvero jam inde a Caroli quinti Cæſaris ævo per bina dein ſecula adhanc usque ætatem Indorum multitudinem tantam Variolis interiiſſe, ut fidem, ac prope numerum excedat, certiſſimum utique, ac nemini non exploratum eſt. Strages in reliquis Americæ provinciis editas haud memoro, quippe ab aliis hiſtoricis dudum deploratas. In ſolis triginta tunc Quaranicæ nationis oppidis, in quibus id temporis ad Centum quadraginta capitum millia cenſebantur, peſtis variolarum anno 1734. atrociter ſæviens triginta aliquot hominum millia abſumpſit. Ut adeo, cur univerſim per Americam diminutus ſit magnopere Indorum numerus, Variolis tribuamus, ſed non ſolis. Nos equidem, qui diutius novum orbem circumſpeximus, alias præterea cauſas deteximus, quas tamen, cum

veri-

veritas odium pariat, consulto reticemus, ne acerbioribus non unius gentis odiis implicari nos videamus.

Hispanos, cæterosque Europæos Variolarum immunitate in America gaudere, fabulosum; Indos vero illis corripi citius, certiusque confici, indubitatum est. Cur variolæ Americanis pestilentiores, Europæis in America degentibus magis propitiæ sint, discrimen, ne falcem alienæ messi injecisse videar, medicorum sagacitati investigandum committo. Illorum tamen pace, dicam, quod sentio. Ipsam Americanorum corporum habitudinem minus habere firmitatis ad virus illud seu repellendum, seu superandum, puto. Carne semicruda plerumque, sale raro utuntur. Nudis semper incedunt pedibus, sæpissime aperto capite. Aqua sola, festivas aliquot per annum compotationes si excipias, & fere non optima sitim restinquunt suam. Inde stomachi imbecillitas. Salaces, & ad libidines effuse propensi nativum pessundant vigorem. Solis effervescentis æstu, triticique, quod Turcicum dicunt, esu quotidiano sanguis ebullit, & accedente variolarum contage tantum in illis concitat fermentum, cui, cum ferendo non sint, frequentissime succumbunt. Hæc de nationibus Indorum pedestribus dicta a me, intelligas. Abipones enim, cæterique Indi equites, natura sua firmiores, cum magna ex parte illis seu vitiis, seu miseriis careant, queis pedites laborare dixi, variolas illi præ istis mitiores sibi, benignioresque frequentius experiuntur.

Anno 1765. hæc pestis Hispanorum per Colonias magnam sane hominum vim enecuit. Totam subinde, quæ latissime patet, provinciam turbinis instar pervagata in duobus supra triginta Quaraniorum op-

pidis duodecim circiter millia extinxit. In remotiſſima denique Barbarorum per Chacum latibula irrepſerat; Etſi Lue illa correpti ſint plerique omnes, pauci tamen, pro infirmorum numero, occubuere. De equitibus loquor, quibus corporum firmitas præſidio fuit. In oppido, quod paucos ante menſes Abiponibus in Timbò condideram, qui variolas evaderet, præter unam fœminam nemo fuit. Quamvis plures ægrotantium centurias a quartadecima Maji ad finem Octobris usque numerarem, duo tantum ſupra viginti funera extuli. Quantum negotii per ſex illos menſes mihi fuerit, cui ſoli & corporum, & animorum cura incubuit, alius erit dicendi locus.

Per annos ſæpe plurimos nulla apud Indos variolarum mentio, veſtigium nullum; ſed hæc malacia imminentis procellæ index eſt certiſſimus. Falci, quæ diu conquievit otioſa, plura dein, quæ metat, obtingunt. Experientia item didicimus, Variolas in Hiſpanorum ſemper coloniis naſci, indeque ad Indorum, quamvis longiſſime abſint, ſtativa per ultro, citroque commeantes derivari. Quo magis Hiſpanorum a ſolo recedunt, eo majorem indies ſtragem edunt, fluviorum more, qui quanto longius a fonte procurrunt ſuo, tanto minaciores ſemper evadunt. Ad ſolum de variolis rumorem metu propemodum exanimantur Indi; Hunc enim morbum mortem ſuam dici oportere, ex majorum ſuorum tumulis, ſermonibusque didicere. Cumque Indi vitam præ patrio ſolo expetendam ſibi exiſtiment, ut primum variolarum ſuſpicio eminus injecta eſt, a contubernalibus ſuis diviſi alii alio fuga præcipiti dilabuntur. Sed en ſtolida illorum ingenia! Variolarum metu in fugam effuſi non via recta, ſed per mæandros, variosque flexus iter faciunt. Hoc equidem aſtu a ſe ſe aſſequendis

dis peſtem impediri, eludique, opinantur. Hunc morem Lules, Iſiſtines, Vilelas, Homoampas, ac Chunipies ſuperſtitioſe obſervare, mihi retulerant Patres, qui diu inter illos verſati. Contagii timore patres ægros filios, filii patres deſtituunt. Cantharo aquæ pleno, granis tritici Turcici toſtis pro ægrotantis levamine ad ejus lectum relictis ipſi fuga ſibi conſulunt. Vita exui dum metuunt, lapidis, ferarumque crudelium naturam induuntur, incolumitati caventes ſuæ, de conſanguineorum vita nil anxii. Injurius ſim Abiponibus, ſi eos illorum imitatores dixero. Terga quidem vertunt loco, ubi vulgata jam peſtis, &, ut cuiqne viſum, per ſylvarum latebras turmatim ſparguntur. Recto tamen itinere, ut alias, ad locum deſtinatum proficiſcuntur, neque ſuorum, quibuſcum ſibi aliqua ſanguinis, vel amicitiæ neceſſitudo, curam abjiciunt unquam, quin mutua humanitatis officia ſibi impendunt perſtudioſe. Ut commendanda Abiponum in ſuos benevolentia variolis graſſantibus, ſic moleſtiarum, dolorumque tolerantia. Neminem, malignis caloribus dum æſtuat maxime, aut muliebriter ejulantem, aut conquerentem usquam audivi. Vel gemitum tenuem ſibi probro ducunt, & ne intrepidorum famam deperdant, morbi acerbitates ſilentio concoquere, nituntnr.

Haud ſupervacaneum fuerit nonnulla, quæ Variolarum contagio durante obſervaveram, hoc loco adnotare. Viris ingenita triſtitia, atra bili, provectiore ætate affectis, fœminis uterum gerentibus hunc morbum periculoſiorem, & fere mortiferum expertus ſum. Abiponenſis mulier variolis ſcatens partus doloribus per biduum excruciata prolem maſculam, ſed variolis pariter circumfluentem, enixa eſt, cui, ſalutari baptiſmate a me luſtratæ, eadem, qua lucem

aſpexit, dies & prima, & poſtrema fuit. Mater tamen, quamvis tardius, convaluit. Quibus poſt calorem febrilem cunctanter eruperunt variolæ, aut nigreſcentes, confertæ, depreſſæ, nigris in medio maculis diſtinctæ, vel purpureis permixtæ, ſanie unum in locum confluentes, næ! Iſtis ingens diſcrimen, propinquum exitium præſagiebam, eventu funeſtis ominibus plerumque reſpondente. Si variolæ, &, qui illas comitabatur, tumor confeſtim evanuerant, ſpes quoque de illorum valetudine recuperanda omnes evanuerunt. Quibus ingenium hilare, candidior vultus, ætasque florentior erat, parum moleſtiæ, minus periculi a variolis creatum, identidem obſervavi. Gutturis ardor ob enatas illic variolas, tuſſisque inde orta, ac quoddam anginæ genus (quod Quaranii Yucuahába dicunt) Indis quibusque maxime periculoſum, & præcipua mortis origo. Hinc aqua ſaccharo & mali citrei ſucco temperata ſvaviſſime recreantur ægrotantes. Aqua item cum foliis plantaginis (quæ in locis humidis, & ad amnium ripas naſcitur) cocta pro gutture perluendo, oculisque crebrius lavandis quotidiano uſui, luculentæque utilitati fuit ſemper. Ex medicorum veterum documento variolis obnoxii aerem frigidiuſculum declinare, ſub tecto, ſub ſtragulis latitare jubentur, ne maculæ jam jam emerſuræ ad præcordia repellantur. Audi Joſephum Jakſon Anglum in Enchiridio ſuo medico Matriti anno 1734. typis dato, his verbis caventem: *Quam primum ſymptomata febrilia ſe ſe produnt, æger aeri frigido non eſt exponendus; Frigus enim variolarum eruptionem inhibet. Sed etiam a nimio calore cavendum eſt; Hic enim ebullitionem nimiam concitaret. Gradus itaque caloris, & frigoris moderati eſſe debent, & naturalem ſtatum non transgredientes &c.* Ita ad literam capite nono & trigeſimo. Folio mihi 139. Abipones, neglecto

hoc

hoc medicorum veterum consilio, variolis jam infecti sub dio sæpe, sæpe sub tentoriis semi apertis, aut undique hiantibus in tuguriis dies, noctesque egerunt. Latebras, more suo, fugitabant. Auram, etsi rigidiorem interdum, toto corpore hauserunt. Quid si eam esse causam dicamus, cur e tanto ægrorum numero pauci admodum variolis sint extincti? Ex America in Europam redux equidem intellexi, e medicorum recentiorum sententia patentem aerem præ cubiculorum calore variolas patientibus magis expedire, passimque svaderi. Et vero hisce vidi oculis, illustrissimi generis adolescentes Theresiani collegii Vindobonæ alumnos, quibus novo artificio variolæ sunt insitæ, a meridie Cœlo quamvis pluvio, aere rigido, jussu medici, mecum colloquentis, per hortum deambulare, fructu, qui optari poterat, maximo. Jam nil miror, Quaraniorum tot sæpe millia variolarum peste fuisse consumpta; Hac enim afflati clauso in cubiculo, ut limaces sua in concha, jacuerant semper; Laneis stragulis tegebantur anxie, & tantum non opprimebantur; Reti, ex quo suspensi cubare solent, focus subjiciebatur præterea ad frigus omne arcendum; vel momento pedem domo efferre, naribus auram rigidiusculam captare, lethale putabatur, ac morte piandum nil cunctatura. Variolis grassantibus contrarii erant Abiponum mores, ac vel ideo mortes pauciores. Eventum, qui ad ista confirmanda aliquid ponderis adjiciet, medicis meditandum, admirandumque proponam.

Abiponum meorum quispiam febrili calore, Variolarum iminentium prodromo, exæstuans equos binos advenæ Hispano clam vendiderat: Cornu bubulum, vino cremato plenum, quod pretii loco acceperat, ad ultimam mox exhausit guttulam. Temulentus, linquæ,

mentis, pedumque impos, furens animis ægre in equum eluctatus suum obscura nocte fluvium natando trajecit. Leucam unam, & mediam emensus ad campum, ubi contubernales cæteri pctis metu versabantur, incolumis pervenit. De his certior redditus timebam enimvero imprudentis barbari mortem proximam. Nec dum enim is talis fuerat, ut extra mortis periculum sacro lustrari fonte potuisset. Hinc & animo, & corpori illius. quantum fas esset, consulturus, accurri. Lætissima præter omnium spem nunciantur. Eadem nocte, qua dormiens crapulam exhalaverat, variolæ nec confertæ, nec malignæ eruperunt. Post dies pauculos absterso morbo sospes, qua lubuit, obequitavit. Annum circiter tricesimum agebat, mentis vividæ, viribus integerrimis, & ob demessa prius Hispanorum capita apud suos clari nominis. Calor pestilens per intimas Barbari fibras ebulliens tanta cremati vini copia auctus lethale corporis incendium excitaturus, putabatur; Sed ignem igne sopitnm fuisse, exitus docuit. Neque id novum: Ignis enim e fulmine ortus ardente titione felicissime restinquitur, ut mos Hispanorum communis in Paraquaria obtinet. Propior tamen sum, ut nocturnam hominis temulenti per gelidum flumen natationem refrigerato sanguini salutarem fuisse, crederem. Quid sentiendum, quid vero similius, viderint medici. Pro rei, quam narravi, veritate lubens vadem ago. Illud quoque hoc loco memorandum: Americanos variolis genuinis defunctos perinde, ut Europæi experiuntur, earum reditum, contagiumque porro haud timere. Id cæterorum omnium & mea ipsius experientia certum. Quinque annos natus puer variolas vix denis plures numeravi, vix biduum æger decubui. Sed per perbrevem hanc ægrotationem naturæ legibus factum esse satis tum denique credidi, dum multis mensibus diu

noctu-

noctuque inter Indos hac peste correptos impune versatus illa semper immunis perstiti, & quamvis quotidie defatigatus, undique tamen incolumis.

De morbillis (quos Hispani Serampion, Germani Masern, vel Flecken appellant) idem propemodum, quod de variolis sentiendum. Grassantur per intervalla, propagantur, stragesque Americanis inferunt incredibiles. Dum in S. Joachimi oppido agerem, ex duobus Indorum millibus tot hac peste infecti decubuere, ut, qui ægris cibum, aquam, lignum. medicamenta ministrarent, qui nobis ad aram operantibus de more assisterent, sæpe reliqui non essent. Patrem Josephum Fleischauer Parochum, meque tunc ejus socium, mox successorem officia, quæ ægrotantium seu animis, seu corporibus debentur, diu, noctuque aliquot mensibus occupatos tenuere. Ingravescente in horas mortifera Lue, funerumque numero indies augescente, svasore, nescio, quo Hispanum vetulum accersivimus, qui apud suos medicandi famam aliquam obtinuerat. Scilicet in cæcorum regione coclitem Regem esse, verissime vetus affirmat adagium Hispanorum. Experti hoc medicastro præsente multo plures, quam ante ejus adventum, Indos emori, eum res sibi suas habere, domumque festinare jussimus, ubi mulis curandis felicius operam navaret suam. Ducentos prope illa nobis pestis eripuit, sacris ad mortem præsidiis rite munitos omnes. Ex horum numero infantes paucissimi, senior vix ullus, plerique annis florentes, iique potissimum, qui paulo ante connubium inierunt. Febris tertiana contagionis ritu visa grassari non nunquam Indos inter, sed molestia, quam strage majori. Id iis solum in locis observatum, ubi aqua putris ex stagno hausta, dulci omni deficiente, quotidie potabatur. Eadem de causa in multis Hispano-

 rum,

rum, Tucumanorum maxime, oppidis tertianæ febres frequentissimæ. In conceptionis colonia ad ripas amnis Inespin (Abiponibus Narahagem) collocata primum, qui dulcem, saluberrimamque aquam suppeditaverat incolis, nemo ullus tertianis tentatus est unquam. In S. Ferdinandi, & Rosarii Coloniis, quæ paludibus, lacubusque cinctæ aqua fluviatili destituebantur, rarissima vacatio febrium Abiponibus est concessa. In Rosarii colonia mensium aliquot spatio adeo invaluit tertiana febris, ut eximium faceret neminem, neque mihi parceret denique, quamvis sæpe alias in medio febricitantium incolumi. Ne quis barbarorum sacro fonte non expiatus e vivis abiret repente, ad singulos ægrotantes invisi quotidie, ac demum, quod mireris, febrim quotidianam contraxi, cum tertiana duntaxat Indi omnes laborarent. Sole in occasum præcipitante quotidie febris accessit, & frigore, caloreque succedentibus non nisi cum nocte recessit. Hæc jactatio febrilis ad octavum & vicesimum diem producta desiit quidem, sed in tertianam, quæ tamen binis duntaxat vicibus repetita, ac fausto, quod mihi nil tale expectanti repente allatum, nuncio penitus profligata fuit. Quanta passus in illa rerum omnium penuria, quantum periclitatus sim, hoc tua nihil refert.

Istud de morbis contagione serpentibus argumentum jam jam clausuro mihi in mentem venit quidpiam memoratu dignum, quid & si critico examine medicorum. In Cordubensi nostro S. Catharinæ prædio rusticantes nocte appetente meteorum igneum, quod trabis latissimæ speciem referebat, & per medium cœlum coruscans undique ad oppositum horrizontem devolvebatur, attoniti spectavimus. Hispani advenæ, lucem illam omni late provinciæ spectabilem fuisse, nun-

nunciarunt dein', ac portentosam judicarunt. Nos philosophiam saniorem docti subitum illum splendorem ceu festivum ignem sereno obtutu vidimus, qui re tamen ipsa mæstus, quia seu causa, seu indicium, certe principium catarrhi lethalis fuit, quo Tucumaniam omnem pervagante per biennium ingens Hispanorum, æthiopumque numerus erat consumptus. Eodem prorsus, quo ignea exhalatio visa, tempore morbus hic, ut ajunt, epidemicus cæpit. E prædio enim quatriduo post cordubam redux Collegii nostri socios plerosque lecto jam affixos deprehendi, vix pauculis, qui academiæ, templique munia obirent, superstitibus. Urbes quamvis promiscue omnes periculosa hæc lues funestaverit, in prædiis tamen insolentius videbatur debacchari. Corduba ad urbem sanctæ fidei iter faciens turmas Hispanorum equitantium obvias habui, quorum quisque cornu bubulum ægrotantium lotio plenum manu gestabat, ut scilicet medicastri cordubenses (Medico enim, vere medico provincia caret) illo inspecto opportuna norint medicamenta designare. Incredibile enim, quantum fiduciæ in Lotii inspectione, contemplationeque collocet Hispanorum vulgus, quantumque fallatur.

CAPUT XXVI.

De Abiponum medicis, ac medicamentis.

Risum comprime, lector amice, dum medicum *Keebèt* honoris gratia ab Abiponibus appellari, audis. Idem enim vocabulum *Keebèt* malum dæmonem, medicum, augurem, maleficum præstigiatorem significat. Ex quo planum fit, quam late pateat apud illas gentes medici officium, & quantam rerum variarum cognitionem complectatur. Dæmonem *Keebèt*, vel *Aharaigichi* ab Abiponibus dici; Avum quoque suum *Groáperikie'* svavissime compellari, dudum memoravi. Illum morborum juxta, ac sanitatis authorem jam metuunt, jam aliquomodo venerantur, & nescio, quid divinitatis ridiculæ habere somniant, etsi de ejus origine, natura, proprietatibus nihil prorsus noverint præterea, ut supra retuli. Medicos itaque suos Avi sui vicarios, ac interpretes colunt, ab Avo suo virtute morborum expultrice instructos credunt, atque adeo Avi sui honorifico nomine *Keebèt* dignantur. Enimvero istos humanis viribus majora posse, supra cæteros sapere, sibi persvadent, quippe quibus familiare cum Avo illo suo colloquium indulgeri, morbi cujuslibet & profligandi, & si lubuerit, accersendi, pluviæ, procellæ pro arbitrio ciendæ, manium ad futura rescíscenda evocandorum, in feras semet transformandi potestatem, rerum absentium, ac futu-

futurarum ſcientiam ineſſe, pervicaciter contendunt. Tam inſanis cæcati opinionibus medicos ſuos ceu Divinos quosdam homines, ceu terreſtres Deos verentur maximopere, ac reverentur. Qua quidem re a veterum moribus, & exemplis non abludunt. Nam

Unus homo medicus multis æquandus honore eſt. Homerus Iliade λ canit. Hippocrati, ſi lampridio fides, aram poſuere antiqui cum epigraphe: *Deo vitæ.* Chironem, Machaona, Podalirium, Hippocratem delubris, divinisque honoribus cultos olim, Cælius, Pliniusque teſtantur. Æſculapium Deorum numero adſcripſere, quod Hippolytum, & Androgeum Minois filium per invidiam ab Athenienſibus trucidatum ad vitam (ut quidem fabulabantur) revocarit, id quod Q. ſerenus ſamonicus annuit his verſibus:

Tuque potens artis, reduces qui tradere vitas
Noſti, atque in Cœlum manes revocare ſepultos,
Qui colis Ægæas, qui Pergama, quique Epidaurum.

Antoninus Pius Cæſar, poſtquam Gemmas duodecim novem millionibus æſtimatas pro lethali morbo depellendo fruſtra hauſiſſet, a Galeno denique percuratus eſt feliciter. Illi ſoſpes jam Cæſar diadema ſuum dono dederat, adjecta hac ſententia: *Antoninus Imperator Romanorum: Galenus morborum.* Sic Radau in Oratore extempor. P. 2. C. 7. folio mihi 329. Alii Galenum anagrammate *Angelum*; *Medicorum Sigillum* dixere alii, quaſi ultimam medicinæ manum impoſuiſſet.

Ut

Ut medicos Divos, medicinas rem Divinam compellarunt antiqui. Philon illuſtris medicus medicamenta, quæ paraverat, alexipharmaca, exquiſitiſſimaque vocaverat *Manus Deorum* θεῶν χεῖρας. Et in Avicennæ monumentis medicaminis genus aliquod: *Donum Dei*, inſcribitur. Et vero jure tanti facienda eſt medicina, quanti ſanitas. Hæc quantiscunque cræſi opibus potior, fluxarumque, quæ in homines cadunt, felicitatum maxima cenſetur. Medicina equidem valetudinem afflictam reſtituit, turbatam recreat, animam ægri jam jam fugientem ſiſtit, atque remoratur. Neque obeſt, eam quandoque morborum eſſe pertinaciam, ut medicamentorum omnium virtutem, medicorum artem excedant. Hinc falluntur, qui in illorum eſſe arbitrio putant, ſemper curetur ut æger. Qui, dum medico venam explorandam porrigunt, & imperato medicamine vix dum uſi, morbum protinus a corpore propulſatum volunt. Si cui medicorum fas ſit dicere: *Veni. Vidi. Vici.* Illum profecto præ ipſo Julio Cæſare ſuſpiciendum autumarem; Hic equidem aſpectabili ſemper cum hoſte congreſſus eſt; Illis plerumque latente cum morbo pugnandum, quem nec oculis cernere, nec conjectura quidem, vel acutiſſimæ mentis ſagacitate deprehendere interdum liceat. Quodſi antiquitas aris dignos putavit medicos ſuos, ætas noſtra potiori jure in Fernelium, Cardanum, Mercurialem, Falopium, Veſalium, Geſnerum, Sydenhsimium, magnum Boerhavium, ejusque commentatione Clariſſimum Van Switenium, aliosque non paucos, ceu terreſtria quædam Numia oculos defigit, qui toto vertice, & humeris extra priſcos illos eminent, & dum ſaluberrimæ artis inventiones a majoribus relictas novis indies acceſſionibus locupletarunt, mortales omnes novo ſibi, immortalique beneficio obſtrin-

ſtrinxere. Quam lubens ego hic in laudes recentiorum quorundam, quibus urbs hæc noſtra, quibus Europa cætera plaudit hodie, excurrerem, niſi antiquitas in ſuis celebrandis totam, quanta eſt, Rhetoricam dudum conſumpſiſſet.

Verum quanta ego admiratione proſequendos Europæ medicos, tanto riſu explodendos, aſpernandosque Abiponum medicaſtros palam pronuncio, qui ſcientiæ medicæ fundum, neque ſuperficiem quidem viderint, qui ejus ſcholam ne a limine quidem ſalutaverint, qui pharmaceutica, botanica, anatomica, prognoſtica artis myſteria ne extimis quidem labris unquam delibarint. Et hos miſerum barbarorum vulgus medicos, ſervatores σωτηρας ſuos adorat. Re enim ipſa veteratores, verſipellesque illos in cute novimus, dignos ſane, qui ab iratiſſimo Galeno vapulent quotidie, ab Æſculapio, Hippocrate, totoque medicorum cœtu liberaliter conſpuantur. Fraudes equidem pro medicinis, verba pro rebus male credulis Abiponibus obtrudunt, perindeque ignorant morbos ab ægris depellere corporibus, ac ſanis accerſere, tam in pharmaco parando, quam in veneficio inferendo rudes, dolos nectere, quam dolores minuere, ſcientiores. Incredibile tamen, quantum barbari avitæ ſuperſtitionis erroribus a pueritia imbuti in præſtigiatorum ſuorum peritia acquieſcant, dum ægrotaverint, quantum, ne magico illorum carmine afflati ægrotent, ſibi usque metuant. Verum enimvero & fiducia, & metu indignos hos nebulones palam, ſemperque affirmavimus; Quin ad hanc veritatem audientium animis altius imprimendam, ut, quam jactant, corporibus nocendi ſcientiam omnem adverſus nos libere expromerent, ultro, impuneque præſtigiatores omnes, ac præſtigiatrices provocavimus. Hos e fraudi-

bus,

bus, ac fallaciis confutos veteratores ut oculis fugiant, auribus respuant, recordatione ipsa perhorrescant, lingua mordaci explodant, ac toto animo aspernentur, Abipones nostros iterum, iterumque adhortati sumus. Ad quem contemptum vindicandum scientia nocendi, si quæ in illis resedisset, omni adversus nos usi fuissent utique præstigiatores, bipedum omnium nequissimi.

Apud Ægyptios, Herodoto teste L. 2. folio mihi 134. morbis singulis singuli medici præfuerunt, ut eo certius ægrotantibus prosint: uni enim scientiæ intentos facilius illa excellere posse, quam pluribus occupatos, existimarunt. Apud Abiponenses medicos id singulare, quod omne morborum genus, (interni sint, an externi, nihil interest) singuli eadem prorsus curent medicina. Videamus illorum methodum, ac rideamus. Male affectam corporis partem applicatis fortiter labiis exsugunt, postque singulos suctus pinguissime exspuunt. Per intervalla hausto ex intimo pectore spiritu, buccis turgentibus perflant illam, quæ dolet, corporis regionem. Flamen illud, illeque suctus alternis repetuntur. Si totum lanqueat corpus, si maligno calore æstuet, si variolis, vel morbillis tentari incipiat, quaterni, sæpe quini medici, Harpyarum instar, advolant ad totum corpus eodem tempore exsugendum, perflandumque ita, ut hic brachio, ille lateri, tertius, quartusque pedibus labia affigat sua. Totidem hirudines ex ægro suspensas crederes. Si uber recusat infans, si lacrymatur, in promptu remedium est, a matre præstigiatori traditur liberaliter sugendus. Ipsissima hæc ægris medendi methodus apud omnes, quod sciam, Paraquariæ, Brasiliæque Barbaros usu recepta est, & apud Indos Galibes quoque viget, uti Pater Joannes Gril-

let

let noſter in ſuo per provinciam Guianam itinere refert. Neque auſim dubitare, hunc ſugendi morem a plerisque Americæ populis civitate donatum, & aperte ſuperſtitioſum cenſendum eſſe, cum a ſolis illis præſtigiatoribus, ſuperſtitionis magiſtris exerceatur, in quorum labiis duntaxat medicam latere virtutem rudes Indi arbitrantur. Haud equidem mihi perſvaſerim, ejusmodi ſuctum, afflatumque naturali quadam vi ad ſalutem corporum ſeu ſervandam, ſeu reſtituendam promiſcue quidquam conferre. Arbitrium penes medicos Europæos eſto.

Novi, pus ex ulcere, ſanguinem ex vulnere ſugi utiliter, corruptionis ſecuturæ materies ut exhauriatur. Cataplaſma ulceri applicatum quidni humorem depravatum extrahit, illoque humeſcit? Cucurbitulæ, vel hirudines carni affixæ noxii, ſuperfluique ſanguinis ſorbent portionem. Quoties digitum acu, vel cultello cruentamus, ſtillantem inde ſanguinem aut labiis exugere, aut manu exprimere, ſatagimus. Beſtiæ, Canes præprimis, vulnus ſeu proprium, ſeu alienum lingendo perſanant. Lingua illis pro pharmaco, quin præ quovis pharmacopoeo eſt. Icti a ſerpente Hiſpani, Indive Chriſtiani ab amico benevolo membrum læſum ſugi curant, ut ſuctu validiore lethale virus, antequam per artus diffundat ſe ſe, ocyus expungatur. Sugens, ne ſibi officiat, ori folium tabacæ immittit ſuo, ac ad ſuctus ſingulos exſpuit ſollicite, ne veneno, quo alium liberat, deglutito ſemet inficiat, interficiatque. Uſitatum ſæpius in ſubita trepidatione hoc remedium, novi; Sed quia ſemper cum aliquo ſugentis periculo conjunctum, non temere ſvadendum, niſi extrema neceſſitate urgente, dum medicaminis alterius haud eſt copia. Frequenter id uſuvenit per Americæ vaſtas ſoli-

tudi-

tudines iter agentibus, quæ ut ſerpentibus mortiferis ſcatent paſſim, ſic medicis, medicamentisque omnino deſtituuntur.

Apud priſcos Germanos matres filiorum, conjuges maritorum vulnera ſuxiſſe, Tacitus memorat: *Ad matres, ad conjuges Vulnera ferunt; Nec illæ numerare, aut exſugere plagas pavent.* Vulnusquoque Menelai a Machaone medico ſuctum fuiſſe, canit Homerus Iliade δ:

Sed poſtquam vidit Vulnus, quo inciderat amara ſagitta,

Sanguinem exſugens lenia medicamina ſciens

Inſperſit &c.

Quod ſi itaque Abipones vulnera, ulcera, ſerpentium ictus &c. Cuicunque demum mortalium exſugendos præberent, neutiquam illos criminandos putarem. Aſt enim ſuperſtitionis luculentæ convincuntur imprimis, quod a ſolis præſtigiatoribus id ſibi præſtari velint, quibus non a natura, neque ab arte, ſed ab avo illo ſuo medendi facultatem conceſſam ſtultiſſime credunt. Quamvis una ſibi perſvadeant, alterum alteri halitus, labiorumque ſalubritate, ac medendi efficacitate plurimum præſtare. Dum brachium meum, ut dixi, barbarorum telo transverberatum, ut illud a Pazanoirin Abipone, præ reliquis eminente exſugi protinus ſinerem, turmatim in foro accurentes fœminæ mihi ſvaſerant, curationem celerrimam pleno ore pollicentes. Audivi conſilium ſtupidum, riſi, &, ne illarum ſuperſtitionibus tribuere aliquid videar, cum indignatione rejeci. Alterum, ex quo damnandus hic barbarorum ſuctus, caput eſt, quod illum univerſale adverſus quosvis morbos remedium,

dium, Panaceam, &, ut vocant, alexipharmacon existiment. Novi in Paraquaria Europæum rei medicæ plerisque aliis scientiorem, qui, quod herbam fumariam bibendam ægris pluribus feliciter imperarit, Doctor fumaria ab Hispanis appellabatur. Indum, infirmorum curatorem, in Quaranico oppido S. Thomæ habui, qui, qualem medicinam huic, illive ægro porrexerit? interrogatus mihi semper respondit: Verbenam illi præbui, mi Pater. Expertus is, hanc herbam uni quondam profuisse, quibuscunque infirmis, quocunque morbo laborantibus, sine discrimine porrigendam, profuturamque stupide putavit. Hoc stupidiores Abipones, sugendo, sufflandoque exterminari e corpore credunt, quidquid demum sit, quod dolorem, calorem, tumorem, molestiamve adfert ægrotanti. Hanc rudium credulitatem fraudibus identidem novis alunt præstigiatores callidi, confirmantque. Dum enim ægro sugendo se accingunt, spinas, scarabæos, vermes &c. ori suo clanculum injiciunt, & istas quisquilias post suctum quemlibet exspuentes: en, inquiunt ægro, ægritudinis tuæ causam, simul vermem, spinamve ore ejectam intento indice commonstrant. Quo viso in spem erigitur infirmus, & mærore absterso revivis cit aliquando, dum exulare jam, a quo cruciabatur, pessimum hospitem opinatur. Opinio sola ut ægritudinis sæpe, sic sanitatis origo sæpissime fuit. Tantum corpus in animum, animus in corpus potest. Luce meridiana id clarius, experimentis quotidianis, trecentis historiis confirmatum. Adhæc nil mirum est, si post repetitos diebus aliquot suctus dolor tandem extinquatur, qui sponte sua, soliusque temporis beneficio, nulla etiam medicina accedente, erat desiturus. Haud inficior, Abipones plerumque convalescere, nativo id debent robori, non præstigiatoris, qui eos suxerat, operæ. Isti tamen,

ceu Soteri, ac Archiatro ſuo, inſtauratæ valetudinis gloriam, mercedemque religioſiſſime tribuunt, equos, arma, penulas, ſphærulas vitreas, & ſiquid præterea in convaleſcentium eſt penu. Neque grati animi inſtinctu, metu potius id factitant. Ea ſiquidem illorum mentibus inſidet perſvaſio: Morbum ſuctu depulſum ſubito rediturum, ſuos niſi medicos pro viribus confeſtim remunerentur, fuſtuario, quam præmio digniores, quippe non raro nocentiſſimos. Vidimus eheu toties infantes teneros exangues, pallidos, languidos, morituriente, & paulo poſt mortuos, poſtquam illi veteratores repetitis per diem ſuctibus illorum corpuſcula defatigarunt, melius dixero, exhauſerunt. Anticyram profecto mittendæ matres Barbaræ, quæ poſt tot ſuorum funera nondum ſapuere.

Apud barbariſſimos Payaquas lege publica cautum, ſancitumque e majorum inſtituto eſt, ut, ſiquis ſuorum morbo extinquatur, medicus (Pay dicitur) qui ejus curationem ſuſcepit, univerſi populi telis illico trucidetur. Et vero, ut ſunt vindictæ ſtudioſiſſimi, crudeliſſimæ legi crudeliter obediunt omnes. In urbe Aſſumptionis, ubi tunc verſabar, ad Paraquayi fluminis litora infelix medicus infirmi mortem morte ſua luit, haſtis, ſagittisque contubernalium ſuorum miſere confectus. Quod ſi atrox Payaquarum lex apud Abipones quoque extaret, næ! pauciores illorum Galeni ſe ſe nepotes mentirentur; Recuſarent enimvero, formidarentque periculoſam medicandi profeſſionem, medicique fungorum inſtar una nocte creſcere iſtic deſinerent. Certiſſimum equidem mihi, in ſingulis Abiponum contuberniis infirmis plures ſemper medicos numerari, qui nullo famæ, vitæque periculo, lucro utique certiſſimo ægrotantium lectulos obſident, corpora illorum, ac vires nullo morbi diſcri-

ſcrimine exſugunt. De ægri periculo interrogati, lætiſſima quæque ominantur. Si prognoſticis contraria eveniant, ſi æger occumbat, in promptu excuſatio eſt: Morbum lethalem fuiſſe. Venefica alterius arte virtutem medicinæ ſuæ eſſe impeditam, ſuperatamve. Et hac ſtatur ſententia. Nefas ſit Præſtigiatoris excuſationes in dubium revocare.

Quamvis ille præſtigiatorum ſuctus præcipuum ſit apud Abipones medicamentum, & fere unicum, habent tamen aliquas, ut ſomniantes de rebus habere ſolent, de remediis noſtris ideas. Interdum, fatigatos æſtu ſolis, vel calore maligno accenſos ſe dum perſentiſcunt, aliquid ſanguinis ſibi detrahunt cultro quocunque vel brachio, vel ſuræ infixo. ſunt, qui ſpina piſcis (Raya is dicitur ab Hiſpano: *Epáraňik* ab Abipone) pro ſcalpello phlebotomo uſi, venam non infeliciter ſecant. Herbarum ſalutarium, quarum incredibilis iſtic multitudo, virtusque multiplex, vix nomina aliquot callent, videri tamen appetunt myſteriorum naturæ ſcientiſſimi. Hinc non tam ſanitatis alienæ, quam famæ ſuæ ſtudio ægrotantibus hæc, illave arborum folia, plantæ parum cognitæ radiculam pro medicamine propinant aliquando, cui pharmacopœus tuto inſcribat: *Quid pro quo*, cum plerumque ejus naturæ ſint ejusmodi remedia, ut obeſſe queant certius, quam prodeſſe. Moleſto itinere defunctus in conceptionis oppido invaletudine tentabar aliqua. Adeſt vetula primi ob ſcientiam medicam nominis. Radicem vaſtam atri coloris mihi porrigit, ſalutis anchoram fore ſpondet, ſi in aqua percoctam ſumpſero. Exhorrui ſane ad talem medicinam, ſed vehementius ad medicam, Megæræ imaginem.

Ut Abiponenſis lingua caret, ſic Quaranica abundat plantarum ſalubrium vocabulis, earumque uſum præclare nôrunt Quaraniorum non pauci. In oppido S. Joachimi ſane Indum Ignatium Yaricà infirmorum curatorem per octennium novi, ac ut rem fatear, non potui non demirari ejus dexteritatem, felicitatemque. Is equidem oſſa brachii, pediſve confracta, ſuo loco repoſita, tabellis arundineis firmata quatuor herbularum ope breviſſimo tempore ſæpius perſanavit, nullo prorſus claudicationis vitio remanente. Eſt & hederæ genus in ſylvis Americanis obvium, quod funis inſtar, digiti minimi magnitudine, colore ſubviridi ad fuſcum accedente, arboribus adnaſcitur, varioque truncum complectens flexu ſerpit. Ab Hiſpanis ſuelda con ſuelda dicitur; In Europa num proſtet, quo nomine appelletur, doleo, me neſcire, poſt longam rei indagationem. Planta hæc minutim conciſa, cum aqua excocta, linteoli ope ſæpius applicata crus, brachiumve comminutum prompte conſolidat, feliciterque. Complures me vidente hoc remedio perſanati fidem rei faciunt certiſſimam. In urbe correntina matronæ Hiſpanæ caniculi pelle recenti recens fractum pedem circumligant, & remediis aliis omnibus excluſis perfectiſſime ſanant. Medicamentorum, quæ ad purgandam alvum, ad ciendos ſudores, ad bilem abigendam, aut ad humores noxios depellendos faciunt, nullus omnino apud Abipones uſus eſt, cognitio nulla. Clyſteris ne mentionem quidem ferunt. In S. Hieronymi oppido Hiſpanus miles e medicaſtrorum numero quiſpiam rogatus a Patre Brigniel, ut Abiponi ægrotanti mederetur, enemate opus eſſe, pronunciavit. Syringem admoveri vix ſenſit ægrotans, e lecto proſiliit furibundus, arreptaque haſta ſtraviſſet militem medicum, nî fuga

cele-

celerrima ſibi conſuluiſſet. Terrore ſubito in furias converſo Hiſpanus ſenex nobis cachinnantibus, quidquid uſquam conviciorum, ac maledictorum eſt, in ægrum ingratum evomuit; Ex inferno potius, ajebat, evocate, Patres mei, dæmoniorum peſſimum ad hanc beſtiam curandam. Hem! medicinam offerenti mihi necem intentat barbarus, ſyringi haſtam opponit. Armis tam imparibus ecquis certamen ineat? Hæc, & plura alia ille. Neque a Quaraniis, ut Clyſtere utantur infirmi, unquam impetrabis. Tabacæ Hiſpanicæ, quæ Hiſpali conficitur, pulveres, quos naribus injicimus Europæi, Indi paſſim auribus medicandis inferciunt, dum eas ſcilicet Cœli pluvii, ventive acrioris injuria male affectas advertunt. Quamvis ex iisdem tabacæ pulveribus per nares attractis voluptatem experiri ſe ſe, minime inficientur. Et vero a nobis identidem eos petiere. Concubia ſæpe nocte adfuerant Abipones, mihique expergefacto: *Da mihi tabacam Tachkauè yabogèg*, Clamitabant. Surrexi. Dedi, quod petiere. Infantium inſtar ſunt barbari, & fiducia erga patrem, & audacia ad petendum, quidquid in mentem venerit, pleniſſimi. Si repulſam ferant, irritantur, beneficiis dein pluribus vix tandem placabiles.

Præſtigiatores, ut morborum dominium, donumque ſanitatis penes ſe eſſe, ſignificent, verba ſola, medicamentis omnibus excluſis, ad ægros quosvis perſanandos ſufficere, magnifica oſtentatione affirmant. Ad infirmi lectulum confidentes arbitraria carmina, ceu magicum quid, decantant jam ad Avum ſuum dæmonem ægro placandum, jam ad manes ex inferis evocandos, quorum opera infirmandas, exterminandasque ſpondent quantascunque infirmitates. Hinc, etſi ſuperos flectere nequeant,

Acheronta movere posse miris artificiis, veteratores isti a stolido vulgo creduntur. Sed venia digni videntur creduli barbari, cum viri cætera sapientes medicam virtutem solis verbis concesserint. Plinius l. 28. c. 2. refert ex Homero: Ulyssem sauciatæ fœminæ sanguinem carmine inhibuisse Theophrastus ischiacos: Varro podagricos: Cato membris luxatos versiculis quibusdam juvari, affirmant. Quid quod Theophrastus Paracelsus l. 1. phil. Sagac. c. 6. ausus sit dicere: Naturam vires suas in verba imponere, sicut in herbas, & radices. Ast apage aniles fabulas, nugas superstitiosas, nigro dudum notatas calculo, papyro candida indignas. Abiponum medici, tot fallaciarum architecti, quam parum suis ipsi artibus confidant, tum denique palam faciunt, cum morbo correpti non a collegis suis, sui similibus, sed a quovis potius Europæo Consilium, remediumque sibi deposcunt. Malunt ægrotantes medicæ artis, quam sani jactabant, ignorantiam fateri, quam morbo succumbere Ea tempestate, qua inter Abipones egeram, medicæ artis fama præ cæteris claruit Pariekaikin, præstigiatorum princeps. Hic Pleuritidis quadam specie tentatus, immodicisque caloribus æstuans non Collegarum suorum aliquem, me potius, ut sibi mederer, accersivit. Pulveres cornucervi calcinati cum aqua hordei cocta illi sanitatem, mihi apud Abipones contubernales medici famam attulere. Sed maluissem esse, quam putari medicus. Nulla equidem re citius barbarorum tibi devincies animos, quam medendi dexteritate. Putant nil ignorare illum, qui morborum naturas, remediaque noverit. Fidem habebunt in rebus, quæ ad religionem pertinent, atque adeo morigeros se, ac faciles præbebunt. Divinus ipse servator, cúm in terris ageret, in sui admirationem

ra-

rapuit mortales, quod non animis duntaxat, ſed & corporibus humanis mederetur. Illius imitatione quotquot Barbarorum inſtitutioni operam dedimus, medicorum, Chirurgorum, pharmacopœorum penuriam maxima, qua potuimus, virium contentione, remediis parabilibus, librorum medicorum lectione, aliis quibusque induſtriis ſupplere conabamur, ut miſeram illam, avitisque ſuperſtionibus cæcatam plebeculam a præſtigiatorum ſinu abſtraheremus, quos religionis ſanctæ præcipuos obices ubique gentium ſumus experti.

Incredibilis eſt, quæ Quaranicis in oppidis gerebatur, ægrotantium cura. Pleraque illorum quatuor, aliqua ſex, vel ſeptem incolarum millia numerant. Pro multitudine, vel paucitate iſtorum plures, paucioresve Indi ægris curandis deſignantur, herbarum, remediorumque familiarium cognitione aliqua imbuti, quamvis iis haud liceat Miſſionario non conſulto, arbitrarias medicinas adhibere. Baculum altum cruce inſignitum manu ſemper circumferunt, & Curuzuyà ſeu crucem gerentes vocantur propterea. Illorum eſt ſub auroram per plateas unicuique aſſignatas totum obire oppidum, ægros luſtrare, & ſi quis recens in morbum inciderit, reſciſcere. De his omnibus Miſſionarius, antequam ſole exoriente præſentibus omnibus ſacrificet, edocetur, & quibus remediis utendum, quæ Sacramenta cuivis miniſtranda, ſignificat. Ipſo meridie ex illius culina Caro elixa cum pane ex flore farinæ triticeæ candidiſſimo ad ægrorum ſingulorum (Triginta interdum, aliquando plures, vel pauciores decumbunt) domos mittitur. Ægri ſinguli ſemel quotidie, & pro morbi periculo ſæpius viſitantur a Miſſionario, quem bini minimum pueri ſemper comitari

ſolent. Nihil prorſus, quod ægrorum ſeu animis, ſeu corporibus conduceret, deſiderari paſſi ſumus unquam. Quibus induſtriis id ſane impetratum, ut plurimi convaleſcerent; Cæteri vero, quorum morbus medicinæ vires ſuperaverat, ſacris ad beatam mortem præſidiis tempeſtive muniti, nobisque præſentibus vivere deſinerent. Explodendus itaque hoc rurſus loco notiſſimus Bougainvillius, qui in urbe Boni aeris per homines vel nobis malevolos, vel ignorantes miſere toties circumventus ſcribere auſus eſt: Quaranios pleroſque morbo, in quem inciderint, extingui, pauciſſimos e morbo recreari. De variolis, morbillisque duntaxat id veriſſime affirmaſſet. Cauſas alio jam Capite adnotavi. Ad hæc noveris, per Quaraniorum oppida ternos, certe binos fratres noſtros laicos Chirurgos Europæos, in re medica commode verſatos non Miſſionariis modo, ſed & Indis ægrotantibus utiliſſimam ſæpe operam navaſſe, quamvis ob longiſſima terrarum intervalla, quibus oppida fere ſejunguntur, haud ſemper ope ſua indigentibus præſto eſſe potuerunt.

In nos itaque, quorum intererat Indorum animos curare, corporum ægrorum curatio recidit. Et vero propitio Numini in acceptis referendum ſemper putavimus, ſi quando remediis minimis maximi ſæpe morbi profligabantur; curtiſſima enim ſupellectili pharmaceutica noſtræ ædes pollebant. Sulphur, alumen, ſal, tabaca, ſaccharum, piper varium, adeps gallinarum, tigridum, boum, cervorum, ovium &c pulvis pyrius quam multiplicem utilitatem ægris præſtant! vix abit dies, quo iſtorum aliquid ab Indis non peteretur. In promptu eſſe oportet tres cucurbitas totidem unguentis inſtructas. Viride eſt unum (Mohâ hobĩ dicitur) ex ſebo, &

tri-

triginta aliquot herbis conflatum. Alterum nigrum (Moha hû) flavum tertium (Mohâ yù) Quodlibet horum, ut ex alia conſtat materia, ſic aliis, aliisque, quos Indi experientia nôrunt, uſibus deſtinatur. Herbas item ſaluberrimas, quæ vel ſponte ſua paſſim naſcuntur, vel ab Europæis plantatæ, in promptu habemus, quales ſunt: Borrago plantago, fumaria, verbena, ſalvia, Malva, Bugloſſum, virga aurea, origanum, ſeu Mayorana, mentha, abſynthium, nardus, &c. &c. Roriſmarini, rutæ, artemiſiæ ſylvas apud Quaranios, deprehendas. His adde arborum nobiliſſimarum jam cortices medica virtute inſignes, & Europæis in pharmacopoliis pretioſiſſimos. Quis neſcit, lignum ſanctum, Quajacan, corticem Peruvianum, Quina Quina dictum ex arbore, quam Indi noſtri Chiquiti pizòès vocant, Rhabarbarum (Alexandrino perſimile) ſaſſafràs, ſarſaparillam, Mechoacan, jalapam, tamarindos, cupaiba, aliaque multi uſus balſama, zingiber, ſanguinem draconis, & quæ non alia magni nominis medicamenta in Paraquaria ſeu naſci, ſeu parari. Taceo, varia lapidum, quos piedras Bezàr Hiſpani vocant, quique ſeu in huanacorum, ſeu in alcium ſtomachis paſſim reperiuntur. Tot piſces, tot amphibia, tot feræ campeſtres, ſylveſtresque medicos in uſus aliqua ſui parte egregie Americanis ſerviunt. Aguaràquazù canis aquatilis auri inſtar flaveſcens nigra per medium tergi linea diſtincta pellis corpori applicata dolores iſchiadicos (vulgò ſciaticos) mirifice ſedat, & adverſus ventris tormina, me teſte, ingens adfert levamen, præſertim colicam patientibus. Pellem ejuſmodi ob perſpectas ejus utilitates ex America attuli, ſed in navi furto mihi ſublatam doleo etiamnum. In flumine Parana inter Quaranica oppida Virginis Lauretanæ, & Corporis Chriſti piſ-

cis (nomen memoria excidit) reperitur, cujus offiſculum quoddam in pulveres redactum, & cum aqua potatum ſtranguria laborantibus prompte opitulatur, quibus alias crocus noſter Europæus (quantum pollice, & indice capi poſſit) vino coctus, hauſtusque præſentiſſimum remedium, me ſvaſore, ſpectatoreque ſæpiſſime fuit. Quin & feræ cæterum noxiæ medicinas ſuppeditant Americanis. Attingam paucula. Cataplaſma ex crocodili adipe confectum plagas perſanat. Ejusdem ſtomachus ſiccatus, & in pulveres comminutus, ſi bibatur cum aqua, calculi dolores comprimere dicitur. Crocodili dentem e collo, vel brachio ſuſpenſum paſſim geſtant & Hiſpani, & Indi, creduntque ſe hoc præſidio contra ſerpentium ictus defendi. Icti a ſerpente pulverem e crocodili dente cultro abradunt, & aquæ immiſtum bibunt. Ab Indis id factitari ipſus vidi, quamvis certiora, præſentioraque remedia vulneratis a ſerpente alio loco patefaciam. Lapilli, qui in crocodili ſtomacho inveniuntur, in pulveres contriti, potatique dolores calculi, qui in renibus ſentiuntur, levant. Tigridum ungues calcinati, cum alumine pariter calcinato, permixti, & in pulveres ſoluti ſi denti exeſo, moleſtoque imponantur, dolorem, ut jam alias dixeram, omnem extinguunt penitus. Et mea, & plurimorum Europæorum experientia probatum ſane remedium. Adeps tigrinus momento vermes expellit ex capite, vel quavis corporis parte, ſi illi loco, unde egredi ob multitudinem, locique anguſtias tentant, illinatur. Muſcæ vulgares, ac domeſticæ, hujatibus nil omnino diſſimiles, ſæpe per interdiu dormientium nares, buccamve in caput irrepunt, ibique excremento ſuo, veluti ſeminio quodam producunt vermes in medio obeſos, utrinque in acumen rubrum deſinentes, cætera candidos; longitudine-

ne annularis digiti unguem æquant, circulisque, veluti annulis quibusdam ambiuntur. Paucas intra horas plus, quam vel comprehendi, vel credi poſſit, augeſcunt numero, partemque, quam inſederant, capitis corrodunt. Multitudine nimia conferti jam, compreſſique, & ſeu cavernæ ſuæ anguſtias pertæſi, ſeu deficiente ſenſim alimento exitum moliuntur, tentantque, qua qua poſſint, erumpere. In extima cute punctulum rubicundum eruptionis, quam cupiunt indicium eſt. Non ipſum illud punctulum, ſed ejus peripheria ungenda eſt adipe tigrino, cujus fætorem teterrimum haud ferentes vermes duplicata virium contentione oſſa, carnemque obſtantem pertundunt denique, &, qua facta via, erumpunt ad unum omnes. Obſtupui profecto, ſteteruntque comæ, meisque vix fidem habui oculis, dum ex capite Indi Gregorii Piripoti in S. Joachimi oppido tantum Vermium acervum prodiiſſe conſpexi, quos petaſus meus neutiquam caperet; Necdum aſſequor, qua ratione hominis caput tantæ vermium multitudini ſeu recipiendæ, ſeu alendæ par fuerit. Ex hoc tamen incredibilem tantillo in ſpatio compreſſionem vermium licet arguere. In ſummitate, ſeu faſtigio naſi ſuperciliis interjecto portam ſibi cavarunt, ſed adeo anguſtam, ut non niſi ſingulis exitus pateret nunquam interrupto ordine ſibi avide ſuccedentibus. Vulnus tenue protinus coaluit, carnis tamen modico hiatu cicatricis inſtar remanente. Indus quoque edaciſſimorum hoſpitum exercitu innumerabili liberatus adipi tigrino, quo ſæpe alias, ſemperque pari felicitate alios perſanavi, recuperatam valetudinem tribuere nil dubitavit. Sed audi majora. Illud tintinnabulum, quod ſerpens veneno mortifero pleniſſimus caudæ adnexum circumfert, nobile medicamen eſt. In pulveres enim redactum dentibusque exeſis inje-

ctum

ctum illos emollit, ut ſponte ſua citra omnem doloris ſenſum ſenſim excidant. In aliis quoque morbis locum habet. En! ut nocentiſſimæ cæterum, venenatæque belluæ ægrotantibus Americanis non raro medentur. Thomas Falconer noſter, in Anglia natus, quem medica, herhariaque ſcientia eminentem & Paraquaria & Hiſpania ſuſpexit, faſſus eſt: Pharmacopoliis Europæis facile, lubenterque carere Paraquarios, quibus ipſa natura plantas, herbas, radices, arbores ſaluberrimas ſuppeditat, morbis quibuscunque profligandis pares.

Ut & morborum & plantarum medicarum naturam diſceremus, medicorum, herbariorumque libros impigre conſuluimus. Bibliothecæ medicæ inſtar nobis omnibus fuit *Florilegium medicum*, Caſtellano ſermone ſcriptum, in Hiſpania iterum iterumque typis datum, medicorum Matritenſium laudibus egregiis, & publica utilitate mirifice commendatum, atque adeo per Americam, qua Hiſpanicæ ditionis eſt, ubique expetitum. Joannes Steinheffer ſileſius, frater noſter, Chirurgiæ peritiſſimus, medicorum voluminum lectione, & multi temporis experientia, Dum in Novi Regni Granatenſis coloniis Indicis verſaretur ægrorum curator, perpolitus librum hunc vaſtæ molis Miſſionariorum commodo elucubratus eſt, ut hoc ſubſidio adjuti curandis Indis ægrotantibus aliquantulum aptarentur, cum per immenſa terrarum ſpatia medici, pharmacopæi, Chirurgi, ne umbram quidem deprehendas. Iſtorum ſupplementum illud profecto volumen eſt, cum non modo morborum accuratam cognitionem, ſed & facilem medicamentorum præparationem ex iis, quæ in America ſuppetunt, rebus perdiligenter, & intento veluti digito commonſtret. Quibus induſtriis cum

uti-

utilem ægris operam identidem navaverimus; id denique impetravimus, ut Abipones, quoties invaletudo se illis insinuabat, neglectis illis suis præstigiatoribus spes suas omnes in nostra ope collocarent, nostraque medicamina superstitiosis illis quam longissime præferrent. Mihi diffidens, deque aliorum vita anxius nunquam præcipiti manu medicinam ægrotantibus obtrusi. Adversus aeris injurias ut defenderentur; A' noxiis escis, potibusque ut abstinerent, prima hæc mihi, ac princeps cura. Dapes salutares, quas potui, mea e penu præbui. Diæta nil proficiente medicamentum denique longo usu exploratum, quod si prodesset nihil, nihil certe obesset, porrexi. Nostra comitate, beneficentiaque deliniti ægrotantes barbari sacro se tingi latice patiebantur; Prius equidem, ut primum morbo tentati sunt, baptismi metu in sylvarum latebras vel refugerunt ipsi, vel a suis deportandos se curabant. Annis posterioribus summa voluntatum inclinatione, fiducia pari in nos propendebant plerique omnes, & si qua se medicina a nobis recreatos aliquando meminerant, eandem contubernalibus suis morbo ingruente adhibendam poposcere. Ex uno conjectura fit de cæteris. Fructus, figura ac dulcedine amygdalæ par in calidiori septentrionem versus Paraquaria nascitur, a Quaraniis Mandubiquazù, ab Hispanis Piñon del Paraquay, a medicis Ricinus Americanus, ficus infernalis, Nux cathartica appellatur, quod comestus simul vomitum ciet, simul alvum promptissime purgat. Primos, qui in Paraquariam olim venerant, Hispanos festive decepit. Dulcedine capti hunc fructum esitarunt avide, & quem cibum putarunt, maximo omnium risu medicamen experti sunt, quod armis duplicibus humanum oppugnat corpus, humoresque seu superfluos,

seu



ſeu noxios via duplici citra cunctationem expellere consvevit. Ejusmodi nuces ternæ, quaternæve Abiponibus, quibus purgatio neceſſaria videbatur, a nobis datæ ſunt. Luculentum ex earum uſu levamen nemo non capiebat. Inde factum, ut, quotquot ſtomachi gravitatem ſenſere, hanc ſibi medicinam a nobis ipſi flagitarent. Idem de aliis remediis ſentiendum. Priſci moris tenaces vetulæ paſſim fremuere, dum ſuas aliis medicinas riſui jam eſſe, quæſtusque ſui fontem exaruiſſe animadverterant. Præſtigiatores, qui ægrorum prius & corpora & facultates exſuxerant, ceu fuci inertes vulgo ſpernebantur.

Infinitus ſim, ſi cæteros, quibus Americani populi utuntur, medicandi ritus perſequar, quorum alii Europæorum riſum mereantur, indignationem, admirationemque alii. Srictim, veluti per tranſennam memorabo aliquos. Patagones, & qui Auſtrales Magallanici territorii plagas pervagantur, cæteri barbari ægrotantis corpus a malo dæmone inſideri, putant. Illorum medici tympana, in quibus terribiles viſu formæ depictæ, circumferunt; Hæc ægro aſſidentes, vociferatione adjecta, pulſant identidem, dæmonem de morbi genere vel conſulturi, vel ex ægri corpore ejecturi. Si quis morbo occumbat, illius cognati medicum diris modis inſectantur, ceu mortis authorem. Si quis optimatum Caziquiorumve moriatur, medicos omnes, ni fuga præcipiti dilabantur alio, contrucidant. Stulta commiſeratione ducti moribundos, necdum mortuos, ſepeliunt interdum. Horum aliquem adhuc ſpirantem e tumulo protraxit Pater Mathias Strobl, ultra decennium Auſtrales inter Barbaros verſatus. Mbayarum, ſeu Quaycurùs ferociſſima natio medicos ſuos

Nigie-

Nigienigis appellat. Cucurbita ingens fructuum variorum, ut manu exagitata sonitum edat, seminibus duris plena, umbella item ex fuscis struthionum plumis contexta illorum &, praecipua insignia, & artis medicae instrumenta sunt, quae quaquaversus, ut noscantur, circumferre manibus solent. Imperare mihi haud possum, ut Chiquitorum medicos taceam. Risu digna sunt, quae in historia Chiquitorum veteranus illorum Missionarius Joannes Patritius Fernandez scripsit. Praestigiator medicus aegri curationem jam jam aggressurus exquisitis dapibus, pullis, gallinis, perdicibus stomachum refercit suum, ut ad perflandum, sugendumque ejus corpus anhelitum & robustiorem, & salubriorem sibi procuret. Medico liberaliter epulante aegrotanti triticum turcicum insipidum, ac semi coctum objicitur. Si illud fastidiat, nemo mortalium est, qui ad cibum sumendum hortetur miserum, ut adeo inedia, quam morbus plures conficiat. Primo accessu trecentis interrogationibus aegrotantem medicus fatigat: Quibus in locis, quaerit ex illo, heri versatus es? Quas vias trivisti? Everso cantharo potum ex tritico turcico paratum fors temere humi fudisti? Quid? Si testudinis, cervi, apri, aut alterius ferae carnem canibus devorandam imprudenter objecisses? Fateatur horum aliquid aeger, bene est, reponit medicus, morbi causam tenemus. Illius ferae anima ad vindicandam injuriam corpus ingressa tuum te jam excruciat, eheu! Haec dolorum, quos sentis, origo est. Delphica hoc dictum ex tripode a barbaris putatur. Nec mora. Curationem orditur. Partem corporis afflictam exsugit iterum, iterumque, ac tertio. Mox triste Carmen deblaterans loci, ubi aeger decumbit, solum omne clava quatit, ut minitabundo strepitu perterrita ferae illius, cujus carnem cani objecit,

anima

anima ex ægroti corpore diſcedat. Stupide id a verſipelle medico ſpondetur, ſtupidius ab ægro expectatur, vivida tamen, quæ imaginario in remedio collocatur, ægri fiducia interdum obtinetur, morbo aliis de cauſis evaneſcente. Crudelior ægri curandi conſvetudo apud Chiquitos eosdem graſſabatur.

Uxorem ægrotantis mariti trucidarunt; Hanc, cur maritus decumbat, cauſam eſſe, rati. Hac e vivis ſublata illum protinus convaliturum, perperam credidere. Sæpe alias, quænam præſtigiatricum ægrotanti morbum accerſiverit, medicos conſulebant ſuos. Hi jam vindictæ, jam utilitatis ſuæ ſtudio abrepti illam, iſtamve, ut lubuit, ream pronunciarunt. Nec opus erat argumentis ad hoc probandum. Præſtigiatoris ſententia & oraculum & claſſicum genti credulæ fuit. Armati concurrunt undique ad miseram miſere necandam. Tales olim erant Chiquiti adhuc ſacrorum noſtrorum expertes. His noſtra dein ſub diſciplina imbuti tum ob virtutis chriſtianæ, bellicæque exempla, tum ob eximiam artium plurimarum cognitionem Hiſpanis admirationi dudum, & adverſus alios barbaros auxilio ſempere fuere. Rudes animulæ, quemadmodum noxii humoris intemperies in corpora poſſit influere, haud intellexerant, neque quantum alvi purgatio, ſanguinisve detractio ad reſtituendam valetudinem conferret, unquam perſpexere. Aſt noſtris aggregati coloniis, experimentoque ſuo convicti quotidie præſtigiatorum fallacias aſpernantur. Hac demum ratione mulierum ſecuritati cautum eſt, quarum vita ſeu marito, ſeu quocunque alio ægrotante pro medicorum verſipellium arbitratu identidem periclitabatur. Hactenus de morbis, medicis, & medicinis Abiponum; Jam, quæ mortis ratio, diſpiciendum.

CA-

CAPUT XXVII.

De ritibus, qui Abiponum mortem comitantur, qui consequuntur.

Mors mortalibus plerisque formidolosa: Abiponinibus universis formidolosissima. Mortis ne memoriam quidem ferunt, minus morientis aspectum. Hinc sicubi de cujuspiam vita conclamatum est, ex illis actutum ædibus aut fugiunt ultro contubernales, aut per remanentes ad ægri curationem vetulas fugantur, ne ex lugubri morientis spectaculo mœrorem animis haurirent, mortisque metu, dum dimicandum cum hostibus, vitæ discrimina posthac recusarent. Idcirco suis extorres contuberniis vel alieno in tentorio, vel sub dio, quod sæpius videram, noctes agunt complures. Cum rarissima sit apud istos naturali morte defungentium experientia, mortis jam jam imminentis prognostica ignorant. E tantilla cibi abstinentia, ex silentio ægri pertinaciore, vel insomnio vitæ occasum proximum animo præsagire, seque, suosque fallere consveverunt. Nam: *La' chig reet. La chig rkenne, la' yga' Jam non loquitur. Jam non comedit. Jam moritur*, idem his barbaris significare videtur. Ut primum de moribundo percrebrescit rumor, vetulæ seu propinquitate generis affines, seu medica arte conspicuæ ad ejus confluunt domum. Passis capillis, retractaque ab humeris veste decumbentis stipant latus. Hinc atque hinc longo ordine ejus circumsistunt le-

ctum. Dextra cucurbitam, fuum illud crepitaculum, continenter exagitant, & ad illius triftes modulos violento pedum motu, brachiorum jactatione, vocisque contentione maxima lamentantur. Quæ vel ætate, vel artis medicæ fama præcellit reliquas, morientis capiti proxima tympanum militare ingens, horrendum, horrendo cum murmure reboare facit identidem. Altera, rerum omnium, quæ ægro accidunt, fpeculatrix per intervalla corium bubulum, quo æger tegitur, removet, ejus vultum obfervat, & fi quidem fpirare adhuc videatur, aqua frigida liberaliter perfundit, quem in finem pelvis aqua plenus fub lecto collocatur. Hæc dum primum videram, ægrotantis fcilicet miferabar fortem, quem fi non morbi violentia, at certe intolerabili fœminarum ejulatu, tympanique perpetuo ftrepitu extinquendum metuebam, vel corii bubuli duriffimi pondere opprimendum. Noveris equidem totum, quantum eft, corpus a capite ad calcem bubula illa pelle velari, quæ tabulæ craffitudinem æquat, gravitatem fuperat non raro. Commiferationis obtentu tanta in animam agentes crudelitate utuntur, ne fcilicet illorum anguftias in extremo vitæ articulo videre, ne gemitus exaudire circumftantes fœminæ cogerentur. Sæviunt, ut fibi parcant. Affligunt, ne affligantur. Enimvero dum in noftram fe tradidere difciplinam, quamvis a nobis admoniti frequenter, rogatique Barbari a barbaris his ritibus ne latum quidem unguem difceffere, quod tamen progreffu temporis impetratum denique præfertim ab Abiponibus Riikahè; Nakaikötergehe enim Cerimoniarum veterum multo funt tenaciores.

Nifi moribundi refpiratio, ut follis in Vulcani officina, eminus exaudiatur; Si quando ejus anheli-

tus

tus vel tantiſper interquieſcat, jam animam exhalaſſe miſerum, ſtentoria voce proclamant. Magni fiunt undique concurſus. Omnium ore repetitur: *Chitkae-ka. Lañaná Non eſt amplius. Mortuus eſt.* Confeſtim quotquot nuptæ in oppido mulieres, vel viduæ eo, quo prius dixi, habitu conveniunt ad commune lamentum. Plangore incondito, cucurbitarum crepitu, ſtrepituque ollarum, quas damularum pelle obductas ceu tympana minora pulſant, dum complent forum longo ordine procedentes, extortisque lacrymis ſe fatigant, ſæpe repentina perſonat vociferatio, quæ illum, qui mortuus lugetur, revixiſſe nunciat. Feſtiva exclamatione: *La natatéuge jam revixit*, omnium ora, auresque occupante, lugubris fœminarum ululatus conquieſcit ſubito, quarum aliæ domum, aliæ ad ægrum in vitæ, mortisque confinio verſantem properant, illumque ferali ejulatu tamdiu excruciant, dum denique e vivis exturbent. Primum a morte Princepsque circumſtantibus negotium eſt, vita functi cor, linguamque radicitus evellere, cum aqua ad ignem coquere, canique obvio devoranda objicere, ut & ille, qui mortis author fuerit, quamprimum moriatur. Id ſuperius jam expoſui. Cadaver adhuc calens more patrio veſtitum, pelle bubula circumvolutum loris coriaceis conſtringitur. Caput ſingulari ſtrophio, vel quacunque, quæ ad manum eſt, lacinia obnubunt; Quem morem apud Hebræos viguiſſe tum ex hiſtoria lazari a ſervatore ad vitam revocati, tum aliunde liquet. Quaranicis Chriſtianis etiamnum ſolenne eſt, eodem, quo cadaver, linteo caput velare haud aliam ob cauſam, quam ne patens omnium oculis demortui facies novum ſpectantium animis mærorem offundat, triſtemque illius, qui aperto in ſarcophago ad tumulum effertur, refricet recordationem. Ut morientem ſpectare, ſic

mortuum domi tolerare recuſant feri Abipones. Nusquam tanta cum feſtinatione dapes ex culina ad menſam, ne per cunctationem bajulorum frigeſcant, adferuntur, quanta illi ad ſepulchrum efferunt ſuorum cadavera; Hæc adhuc tepentia præparatis ad id equis deportantur illico humanda. Prævolant pernicibus bucephalis, quæ tumulum cavent, funusque lamentis illuſtrent, lectæ mulieres. Quid ſi tibi in mentem veniat cogitare: Abiponum plures ſepeliri, quia mortui putantur, re tamen ipſa mori, quia ſepeliuntur. Miſeros illos bubula pelle, qua arctiſſime circumligantur, aut terra, qua obruuntur, ſuffocatos tum denique exſpiraſſe haud abſimile vero eſt. Verum, cum cor evellant, linquamque e mortui corpore, dum ſepeliuntur, de morte illorum nil porro dubitandum. Id tamen vehementiſſime ſuſpicor, cor ſecari interdum ſemivivorum, qui ſibi reddendi eſſent forſitan, ni neceſſario vitæ inſtrumento præpropere ſpoliarentur. Barbari, cum ſuorum tantopere ipſi accelerent ſepulturam, nobis ſuccenſere auſi ſunt, quod Chriſtianis ſacris initiatos Indos poſt obitum tot horarum ſpatio extra tumulum cunctabundi detineamus. Id tamen & legibus ſacris, civilibusque, & prudentiæ maxime conſentaneum. *Ne*, ut loquitur Andreas Quenſtedius, *præpropere efferatur funus*, *videndum eſt; Nimia enim acceleratio quandoque vivos pro mortuis ſepelivit.* Varius pro varietate gentium, morborum, temporumque hac in re fuit uſus. Antiquiſſimo ævo non niſi quarto ab obitu die corpora humabantur; quod ex Apollon. Argonaut. II. patet:

At vero ornantes ſupremo funus honore
Tres totos condunt lugubri murmure ſoles,
Magnifice tumulant quarto — —

Con-

Contrahebatur id tempus, ſi funus immaturum, puta, ſi filius tener, ſi puella Patri chara efferenda eſſet; *Hoc enim caſu*, ut Tacitus annal. 13. *feſtinationem exequiarum edicto cæſar defendit, id a majoribus inſtitutum referens, ſubtrahere oculis acerba funera, neque laudatione, aut pompa detinere.* Verum talis exceptio cultis gentibus neutiquam probatur hodie, apud quas legibus præfixa ſunt differendi funeris tempora.

Antiqui jam in antrorum cavernis, interdum ad vias publicas, vel in montibus, ſæpiſſime intra urbes, quin intra ædes ſuas mortuos ſepelivere. Abipones ſylvas, lucosque pro ſepulchretis amant a loco, quem inſident, tantillum remotos, ne, ſi omnium oculis quotidie obverſaretur, mortis acerbam memoriam identidem ſibi ingererent, neve auram noxiis putreſcentium corporum vaporibus prægnantem vivi haurirent. Hanc forte ob cauſam apud ſicyonios olim nefas intra urbis mœnia quempiam tumulare, ut refert, Plutarchus in Arato - Idem in variis Europæ provinciis nuper interdictum. Id tamen lycurgi legibus non vetabatur, quod is ſpartiatas ſuos a pueritia funeribus ſpectandis, ne viri mortem in acie paverent, aſſvefactos deſideraret. Eximiæ genus felicitatis autumant Abipones in ſylva humari, & arborum ſub umbra. Contra eorum vices dolent, queis ſubtecto ſacræ ædiculæ ſepulchrum obtigit, tales equidam Patris Captivos appellant. Ejusmodi ſepulturæ metu baptiſmum refugere initio. Scrobem porro, ubi cadaver collocandum, exiguæ altitudinis fodiunt, ne terræ aggeſtæ nimio pondere prematur, Tumuli ſuperficiem arborum ramis ſpinoſioribus implent, ut his aculeis tigrides, cadaverum quorumcunque appetentes, arceantur. In ſepulchri ſummitate ollam inverſam pro coronide ſtatuunt, ne, ſi aquam mortuus

ſibi velit, vas deſit. Ex arbore tumulo propinqua veſtem ſuſpendunt, qua, ſi prodire e tumulo lubeat, indueretur. En fatuam ſtupidæ, ſed benevolæ gentis providentiam! Viris haſtam præterea juxta tumulum defigunt, ut venationis, bellique inſtrumentum illis in promptu eſſet. Caziquiis ſuis, aut militari fama clarioribus equos eundem in finem, non ſine Cerimonia occiſos, ad ſepulchri margines collocant; Qui mos plerisque Barbaris equitibus in Paraquaria communis. Noſtri, qui (quod alias memoravi) fretum Magallanicum verſus Regia in navi miſſi, exſcenſione facta trium Indorum equitnm cadavera, equos totidem penes illos ſudibus affixos deprehenderunt. Equi plerumque præſtantiſſimi, ui mortuo, dum viveret, maxime in uſu, atque deliciis fuerant, ad tumulum mactari ſolent. Hoc ſane ridiculum, fateor, ſed illud intolerabil:, quod Scythæ Taurici ſuis cum Regibus illos una ſepeliebant, qui iis in vita amiciſſimi, jucundiſſimique fuerunt, quibus in pignus amoris Reges ipſi auriculas abſcindere ſolebant, ut Alexander Ab Alexandris L. I. cap. 6. refert. Crudeliores illi Aſiatici, qui conjuges vivas cum maritis mortuis contumularunt, tumuli perinde, ac thalami ſocias. Neque temere id factum. Uxores ad mortem inviſi mariti accelerandam non raro venenum porrexere. Nunquam, certe rarius id audebit fœmina, ſi marito mortuo ſibi perinde noverit mox moriendum.

Sepulchrales Abiponum ritus riſu liberali proſequaris, per me licet; At enim haud inficiaberis eos argumentum eſſe, quo animoru n immortalitatem illos credere, probatur. Naturæ ipſius mo.iitu impreſ-

pressum sibi habent, persvasumque, extincto corpore non una animum extingui. Nôrunt, aliquid sui post fata superstes fore, quod duret semper, nunquam intereat. Res illa immortalis, quam nos animam dicimus, illi *Loakàl*, vel *Lkigibì* imaginem, umbram, Echo appellant, per mortem a corpore sejuncta quo deveniat, in quæ loca deferatur, num deliciis fruitura sit, mulctandáne suppliciis, id indagare haud solent. Magallanicæ regionis Barbari mortuos sub terra vivere, tentoria habere, venationi operam dare, struthiones mortuos ad eandem secum sub terra stationem descendere credunt. Istiusmodi deliramentorum expertes Abipones exanimato corpore superesse sui aliquid, esse alicubi opinantur; locum tamen, cæteraque se nescire, plenó ore confitentur. Defunctorum manes, vel umbras *mehelenkachiè* vocant, timent, & viventibus, dum ad res futuras expiscandas magico carmine evocantur, spectabiles fieri, ajunt, præstigiatorum scilicet artibus, astibusque circumventi. Me ad Paranæ ripas subdio, ut moris istic, pernoctante dum Abipones viæ Comites Voces suas adversi litoris arboribus, anfractibusque impactas repeti audirent, id manibus, spiritibusque corpore vacuis, ac per illas solitudines errantibus tribuerunt, dum denique, quid echo sit, a me docerentur. Anaticulas noctu turmatim volantes, ac triste quid sibilantes (*Ruililì* vocantur) pro hominum umbris habent, & *mehelenkachiè* manes appellant. Ex his, aliisque, quæ alio loco attuli, animorum immortalitatem ab Abiponibus, etsi cætera rudissimis, credi, prudens conjectura est. Mirum sane, ac prorsus intolerabile illam a viris, qui supra vulgus sibi sapere videntur, in dubium vocari. sepulchris apponi ollam, vestes, arma, equos, veluti vita exutis usui futuros, aut necessarios, barbarorum deliramentum

eſt, ſed ignoſcendum. Nam & his affinia apud cultiſſimos Romanos uſitata legimus. Urnis ollam vel amphoram, interdum plures, adjecerunt. Tumulo vinum, lac, mel, flores, mulſum, & quæ non? inſperſere; Quin cœnam juſtam appoſuerunt ſepulchro a Manibus, ut ſomniaverant, abſumendam, teſte Ovidio faſtorum II.

Nunc animæ tenues, & corpora functa ſepulchris
Errant, nunc poſito paſcitur umbra cibo.

Incredibile, quanta religione ſepulchri honorem ſuis procurent Abipones. Si quem ſociorum in acie vident occubuiſſe, exanime corpus mediis ex hoſtibus rapiunt, patrio in ſolo rite humandum. Oneris tamen levandi gratia viam ingreſſi Carne nudant oſſa: Illam, ubi ubi poſſunt, humi defodiunt: Hæc corio incluſa per ducentas ſæpe leucas equo domum aſportant, ubi demum juſta funebria peraguntur. Quodſi hoſte premente relinquendum in acie Cadaver, de inveſtigandis primo quoque tempore oſſibus ſolliciti nullam Capiunt quietis partem cognati, dum quantovis demum labore, ac periculo illa inveniant. Hæc maxima dein celebritate, ut ſequenti Capite dicam, ad ſuos equo revehere ſolent, patrioque in monumento locare. Eadem ſane Veterum erat ſollicitudo, ut peregre mortuorum ſeu cineres, ſeu oſſa in patriam referrentur. Agrippina certe Germanici cineres Romam deportari fecit, quod Tacitus Annal. 3. memorat. Idem Ovidii exulis votum ex l. triſtium 3. liquet:

Oſſa

Oſſa tamen facito parva referantur in urna ;
Sic ego non etiam mortuus exul ero.

A' communi hoc cæterorum more nec Lacedæmonios abluſiſſe docet Plutarchus in Ageſilao: *Cum vero mos laconibus eſſet aliorum quidem peregre morientium cadavera illic funerata relinquere ; Regum autem domum referre. Spartani, qui aderant, cum mel ad manum non eſſet, cera liquefacta, Cadaverique circumfuſa Lacedœmonem abduxerunt.*

Nec quocunque ſepulchro contenti Abipones, ut Patres cum filiis, conjuges cum maritis, Nepotes cum avis, ac proavis eodem in tumulo quieſcant, quævis familia ſepulchretum ut habeat ſuum, id anxie curant. *Vetuſtate ſanctiora fieri ſepulchra*, ait Cicero Philipp. 9. Hæc natio cum terras olim inſederit Septentrionibus propiores, in Boreali ſcilicet fluvii grandis Iñatè ripa, iſtic majorum ſuorum extare monumenta nôrunt, & ceu divinum quid venerantur. Popularium ſuorum, qui ubi ubi demum perpetuas inter peregrinationes ſepulti latuere, oſſa oſſibus avorum adjungere ſolent, ac liquidiſſima cum voluptate commiſcere. Inde eſt, quod illa toties refodiant, toties transferant, perque immenſa terrarum ſpatia circumferant, dum denique in generis ſui avito, Sylveſtrique Mauſoleo conquieſcant; Quod quidem non per epitaphia, cum literis careant, ſed per notas quasdam arboribus inciſas, aliaque a majoribus accepta documenta diſcernere ſolent. Jam inde a priſcis illis, primisque ſeculis ad hæc uſque tempora viris illuſtrioribus cordi fuit gentilitia ſepulchra condere, quæ ſibi, ſoboli, poſteritatique dicarunt ſuæ. Talia Romani requietoria, vel familia-

 ria,

ria, quia uni familiæ propria, dixerunt. Id ſacra quoque confirmat hiſtoria pluribus in locis. Abraham ſpeluncam agri juxta urbem Hebron emerat ab Ephron Hethæo quadringentis ſiclis *in poſſeſſionem* monumenti, ubi primum uxor ejus Sara, dein ipſe Abraham, Jſaac, Rebecca, & Lia, ac denique Jacob ſepulti, qui infimis id a filio ſuo Joſeph precibus flagitavit. Inſpice libri Geneſ. Capita 47. 49. & 50. Adnotare hæc ex hiſtoria tum ſacra, tum profana viſum eſt, ut pateat, Abipones pleraque, quæ de ſepulchralibus eorum inſtitutis recenſui, antiquorum exemplo feciſſe, & quamvis cætera inſigniter barbaros, præ aliis gentibus hoc in genere plus humanitatis, pietatisque in mortuos exhibere.

Fidem ſuperant equidem inhumanitatis, quam varii per orbem populi in vita functos exercuere, exempla. De multis pauciſſima delibo. Hyrcani canes alebant, a quibus ipſi jam mortui diſcerperentur, ut ſtrabo l. 11. refert. Scytharum alii, puta, Maſſagetæ, Derbices, Eſſedones humana cadavera pecudum carnibus commixta devorarunt; Alii ex arboribus ſuſpenderunt. Æthiopes non nulli in mare deturbarunt. Perſæ, ut Agatheus l. 11. meminit, carnibus nudant oſſa, utrumque per campos ſpargunt; Putant enim nefas mortuos in arca, vel urna condere, vel terra obruere. Si ad carnes hominum temere in campo abjectas non illico advolaſſent aves, illos fuiſſe improbis moribus, judicabant. Brachmanes vulturibus, Pœones piſcibus, Parthi quibuscunque avibus, canibusve vita functorum carnes objecere, oſſa tamen tumulo ſervarunt. His humaniores Æthiopum aliqui, queis ſepulchra vitrea in uſu. Babylonii dulciores, nam melle corpus exanime contegunt, ſi Herodoto fides. Magi Cera invo-

involutum cadaver tumularunt. Ægyptiis mos fuit, ſuorum corpora aloe, myrrha, cedro, melle, ſale, cera, bitumine, reſina, odoribus, & unguentis ſolerter condita, ſuisque clauſa loculis domi ſuæ aſſervare. Hæc mumiarum Ægyptiacarum ſen materies, ſeu origo, ut Plinius, Pomponius Mela, Stobæus, Silius Italicus, aliique teſtantur. Sed meam miror patientiam in recenſendis ſepulturæ varietatibus, quas apud antiquitatum ſcriptores paſſim deprehendas. Eum in finem hæc adnotavi, ne ſepulchrales Abiponum ritus rideas, cum magis ridiculos nationibus aliis fuiſſe, intellexeris. In Americam redeamus. Braſili, & Quaranii, gens Paraquariæ citra controverſiam omnium numeroſiſſima, uti confiniorum vicinitate, ſic linguæ, ac morum ſimilitudine conjunctiſſimi fodiendis pro ſepultura ſcrobibus fatigari noluerant quondam. Quotquot fatis ceſſerunt, eorum carnes ſua intra viſcera famelici condidere anthropophagi. Humanam equidem carnem tanta eſuriebant aviditate, ut præ illa perdices, damas, apros, & quidquid cupediarum eſt, aſpernarentur. Ad venandos homines excurrebant propterea. Captivorum, quos domi diligenter ſaginaverant, cædes publici convivii non titulus modo, ſed pars nobiliſſima fuit. Carnibus devoratis oſſa reſervabantur, quæ in farinam redacta novis epulis materiem, novas palato barbarorum delicias præbuere. Matres embrionem, quem immaturum abortione ejecerant, ſuaviſſime, quis invideat? eſitarunt. Fatendum tamen, Quaranios ſubinde, avis ſuis humaniores, ſuorum cadavera in cantharis ex argilla fictis collocaſſe eo fere ſitu, quo fœtus materno in utero quieſcit. Barbaros in Mbae vera quæſiturus medias intra ſylvas in campum, excisis nempe arboribus, arte factum incidi, ibique tres ejusmodi

can-

cantharos, qui singuli hominem caperent, inveni, sed vacuos, fors morituris præparatos. Cantharorum fundus Cœlum, bucca solum spectabat. Mortalium nemo, ne umbra quidem, aut vestigium istic deprehensum a nobis, quamvis omnes sylvarum recessus longe, lateque perscrutatis. Sed a sepulchris ad exequias, aliaque, quæ funeri succedunt, properemus.

CAPUT XXVIII.

De Luctu, exequiis, funeralibusque Cerimoniis Abiponum.

Quæ ad luctus contestationem recepto a majoribus more factitant Abipones, alia ad defuncti memoriam abolendam, ad perpetuandam alia pertinere videntur. Quidquid utensilium fuit recens defuncto, excitato hunc in finem rogo palam crematur. Præter equos honoris causa ad ejus tumulum confossos minutas aliquando, si quas habuit, pecudes contrucidant. Ædes, quas incoluit, ex limo, & materia non inscite structas convellunt, diruuntque penitus. Vidua, proles, contubernales cæteri alio migrant; Illis, cum domo careant propria, in aliena sæpe, sæpe sub storeis miserrime aliquamdiu est latitandum. Malunt tamen Cœli injurias tolerare, quam contra gentilitias leges domum habitare commodam, sed chari capitis interitu funestam. Nuper defuncti no-

nomen pronunciasse, crimen apud Abipones est nefarium, colaphis sæpe mulctatum, sæpe vulneribus, ac multo sanguine piandum. Temulentos inter rixarum aliquando cruentissimarum semen id fuisse, commemini. Si tamen res ferat, ut de mortuo injicienda sit mentio: *Vir, qui jam non existit. Joalè, eknám Chitkaeca*, inquiunt, ejusque, quem volunt, nomen pluribus verbis circumscribunt. Quodsi defuncti nomen derivatum sit ex vocabulo, ut grammatici ajunt, appellativo, quod scilicet animal, vel quidquid aliud significet, illud vocabulum per præconem publicum mox antiquari, novumque a Vetula quacunque inventum ei substitui jam alias dixi, dum de Abiponum lingua disserui. Hinc novæ quot annis voces, ut fungi nocte una, ex ipsis Indorum mortibus nascuntur. Intra septennium, quod apud Abipones consumpsi, ter tigridis nomen mutatum est: Primum *Nihîrenak*, dein *Apañigehak*, demum *Laprîrêtrae* idest, *maculosa*, *versicolor* dicebatur. Hispanum olim *Kaamélk*, mox *Rikil*. Crocodilum *Pèéuè* antea, post *Kaeperhak* vocarunt. Penes vetulas cerimoniarum antistitas est nova, quæ somniaverint, vocabula veteribus abrogatis sufficere. Anus rancidæ, quod mireris, arbitrio tota natio acquiescit. Nemo unus est arrogantissimorum Abiponum, qui morem non gerat. Nova rebus indita nomina per latissime sparsa illius gentis contubernia celerrime vulgantur, tantaque cum tenacitate singulorum cerebro inhærent, ut vel lingua, vel memoria fallente longo usu receptas, nuper proscriptas voces nemini excidere, jure admireris.

Quotquot cum defuncto vel sanguinis, vel amicitiæ vinculo conjuncti suis, quæ gessere, nominibus privantur, novis insigniuntur. In S. Caroli,

ac Rosarii nova colonia e variolis decessit Caziquii principis Conjux. Ille prius Reváchigi, mox Oàhari appellatus est. Ejus matri quoque, fratri, captivo, defunctæ item fratribus nova singulis nomina trecentas inter cerimonias imponebantur. Caziquii mater senicula melampum strigosum, & vel ipso, quem hausit, aere indignum in deliciis habuit. Facta hac nominum mutatione, quale demum nomen melampo illi suo obtigerit, ex senicula quæsivi, ut scilicet absurdos eorum ritus a nobis explodi intelligeret, cum impediri id temporis necdum possent. Ob prolis parvulæ obitum pluribus sæpe familiis nova nomina induntur. Caziquio occumbente viri, qui illi suberant, omnes prolixam comam attondent in mæroris significationem Id quod a me visum, dum Ychamenraikin, Debayakaikìn, Alaykin Abiponicæ gentis primates non eodem quidem die, ac loco, sed eadem fortitudine præliantes in acie occubuerunt. Marito viduatis mulieribus pariter crines tondentur, & quoddam pallioli genus, e Caraquata atro, rubroque colore tincta contextum imponitur, quod cuculli instar caput tegit, & ab humeris ad pectus defluit. Hoc palliolo per omnem vitam viduabus utendum, ni forte novi conjugii opportunitas tristissima perpetui luctus lege eas solvisset. Sacerdotem e Divi Francisci cœtu, cui ab observantia nomen, hospitem habui. Viso ejus cucullo: Nunquid hic quoque Hispanus conjugem luget suam? Abiponenses ex me fœminæ quærebant. Caput rasum, & cucullus illis interogandi, nobis ridendi occasionem dedit. Abipon maritus conjuge viduatus, attonsis pariter capillis galericulum retis instar e Lana textum mæroris seu testandi, seu fingendi gratia gestare consvevit, quam a Cerimoniarum magistra vetula, fœminis Cæteris ejulantibus, viris compo-

tan-

tantibus palam recipit, rejicitque, ut primum coma succreverit. Hæc sunt Abiponibus funebris luctus officia, indiciaque. Ecquis in historia mediocriter versatus pleraque hæc apud Romanos, Græcos, Hebræosque viguisse, ignorat? Certe, quod funerum occasione crines suos totonderint, inspersérintque tumulis, Homerus, Catullus, & quis non poetarum meminit? unum pro omnibus audi Ovidium in epistola Canaces:

Non mihi te licuit lacrymis perfundere justis;
In tua nec tonsas ferre sepulchra comas.

Quod fœminæ attonso capillo; vestitu lugubri luctum professæ sint, liquet ex Accii Amphitruone: — — *Sed quænam hæc est mulier funesta veste, tonsu lugubri?* Ex illo etiam Virgilii Æneidos 9.

Evolat infelix, & fœmineo ululatu
Scissa comas — —

Quod viduæ olim Capita velaverint, patet ex Luctu Corneliæ Pompeji uxoris, de quo Lucanus l. 9.

Sic ubi facta, Caput ferali obnubit amictu,
Decrevitque pati tenebras —

Quidni, amabo, obnubendi capitis ritus seculorum usu confirmatus apud Europæas quoque viduas passim Civitate donatus hodie? circumspectis omnibus velum capitis minus moleste ferunt, quam capillorum jacturam fœminæ, quibus magnopere or-

nari



nari ſe nôrunt. Affirmat ſtobæus in ſuis collectaneis: Ignominia notandas ob flagitium Regio juſſu in Indiis tonderi. In Quaranicis Coloniis profecto ſupplicii inſtar eſt Crinium tonſura, qua procaces, & pudoris oblitæ fœminæ mulctantur, aliis corrigi modis nî queant. Eadem in nonnullis Europæ provinciis conſuetudo. Quanta, quæ ad hoc argumentum pertinent, ex divino Codice, ex profanis hiſtoricis depromi poſſent! Copia rerum obvia ſilentium ſvadet.

Verum illud denique videamus, quod quantumcunque de alienis mortibus mærorem Abiponibus abſtergit, ipſamque adeo lugendi neceſſitatem reddit ſuaviſſimam. Epulum funebre antiquis, ſi quid aliud ſolenne. Hoc latini ſilicernium, & Cicero (Grenovio teſte) circumpotationem vocavit. Nolunt ab hoc priſcorum more vel latum unguem recedere. Cæteros, qui ad funus pertinent, ritus inviti exequuntur, iſtum volentiſſimi. Cadaveris tumulandi, lamentandique curam fœminis ultro relinquunt; Ipſi vero mel in ſylvis conquirunt, compotationis publicæ materiam futurum, ad quam ſole occumbente convolant univerſi. Dumque iſti potando, vociferandoque occupantur, fœminarum longo ordine circumſtantium chorus lamentando ſe fatigat. Cum nihil ciborum inferatur, epulum hoc funebre non convivium, ſed combibium, vel cum Cicerone circumpotationem rectius dicemus. Nox omnis poſtquam bibendo conſumpta abiit, tum enimvero luctus triſtioris videas principium, cum illo ſuo nectare ad ultimam ſtillam exhauſto, quod porro biberent, ſupereſt nihil. Fœminarum quoque lamenta novus, isque ſincerior ſæpe excipit dolor, dum maritos ſuos aut pugnis combibonum lividos, aut,

quæ

quæ compotationum corollaria, vulnere cruentos domum reducunt.

Ad quemvis certe de Abiponis morte rumorem, fœminarum nos miseratio incessit semper, in quas scilicet exequiarum molestiæ, funeris cura, tumuli, lessique faciundi labor recidere solent. Præterquam enim, quod ab his uno agmine, unoque ore pertinaciter complorantibus efferendum, humandumque cadaver, tondendi vidui, viduæ obnubendæ, mutanda mortui cognatorum nomina, celebranda funeralis compotatio, demoliendæ ædes; Iisdem lamentationis publicæ novem diebus continuandæ fastidium est exhauriendum. Illa duplex est omnino. Altera, quæ per forum interdiu habetur ab omnibus, si cælibes excipias, mulieribus: Quæ assignatis luctui ædibus noctu suscipitur ab aliquibus, altera. Ad hanc non confluunt, nisi invitatæ. Si poetæ epici, dum cantum auspicantur, Calliopen invocant, ab Apelle petendus mihi foret penicillus, & colores, ad exprimendam rite spectaculi funebris imaginem; Huic equidem exprimendæ totum cum Musis omnibus Parnassum, ipsumque cum universis suis vocabulis Calepinum imparem existimo, nisi & characteres musicos in subsidium vocaverit. Statis & ante & post meridiem horis in foro adsunt, quotquot in oppido, mulieres. Sparsis per humeros Crinibus, pectore, scapulisque nudatis, pelle, vel lacerna e lumbo pendente. Vultus, oculorumque conformatio mæroris ne, an terroris, plus spiret, nescio. Maculosa stigmatibus facies ad utrumque confert plurimum. Mœnades tibi finge animo, vel furias stygias, quales pinxit antiquitas, & rem acu tetigisti. Neque eodem lamentantur in loco interdiu. Forum omne circumcursant supplicantium ritu,

 non



non binæ, ſed ſingulæ, uno tamen agmine, longiſſimoque ambulantes. Ad ducentas quandoque numeres. Incedunt ranarum inſtar ſaltitando. Pedum motus brachiorum jactatio continua comitatur. Cucurbitam injectis variis ſeminibus crepitantem & dextra præferunt ſingulæ, & ad vocis modulos agitant. Illas excipe, quæ cucurbitæ loco ollam damulæ membrana clauſam tympani inſtar bacillo tereti pulſant, ſtrepitu, quam credere poſſis, abſurdiori. Ternis, quaterniſve cucurbitis ſingula ejus formæ tympanidia reſpondent. Quod maxime aures terret, vociferatio eſt una ejulantium. Cantillantium inſtar vocem modulate inflectunt, criſpant, ſingultibus miſcent. At vero id omne quis cantum dixerit? Tolerabilius, niſi plane fallor, lupi hujates ululant. Cantatis in hunc modum lugubribus ſtrophis per intervalla conticeſcunt omnes, ac voce a ſummo ad imum præcipitante ſibilum repente edunt acutiſſimum. Illarum cervicibus pugionem ſubito infigi, jurares, Qua quidem repentina ejulatione furore ſe percelli ſignificant, dira omnia imprecantur mortis, quam lugent, authori, quisquis ille demum fuerit. Interdum cantu intermiſſo, aliquid recitantium tono, paucos verſus deblaterant, quibus demortui dotes, facinoraque extollunt, ac querula voce commiſerationem, vindictamque ſuperſtitum ciere conantur. Sæpe alias planctui lachrimas admiſcent non dolore, ſed conſvetudine, lamentique impatientia extortas, dum utique mallent domi tandem conquieſcere, quam repetito per plures horas itu, ac reditu fatigari, & diuturna gutturis contentione ad ravim uſque clamitare. Pleræque defuncti munuſculum, ceu memnoſinon, aliquod, puta, ſtruthionum plumas, globulos vitreos, cultrum, acinacem, & alia id genus circumferunt. Quædam

pa-

parentis sui, quem lugebat, femoralia (Gubernatoris Hispani quondam munus) manu gestabat per forum; Hæc Canis, cui vociferans nimium propinquaverat, facto in eam impetu rapuit. Abipones, puerorum, puellarumque turba publicos hos planctus, quos spectare sine risu Europæus nequeat, ceu religiosam functionem considerant, modestia, ac silentio reverentur. Nefas sit, fœminis lamentantibus illudere. Hæc interdiu per forum plangendi ratio. Sed noctes diebus nectunt. Tantus lamentandi furor. Juvat & planctum nocturnum strictim memorare.

Vesperascente Cœlo in tugurio parentalibus destinato congregantur, quæ invitatæ fuerint, fœminæ, quibus præstigiatrix vetula præest; Hæc Cantum, hæc ritus cæteros moderatur. Illius est duo militaria majoris formæ tympana alternis quassare ictibus, voceque lachrymabili funestum carmen decantare, reliquis eadem vocis mensura prosequentibus. Stygium hoc elegiarum genus, cucurbitarum crepitus, tympanorum boatui associatus ad Auroram usque producitur quotidie. Funebris hic planctus nulla re variatus ipsum durat octiduum. Nona demum nocte, si quam fœminam lugeant, ollæ, quæ illi usui fuere, non sine cerimoniis confringuntur. Cæterum jam non lessus tragicus, ut superioribus noctibus, sed ode festivior decantatur, quam anus tympanistria pleno rictu, voce profundiori, ac veluti minitante identidem interrumpit, sociasque cantatrices ad hilaritatem, vocisque majorem contentionem adhortari videtur. Id notis musicis clarius utique, quam verbis expressum planius intelliges. Nocturnis his lamentis per dies novem sol occumbens principium, oriens finem dare consvevit. Stupenda sane fœmi-

narum tolerantia, tot noctes insomnium; sed virorum magis, qui aëre inconditis vocibus, tympanis, cucurbitisque perstrepente quamvis, in utramque tamen aurem dormitantes rhonchos edunt. Scilicet ut columbæ turrium incolæ æris campani tinnitu quantocunque nil terrentur; sic Abipones a pueris fœminarum planctibus assveti ad nocturnos strepitus dudum obsurduere. Mihi vero ad stagni ripam coaxantes inter ranas somnum capere facilius erat, quam fœmineos inter ululatus. Præ his tamen, fateor, tympanidion illud absurdissimum aures insolentius excruciavit.


Nec solis funeribus hac ratione semel parentatur. Anniversaria sacra majorum suorum manibus eodem cum strepitu, atque apparatu faciunt religiose. Defunctæ matris recordatio mentem subeat fœminæ. Nec mora: crines solvit, cucurbitam arripit, & cum aliquot in luctus societatem adscitis mulieribus forum percursat, Cœlum implet lamentis. Quotidianum prope hoc spectaculum. Paucæ abeunt noctes, queis hinc, atque illinc per tuguria plangentes non exaudias. Hæc mariti: Illa filii: Alia patris, matrisve morti illachrymatur. Stantes id præstant, & ad plagam, ubi ille sepultus, converso corpore, cucurbitaque planctui semper consonante. Incredibilis illarum flendi lubido, promptitudo par. Seneca consolat ad Albinam C. 15. Scripsit: *Sexui muliebri pene concessum est, imo datum in lachrymas jus, non immensum tamen, & ideo Majores decem mensium spatium viros lugendi dederunt.* Abiponenses fœminæ hac Romanorum lege haud patiuntur luctum suum limitari. Lugent, dum vivunt. Plorant, quoties, & quamdiu volunt. Facilius equidem mulieribus flere, quam tacere. Hinc rarissima noctis silentia.

Fre-

Frequentior tamen ſemper die appetente plangentium vociferatio. Uno oſcitante oſcitare adſtantes experimur; Haud ſecus una ſuorum aliquem lamentante altera quoque lamentatur: Hæc tertiam admonet: Iſta quartam. Ut denique ſub auroram lamentantium major, quam dormientium numerus eſſe videatur. Illis in oppidis lamentatrices plures, ubi plures viduæ. Verum dum ob Abiponis cujuſpiam obitum.

Lamentis, gemituque, & fœmineo ululatu
Tecta fremunt, reſonat magnis plangoribus
æther. Virgil. l. 4. Æneid.

Neutiquam otiantur viri. Luctum, quem lachrymis, vociferationibusque profitentur fœminæ, iſti fundendo ſanguinem hoſtilem, ſæpe & ſuum, conteſtantur. Qui enim ſanguine propinquior vita functo, alios, quot quot poteſt, commilitones conſcribit actutum, atque in hoſtes exteros, quorum manibus cognatus periit, ducit. Illius eſt, primum in mortis authores impetum facere, neque niſi morte acriter vindicata ad ſuos redire; Quamvis votis facta non uſque reſpondeant, cum iſti barbari heroes inultis ſæpe hoſtibus, ingloriique revertantur.



CAPUT XXIX.

De ſolenni oſſium translatione.

Reſtat paucula de Cerimoniis dicere, quibus oſſa peregre mortuorum, dum patrium in ſolum, indeque ad familiaria ſepulchreta transferuntur, proſequi conſveverunt Abipones. Translationes hujusmodi plures a me viſæ, ac riſæ ſunt. Referam in paucis celeberrimam Caziquii Ychamenraikin adhuc barbari a barbaris in acie cæſi. Locus pugnæ quadraginta facile leucas ab oppido S. Hieronymi aberat. Et Caziquium noſtrum ſagitta interemptum, & hoſtem profligatum ex advolante nuncio intelleximus. Conceptus animo mæror de chari Ychamenraikin obitu omnem lætitiæ ſenſum de luculenta victoria ſuppreſſit. Nemo erat unus, qui de epiniciis plauſibus cogitaret. omnium animi in luctum, oculi in lachrymas, ora in lamentum ſolvebantur. Hoc illo temporis puncto a fœminis cæptum, dies, noctesque ingenti cum ſtrepitu nec ſine ſinceris lachrymis continuatum eſt, quæ cum ex ipſo illarum corde ſcaturirent, haud ſubito, ut alias, exaruerunt. Hunc Caziquium, non paucarum conjugum maritum, in oculis ſemper ferebat muliebris ſexus. Sub hæc alter adeſt eques, qui poſtridie ſub veſperum defuncti Ducis oſſa oppido inferenda, nunciat. Hæc carne nudata, quam in campo terræ mandaverant ſocii, corio clauſa equo ferebantur. Ad hæc igitur pro merito

rito recipienda a præſtigiatorum principe Hanetrain, ejusque ſocio Lamamin facti apparatus, domus, ubi triſtes exuviæ collocarentur, deſignata, riteque inſtructa. Univerſa mulierum cohors ad tres leucas Funeri obviam properaverat. Ad ipſum oppidi ingreſſum talis fuit funebris pompæ ordo: Lugubre agmen bini præſtigiatores duxere, equo nolis undique reſonante, ſtragulis, ac ſtruthionum plumis ornatiſſimo ſublimes. Haſtam manu jactabant, cui tintinnabulum æneum affixum, ut, quoquo ſe verterent, audiri non minus, quam ſpectari ab omnibus poſſent. Haud enim reliquis immixti, nec lento gradu inceſſere. Curſu præcipiti jam velitantium ritu ſurſum, deorſum procurrere, jam invadentium ſpecie in ſemitam regreſſi turbæ cæteræ ordinibus ſe jungere ſolebant. Sequebatur fœminarum illo, quo dixi alias, habitu lamentantium comitatus, ut numero, ſic concinno ordine viſendus, aſt auribus intolerabilis. Tot cucurbitarum crepitus, tot variæ molis tympanorum murmur, tanta vocum inconditarum diſcordia ipſum adeo Cœlum fatigare videbatur. Plangentibus ea lachrymarum vis ſponte ſua profluxerat, ut non tam charo capiti parentare, quam hac tranſituris ejus exuviis viam rigare, mollireque putarentur. Veſtem elegantem quadrilateram tapetis inſtar pictam ſex haſtis illigatam umbellæ loco totidem Abipones geſtarunt, ſub qua funebris oſſium ſarcina a viris item bajulabatur. Agmen clauſit reliquorum, qui parta quidem victoria ovantes, ſed amiſſo Duce mæſti redivere, Abiponum equeſtris turma. Equis ibant, haſta, arcu, pharetraque inſtructi ſinguli. Tonſis omnes crinibus, ut luctum profiterentur, qui in ſingulorum vultu legebatur. Hinc, atque illinc victorum tergo imminebat puerorum, puellarum, mulierum, equis in-


ſidentium manipulus. Hi, Indis hoſtibus vel trucidatis, vel fuga elapſis, bello recens capti fuere. Ut adeo lugubre cætera ſpectaculum non tam funeris, quam triumphi ſpeciem referret. A' lateribus equorum, queis nullus ſeſſor, ad paſcua ſua poſt militarem expeditionem properantium multitudo ingens viſebatur. Vias omnes pueri, puellæque obſederunt, gemituum immemores, ſpectaculi novitate perculſæ. Oſſibus in præparata æde collocatis per dies novem juſta ſunt perſoluta. Diurnis planctibus nocturnos quoque pro more addiderunt. Ne lamentatio ullo unquam tempore conquieſceret, per præſtigiatores, qui haſtam tintinnabulo reſonantem geſtant, ædesque percurſant omnes, commonitæ mulieres ſingulæ, ut, quibus unicuique horis lamentandum eſſet, noſſent univerſæ. Compotatio funebris iterum, iterumque, ac pro defuncti Caziquii magnitudine magnifice, ut fieret, unica, & ad ſopiendum mærorem aptiſſima virorum ſollicitudo fuit interea. Et vero: Potatumne liberalius a viris, num pertinacius ploratum ſit a fœminis, arduum fuerit ſtatuere. His domi pro more actis ex utroque ſexu delecti, qui dierum aliquot itinere ad gentilitium Ychamenraikin ſepulchretum oſſa comitarentur, patrioque humarent inſtituto. Aſt noveris hæc acta fuiſſe a Barbaris, antequam ſacris chriſtianis initiarentur. Ad eum plane modum aliæ alibi celebratæ oſſium translationes, niſi quod umbella abſtinuerint, quam Ducibus duntaxat ſuis deberi arbitrantur. Septem Abiponum per Hiſpanos trucidatorum oſſa uno allata ſunt die, e quibus ſolerter compoſitis totidem hominum ſimulacra finxere, petaſo ſingulis calvariis impoſito, veſtibusque cuique aptatis. In tugurio vaſtiore ſtructi ex arundinibus ſuggeſtus, in quorum apice collocata illa ſeptem

ſceleta, novemqne, diebus continuis hinc lamentando, inde potando colebantur; ad tumulos ſubinde ſuos tranſportata.

Fuerit per me Europæus aliquis, qui neglecta funeris ſui cura cum Diogene flocci faciat ſepulturam, illudque Virgilii repetat; *Facilis jactura ſepulchri*, vel aliud ejusdem: *Cœlo tegitur, qui non habet urnam.* Aliter profecto ſentiunt Americani, quantumvis barbari. Inhumatum ſub dio putreſcere maximam autumant infelicitatem. Hinc vindicta ardentes hoſtium cadavera contemptim abiiciunt, ex eorumque tibiis lituos, fiſtulasque militares ſibi conficiunt frequenter, Calvaria pro poculo utuntur. Amicorum vero vel tenue oſſiculum honorifice, dum poſſunt, tumulant, incredibilique honoris ſignificatione proſequi conſveverunt. Novimus, Quaranios adhuc barbaros præſtigiatorum ſuorum (Abapayè) exuvias, arculis cuſtoditas, quoties migrandum fuit, circumtuliſſe quondam, & in illis, ceu ſacris quibusdam præſidiis, ſpes omnes collocaſſe. Hæc ſuperſtitionis barbaræ monumenta, ſanctæque religionis obices, Miſſionariorum noſtrorum opera tandem detecta, ereptaque, eorum manibus rogo injecta ſpectantibus cunctis in fumum abierunt. E' ſylvis ad noſtras colonias recens translati Quaranii nulla re citius diſcunt Romana ſacra ſuſpicere, quam dum ſuos honorifico apparatu, Cantuque ſolenni vident a nobis ſepeliri. Quidqnid honoris impenſum Cadaveribus, ſuperſtites ſibi impendi exiſtimant, majorique, qnam credi poſſit, amore in religionem, ejusque magiſtros exardeſcunt. Undecim annorum, quos huic nationi erudiendæ inſumpſi, experimento doctus id affirmo. Indorum meorum, qui in ſylvas Mbaeverà euntem me comitabantur, ſeniſſimus

meam confirmavit ſententiam. Is ut Caziquium ſylvicolam ad amplectendam noſtra in Colonia religionem impelleret, me præſente hæc illi dixerat: Frater mi, ajebat, iſti ſacerdotes ingenti ſtudio res curant noſtras. Incredibili benevolentia in nos feruntur, cumulantque nos beneficiis quotidianis. En! vivos nos erudiunt, alunt, veſtiunt; Mortuos tela candida indutos ſepeliunt, & quod ſtupeas, ad ſepulchrum nobis cantant. Inter præcipua noſtri in Indos amoris argumenta exequiarum honeſtatem ſapienter connumeravit, quam ſcilicet ipſis Barbaris adeo cordi eſſe non ignorabat. Poſtquam de morbis, medicis, medicinis, mortibus, ac ſepulturis Abiponum prolixe diſſeruimus, ab hiſtoriæ meæ curſu ecquis alienum putabit de ſerpentibus, inſectisque noxiis agere, quæ mortem multis inferunt, omnibus minantur? Jucundum erit utique Europæis noſſe præſidia, quibus Americani ſeu adverſus ſerpentes ſe tueantur, ſeu inflicta ab iis vulera perſanent, hauſtumque intimis fibris diſcutiant venenum.

Crotalus Klepper Schlange. P. 315.



CAPUT XXX.

De ſerpentibus inſignioribus.

Enucleatam, minutamque ſerpentum deſcriptionem a me ne exſpectaveris. Mihi equidem, dum in America agerem, major fuit eos fugitandi, quam numerandi, contemplandique cura. Adnotabo tamen memorabiliora, exploratioraque, quæ ad rem facere videbuntur. Haud enim ſerpentum, ſed Abiponum hiſtoriam texere mei eſt inſtituti. Plura de hoc argumento noſſe ſi aveas, Clariſſimum Linnæum, Quilielmum Piſonem, Maregravium, aliosque, qui omne tulerunt punctum, conſule. Quamvis, auſim ſpondere, non pauca ex me intelliges, quæ iſtorum nemo attigerit, fateberisque, ſæpe etiam olitorem valde opportuna fuiſſe locutum. Multi multa ſcripſerunt de ſerpentino genere, qui tamen ſerpentem, niſi pictum, fictumve, nusquam videre. Nos, quibus ætatis pars major effluxerat in America, omnis generis angues non modo paſſim obvios, ſed eodem ſub tecto domeſticos habuimus, ac contubernales.

Serpentum, qui nomine, colore, mole, formaque corporis, ac veneno differunt, viginti admodum ſpecies numerat Paraquaria, Plures vicina Braſilia. Lexicon Quaranicum binis, ſi rite memini, foliis complectitur ſingulas, ac earum proprietates explanat. Notiores vulgo ſunt: Mboÿtiñi, vel Mboÿchiñi.

Qui-

Quiririò. Yacaninà. Mboỹhobi. Mboỹquatia. Mboỹpe quazù, vel cucurucù. Mboỹpè miri. Yboyà. Tareỹmboyà. Mboỹquazù, vel Yboyà. Mboỹroỹ. Curiyù. Ybiboboca. Yacapecoayà. Yararacà. Cacaboyà &c. memorarem reliquos, ſed quorſum? Niſi ut cum dentium periculo linguam defatiges tuam enunciando barbara Quaraniorum, Braſilorumque vocabula, quæ fere ſerpentis uniuscujusque colorem, proprietatemque ſingularem declarant. Serpentes generatim Mboỹ dicitur a Quaraniis. Enenaik ab Abiponibus. Vivora ab Hiſpanis. Cobra ab Luſitanis. Latini pro varietate ſerpentum variis nominibus utuntur; Sed quis illorum anguis, quis ſeps, quis cenchris, quis coluber, quis aſpis &c. appellandus, maxima etiamnum grammaticorum, phyſicorumque eſt digladiatio. Ut adeo Americani ſerpentes, Europæ peregrini, quo nomine latino inſigniendi ſint, vix perſpiciamus.

Primo utique loco memorandus venit ſerpens, quem venenum, & caudæ appendix tinnula a cæteris diſtinquit, Hunc Hiſpani vivora de Caſcabel, vel tañedor vocant; Galli ſerpent au Chaperon, vel ſerpent a ſonettes. Germani die Klapperſchlange. Quaranii Mboỹchiñi. Braſili Mboỹçiningà. Indi Mexicani Teuhtlacocauhqui, dominam ſerpentum dicunt. A latinis nomen videtur etiamnum expectare. A Lexici Gallici ſcriptore Choffin vocatur ſepedon, vox latinis, quod quidem ſciam, authoribus peregrina, Mallem a Græcis nomen mutuari, ſerpentemque hunc noliferum Crotali, vel Crotalophori nomine inſignire a vocabulo κρόταλον, quod crepitaculum ſignificat, derivato. Terribilis viſu, audituque beſtia virilis brachii, uti prope cubitum eſt, craſſitudinem æquat; Ad quinque non raro pedes longitudinis porrigitur. Linguam biſulcam, caput viperæ inſtar

com-

complanatum, oculos parvos nigricantes, quatuor ſuperiori e maxilla dentes, præter alios, & præ aliis acutos, incurvosque oſtentat, e quibus, cavi enim ſunt, venenum jaculantur in obvios. Dentes alii minores, rictu diducto, patent aſpicienti. Color dorſi, quod lateribus multo eminentius, fuscus in flavum vergit, & lineis luteis in ſpina dorſi crucis inſtar ſe ſe interſecantibus variatur. Conchis fuscis crocodili inſtar, ſed mollioribus, pellis horret. Venter ſquamis prope parallelogrammis grandioribus tantillum flaveſcit; Caudæ extremitati inhæret illud, a quo nomen accepit, crepitaculum ex materia glabra, arida, cinerei coloris, viri pollicem lata. Hinc atque illinc cellulam habet concavam, membranula, ceu pariete, in medio diviſam, huic ineſt globuli non omnino rotundiſſimi aliquid, quod ſerpentis motu quovis agitatum, ſuoque receptaculo illiſum ſonum, ſeu crepitum edit, qualem infantium crepitacula lignea (die Kinder rodeln) edere conſveverunt. Annis ſingulis, ut in cervorum cornibus uſuvenit, ſinguli crepitaculo accreſcunt articuli, vertebris, ceu catenæ annuli, ſuis connexi. Ex tintinnabuli, ſeu crepitaculi articulis ſerpentis ætatem conjicias, ut cervi ex cornuum ramis. Hinc quo ſenior ſerpens, eo plus clangit, quia nolis pluribus inſtructus. Abiponum aliquis eodem meridie duos ejusmodi ſerpentes noliferos enecuit; Amborum tintinnabula mihi obtulit, quorum unus quatuor annorum erat, alter duodecim. Ex tintinnabuli articulis id patuit. Hic ſerpens irritatus ſe conſpirat. Aggreſſionem meditans celerrime adrepit, ut prope volare videatur. Providentiſſimus univerſi author ejus caudæ tinniens illud crepitaculum adjecit, eo veluti monitore audiri ut poſſit, ac caveri. Venenum enim, quo turget, cæteris quibusque atrocius eſſe, ac præſentius Jure putatur. Remedia enim, quibus a

quo-

quovis alio ſerpentum genere icti ſervantur, veneno noliferi hujus anguis afflatis nihil omnino proficere experti ſumus. Tales mors certa, quamvis lenta manet. Lethifera equidem veneni vis ex inflicto vulnere per omnes paulatim artus graſſatur. Pedis, brachii, auris, oculique uſum ex illo, quod ſerpens invaſit, latere adimit, moxque ad aliud tranſiens eandem ſenſibus ſtragem, continuum deliramentum, dolores acerrimos infert, maxime in pedum, manuumque extremitatibus, quas ſanguis veneno frigidiſſimo torpeſcens deſtituit, palloreque cadaveribus proprio deformat. Quæ quidem omnia ipſus obſervavi in binis adoleſcentibus Quaraniis a tinnulo ſerpente vulneratis. Neuter iſtorum duo de viceſimum attigit ætatis annum, uterque robuſtus, firmæque valetudinis. Per duodecim primus, alter per quatuordecim dies me ſpectante, dolenteque acerbiſſimis cum doloribus conflictabatur, dum denique ambo ſuccubuiſſent, veneni dominantis robore meditaminum longo uſu exploratorum virtutem eludente. Si quem ab ejusmodi ſerpente nolifero ictum, intellexi, eum illico, imminens delirium antevertens, ſacris myſteriis Romano ritu ad mortem præmunivi. Indam ætate, ac viribus florentem ad extrema deduxit alias ejusdem ſerpentis morſus peſtilens; Mortem, ſtupentibus univerſis, evaſit quidem, ſed membris omnibus capta vitam vixit tot annos quavis morre acerbiorem.

Ad confirmandam veneni, quod ſerpens nolifer circumfert, atrocitatem, efficacitatemque plurimum facere videtur epiſtola anno 1769. die 28. Septembris in Williamsburg Virginiæ oppido ſcripta, & ſubinde typis Vanghelianis Viennæ in ephemeridibus Germanicis anni 1770. die 6. Januarii in lucem edita. Hæc ejus eſt ſumma: Menſe Junio exeunte in Caroli-

na

na ſeptentrionali comitatus Johnſton ſerpens nola ſua crepitans nocte concubia in domum irrepſit, ubi quatuor proles humi cubabant; Minimam feriit primum venenato dente. Ejulantis parvuli clamore expergefactus pater accurrit opitulaturus. Serpentem vidit ſimul, ſimul ejus ictum ſenſit. Interea, dum, quo mortiferam beſtiam trucidaret, inſtrumentum circumſpicit, alii tres filioli mordentur. Cum feſtinatione, diligentiaque maxima, quid quid medicamentorum ſuppetit, ſauciis impenſum, ſed fructu prorſus nullo. Poſtridie ſiquidem Pater quaternis cum filiolis occubuit. Occubuiſſe omnes haud miror, miror plures dies non duraſſe illorum cruciatum, ut in Paraquaria fieri aſſolet. Sed nempe provinciarum, aeris, temperamenti varietas quemadmodum ſerpentum colores variat, ſic virus eorum acuit, minuitve. Adhæc imbecilles parvulos ſeu veneni, ſeu dolorum vehementiæ citius ſuccubuiſſe ecquis miretur? Illorum genitorem non venenato ſolum vulnere, ſed & incredibili ob filiorum jacturam animi mærore extinctum mox fuiſſe, opinor, niſi mavis dicere, ex ſerpente acrius forte irritato toxicum quoque nocentius emanaſſe, quod tantopere miſerorum mortem acceleravit. Audi, quid Quilielmus Piſo Batavus, primi nominis medicus, & ad explorandam Braſiliæ naturam a Batavis miſſus de nolifero ſerpente ſentiat: Articulus, ſeu *extremitas caudæ* (illius verba ſunt) *in anum hominis immiſſa mortem infert confeſtim; Venenum autem, quod ore, vel dentibus infert, multo lentius vitam tollit.* Poſtremum hoc meis in Paraquaria experimentis prorſus conſentaneum; Primum rationi, & naturæ; Venenum namque per viſcera introductum veluti via regia ad cor, vitæ ſedem, expugnandum, opprimendumque feſtinat. Nullumne ergo, quæres, liberalis cæterum natura exitiali huic veneno profligan-

gan-

gando par remedium ſuppeditavit? ſuppeditaverit fors plura, quæ tamen humani ingenii ſagacitas nondum detexit, Paraquariis certe ignota. Circumferuntur, haud ignoro, in libellis paſſim, & jactantur veluti divinæ quædam in hunc finem medicinæ. Verum quotquot iis uſi ſunt, verba ſibi data eſſe experiebantur. Ut adeo veriſſima Clariſſimi Sydenhamii de ægrotantibus ſententia: *Infirmi curantur in libris, moriuntur in lectis*, apud illos potiſſimum locum habeat, qui a noliſero ſerpente feriuntur. Ad hos curandos Braſili cucurbitulas applicant, quibus venenatum vulnus amplificetur, exſicceturque. Interdum membrum a ſerpente læſum junco Iacapè circumligant, ne venenum ulterius ſerpat. Aliquando cauterium parti vulneratæ adhibent. Antequam venenum ad cor pertingat, æger hauſtu Tipiocæ munitus ad ſudandum impellitur. Quibusdam Indis ſacræ inſtar anchoræ eſt ſerpentis noxii caput contuſum, vulnerique applicatum, cui remedio addunt jejuni hominis ſalivam, qua pars a ſerpente offenſa identidem mulcetur. Galenus ipſe, Plinius, Scaliger, & alii ejusmodi ſalivæ non vulgarem adverſus venenatos morſus virtutem tribuiſſe, ſcribuntur. Verum num his omnibus remediis vel unus a ſerpente hoc peſtilentiſſimo afflictus mortem arcuerit, non auſim affirmare, auſim tamen dubitare. Nam probatiſſimæ medicinæ, quæ in Paraquaria contra cujusvis ſerpentis morſum profuere, Caſſæ fuerunt ſemper, quoties a ſerpente tinnulo læſis adhibitæ. Dicant, ſcribant alii, quidquid lubuerit, ego experientia crebra confirmatus cum Georgio Marcgravio, qui in Braſilia aliquamdiu verſatus in ſua Rerum naturalium hiſtoria ait: *Serpens eſt* (Noliger ſcilicet) *apprime venenatus, nec antidotum cognitum contra illud virus.* Verum quantumvis lethiferi ſint hujus ſerpentis dentes, dum mordent, ſalutares tamen evadunt, dum medicinæ

cinæ loco applicantur. Ferunt enim, Mexicanos his dentibus collum pungere, ac cervicem ad capitis dolores avertendos. Ejusdem anguis adipe lumbos, aliasque male affecti corporis partes, atque adeo tumores quosvis utiliter oblini, putant. Caput quoque hujus ſerpentis collo ægri alligatum gutturis doloribus mederi, dicitur. Nil repugno. Sed peregrinum nobis in Paraquaria id medicamenti genus.

Primum ab hoc locum qui meretur a nocendi facultate, eſt anguis duodecim, quandoque quindecim pedes longus, vaſtus corpore, colore cinerem imitans, atris, ut timeatur, punctulis variatus, ſub ventre flaveſcens, & veneno peculiari, quod circumfert, infertque morſu, formidabilis. Braſili hunc Cucurucù, Quaranii Mboÿpè quazù vocant; Ex effectibus eundem eſſe conjicio, quem Plinius Hæmorrhoam dixit; Hæmorrhoida alii. Frequentior hic, ubi calor, cœlique humiditas, ſerpentum altrices, dominantur. Virus iſtius per ictum artubus humanis infuſum accendit venas, ebullientemque ſanguinem per buccam, nares, aures, oculos, digitorum ungues, verbo, ex omnibus corporis portis, ac poris expellit. Id, præter alios fide dignos ſcriptores, Pater Patricius Fernandez noſter in ſua Chiquitorum, apud quos annis pluribus commoratus eſt, hiſtoria memorat, aſſeritque, vix aliquem ab hoc ſerpente interimi, cum major veneni vis cum ipſo ſanguine effluat. Ego (meum in ſcribendo candorem ſuſpice) nec ejusmodi ſerpentem, nec ab illo ictum quempiam deprehendi, quamvis in Braſilia mihi propinqua non infrequentes eſſe, intellexerim, ubi caput ejusdem ſerpentis Cataplaſmatis loco inflicto vulneri applicant Indi; Tabacæ item recentia folia obiter uſtulata cauterii inſtar. Radices quoque ex Caapia, Jurepeba, Urucù, malviſco, jabo-


randy ad ciendum sudorem præbentur. Carnem hujus serpentis, capite, ubi maxima veneni portio residet, amputato rite paratam a Brasilis barbaris vorari, scribunt. In Paraquaria præter Mboÿpe quazu etiam Mboÿpe miri visitur, quæ calami, quo scribimus, crassitudinem vix excedit. Quamvis minus corporis, plus tamen veneni habet, quam major hujus nominis serpens. Talem pedibus meis insidiantem diu, cum alia arma ad manum mihi non essent, cultello jugulavi, periculo animos mihi inspirante. Resectum caput pro trophæo fuit.

Yacaninà majoribus utique serpentibus adnumeranda est, periculosioribusque. Duas, interdum tres ulnas longa humani brachii crassitiem æquat. Ultimis caudæ vertebris innixa assurgit, ac volantis instar in obvios insilire consvevit. Quiririò ipso sui conspectu vel strenuissimos terret. Moles ingens corporis valde picti, & præsentissimum, quo pollet, venenum terroris causa. Hac, qua scribo, dextera binos ejusmodi in frusta concidi: In domus nostræ hortulo primum, Indis facem mihi præferentibus: In cubiculo meo alterum. Mboÿ hobi obscure viridis, maculis nigris distinctus, & sive longitudinem, sive latitudinem spectes, prægrandis, ac veneno nocentissimo prægnans campos passim insidet. E contrario Mboÿ quatia domesticos intra parietes potissimum deprehenditur. A venusta colorum varietate nomen habet. Mole est mediocris, sed veneno admodum atroci. In fluviis, lacubusque Hydri variæ figuræ, magnitudinisque monstrosæ quam plurimi oberrant. Veneno carere putantur, formidandi tamen natantibus. Nam horrendi illorum dentes, quod arripuerunt, haud dimittunt. Corporis sui voluminibus, seu circumplexu animalia comprimunt,

ac occidunt. Horum e numero Mboyroy; Serpens frigidus a Quaraniis dicitur, quod ſtationes frigidiusculas, umbramque amet. Alter Curiyù octò, ſæpe novem ulnas longus, craſſitie tantæ longitudini reſpondente. Hic hydrus lautas Indis epulas præbet. Præ cæteris memorabilior eſt ſerpens mole vaſtiſſimus, natura innocentiſſimus, nullique mortalium timendus. Ab Hiſpanis Paraquarienſibus Ampalaba (credo, linqua Peruviana, ſeu Quichua) vocatur. A Quaraniis Mboyquazu ſerpens magnus; a Braſilis Yboyà: Ab Abiponibus Achikelr̃al: A Luſitatis cobra de veado ſerpens dorcadum: Craſſitudine viri pectus ſuperat; Longitudine hydros omnes. Colore ſpadiceo, varioque arboris vaſtiſſimæ truncum exprimit, muſco undique refertum. Dum per Jacobopolitanum territorium iter facerem. ad lacunæ fluvio dulci haud procul ab oppido Socconcho adſitæ ripas equus, quo vehebar, terrefactus repente ex via reſiliit. Quid terroris occaſio fuerit? Adoleſcens Hiſpanus Comes interrogatus mihi repoſuit: Ecquid, mi Pater, ampalabam ſerpentem in litore procumbentem non vides? Vidi equidem, ſed arboris truncum, credidi. Equi terrorem porro, meumque ex equo lapſum metuens haud ſubſiſtendum mihi putavi, quo monſtri immanis ſcintillantes oculos, breves, ſed acutiſſimos dentes, caput horrificum, varii coloris ſquamas contemplarer. Multis tamen poſt annis duos hujus generis ſerpentes in Timbo ad lacus marginem pedes attente conſideravi. Sub aquis degere ſolent, in litus tamen emergunt frequenter, quin & celſas arbores conſcendunt aliquando. Nulli unquam hominum inſidiantur, eſtque veriſimillimum, illos veneno carere, ſaltem noxio. Uno tamen ore omnes & Hiſpani, & Indi affirmant, ampalabas Cuniculis, capreis, ac dorcadibus inhiare, quæ ſcilicet animalcula ſolo ſibi at-



trahant halitu, rictuque patente, quin dentibus manderent, integra deglutiant; Quam ob rem hic ſerpens *cobra de Veado* ſerpens dorcadum a Luſitanis nuncupabatur. Ut vaſto ad damas ſorbendas gutture, ſic magna animi ad id credendum facilitate opus eſſe, cogitabis. Nunquam id a me viſum, ingenue fateor; Non tamen auſim ejus rei veritatem in dubium vocare, cujus fidem idonei authores, teſteſque oculati faciunt. Ut alios taceam, Marcgravius Braſiliæ veteranus incola, ac ſolertiſſimus naturæ inveſtigator: *Serpens hic* (Ampalaba) *vocatur a Braſilienſibus Mboÿ Guazù, id eſt, magnus; Nam vidi, qui integram capream deglutiverat* ingenue affirmavit, cujus teſtimonio Hiſpani, Indique Paraquarienſes conſonant ad unum omnes.



CAPUT XXXI.

Plura de eodem argumento, & aliis insectis.

Quod si illam Ampalabæ serpentis magnitudinem fabulosam, exaggeratamque existimes, Væ illis authoribus, qui multo incredibiliora de hoc scripsere. Lege, si vacat, Aldrovandi Librum primum de Serpentibus, paginam primam, & hæc illius verba perpende: *In tertia parte historiæ Indiæ Lusitanicæ* (suppono, de Brasilia sermonem esse) *legitur, quod ibi non longe a mari vasti reperiantur serpentes, fere semper in fluminibus degentes, quorum magnitudo a cibo arguenda est, quandoquidem cervos integros devorare dicuntur.* Lusitano historico consentit Hispanus Eusebius Nierenbergius noster in historia naturæ L. 12. cap. 17. ubi de angue stupido, Mexicanis *Canauhcoatl*, quem eundem esse cum nostra Ampalaba ex sequentibus colligo. Juvat illius verba, quæ ad rem faciunt, excerpere: *Hominis æquat crassitudinem*, inquit, eundemque dupla longitudine excedit. Incolit saxa, antraque (fors ubi amnes, & stagna desunt) & occurrenribus animalibus, ad se tractis halitu, victitat. Accidit aliquando, ut indi iter agentes insederint ei, rati truncum esse (tanta est ejus vastitas, atque stupiditas) Nec intellexerint, quam instabili, terrificæque sedi institerint, donec angue sensim præterlabente perterriti surrexerint. Innocens tamen esse dicitur, ac nullo pene noxius morsu.

Inventus eſt tantus hic coluber, ut octo & decem milites conſederint in illo, trabem aliquam eſſe putantes. Vocant Hiſpani hos angues culebras bobas, colubros ſtupidos. Cervis inſidiantur occultati frondibus circa vias, qua cervi ſolent tranſire. Cum prope accedit cervus, vi ſpiritus ſui attrahit ad ſe, ut magnes ferrum, nequeunte cervo evadere avidum os colubri (carent hoc imperio in homines) detentum halitu cervum complectuntur, circum compreſſione extinquunt, deinde adlambunt, & ſaliva ſua linentes præparant, & condiunt, ut facilius glutiant, alioqui pilorum aſperitas impedimento eſſet. Paulatim exſugunt illum integrum a pedibus usque ad caput, quod quidem propter cornua deglutire nequeunt, ſed donec putreſcat, in ore deferunt. Accidit interdum, ut formicæ patulum os ejus colubri ſubeant, eumque interimant, ulciſcentes hoc modo cervicidam. Hoc genus venationis his ſtultis anguibus indulſit natura, alioqui nulla providentia eſſet tantæ ignaviæ. Tota œconomia, & cenſus hujus *anguis eſt Spiritus*. Ita ad literam Nierenbergius, qui, quod ſciam, nunquam vidit Americam, ſed quæ aſſeruit, ex hiſtoricis Americanis accepit. Multa ſane, quæ dubiam facere poſſent ejus narrationem, atque incredibilem, in toto hoc paragrapho ſe offerunt, illis maxime, qui res novi orbis ex Europæarum aſpectu metiri conſveverunt, & quidquid cogitatione non aſſequuntur, id fidem, naturæque vires excedere pronunciant illico; Quamvis plurima alia ſeu ab elementis, ſeu a formicis, apibus, elephantis, cæteriſque beſtiis fieri quotidie videamus, quæ, qua ratione fiant, haud ſatis intelligimus, naturali tamen virtute citra prodigium facta ultro fatemur. Serpentem ampalabam, de quo nobis ſermo, tum mole, tum colore truncum prægrandis arboris, referre, ipſus ſpectavi toties; Ab illo dorcades, & id ge-

genus animalcula ipſo attrahi halitu, abſorberique, licet ipſe viderim nunquam, ſemper ab aliis audacter affirmatur, quibus eandem prope, quam oculis meis, fidem me debere, exiſtimavi. Quod ſi eadem bellua ipſos quoque cervos in Mexicanis terris glutiat, eandem iſtic eo grandiorem gigni, arbitror, quo majori Cœlum illud præ Paraquarienſi calore efferveſcit, ob quem forſitan & Cervi minores, quam Borealibus, frigidisque in provinciis. Cæterum modo, quo cervus ab ampalaba deglutiri queat, inveſtigando haud equidem cerebrum fatigabo meum; Hanc ego curam monſtroſo ſerpenti lubens relinquo. Neque illi, qui id totum fabulam putaverit, litem movebo unquam.

Quæ tamen memorata hactenus, veriſimillima evadunt, ſi modo vera ſint, quæ de portentoſis ſerpentum magnitudinibus paſſim ſcribuntur. Ariſtoteles mentionem facit de vaſtiſſimis Africæ ſerpentibus, qui ad nautas devorandos triremem aggredi non timeant. Conſpecta illic fuiſſe taurorum oſſa, refert, quos ab iisdem hydris conſumptos, plerique opinabantur. Teſte Plinio L. 8 cap. 14. in primo bello Punico Attilio Regulo Romanorum conſule jubente apud Bagadram fluvium prope Africæ litus balliſtis, tormentisque, ceu oppidum aliquod, oppugnatum, expugnatumque eſſe a militibus ſerpentem, cujus corium longum pedes viginti ſupra centum Romam allatum eſt, ut Gellius narrat. In Indiis, quæ ſolem orientem ſpectant, ad ſternendos immanes colubros ducem cum copiis excurriſſe, excubitores in ſpeculis conſtitutos alios, alios, qui inſidias tenderent, equites, peditesque miſſos, hiſtorici non ſpernendi referunt. Serpentum triginta cubitos longorum Pauſanias meminit. Si ſtraboni fides indorum Rex Porus

ſerpentem ad decem cubitos extenſum Auguſto Cæſari dono dedit. Carolus Cluſius in Exoticis ſuis pellem ſerpentis peregrini novem pedum Romanorum deſcribit; Aliam ejusdem prope longitudinis apud Magnum Ducem Hetruriæ ſibi oſtenſam Aldrovandus ait. Ælianus ſcribit, in novo orbe ſerpentium quorundam fauces tanto patere hiatu, ut capras deglutire integras poſſint, quin & tauros, Raviſio teſte. Ex conſalvi Ferdinandi Oviedo hiſtoria Generali conſtat, in Cuba Americæ ſeptentrionalis opulenta inſula naſci ſerpentes, qui latitudine femur virile, longitudine triginta pedes aſſequantur. In Uruquayo, uno ex tribus maximis Paraquariæ fluminibus, hydros ſpectari incredibilis magnitudinis, & in litore ambulantibus magnopere formidandos, novimus omnes, quotquot per illud flumen navigavimus. In Parana fluvio principe ingentes perinde hydros erectis capitibus, caudaque eminente natantes paſſim videas. Quaraniorum quondam Apoſtolus, eximiisque virtutibus conſpicuus Pater Antonius Ruyz Montoya Indum piſcationis gratia umbilicotenus aquis immerſum & ab hydro ejusmodi abſorptum vidit, ut ipſe ſcribit, quem tamen ſubinde in litore totum evomuit, ſed oſſibus adeo confractis, ut molares inter lapides contrita viderentur. Plura, quæ mihi ad probandum argumentum in promptu ſunt, in medium adferrem, tuum ni faſtidium metuerem. Haud tamen ſilentio mihi prætereundus immanis anguis, quem Quaranii Moñay vocant. Corporis amplitudine, hiante rictu, fulgurantibus oculis, dentium minacium ſerie, maculoſa, ſquamisque rigentibus obſita pelle draconis refert ſpeciem, & vel ab intrepidiſſimo citra terrorem ſpectari haud poteſt, neque citra periculum. Pater Emanuel Guttierrez noſter in nova ſancti Stanislai Colonia tunc Miſſionarius dum per Tarumenſes illas

ſo-

ſolitudines iter faceret, Yuquirÿ fluvii ripas prætergreſſus horrendam hanc belluam cominus vidit. Hanc Indus quispiam illius Comes loro prælongo, quo ad capiendos equos uti ſolent, illaqueatam, mulaque, cui inſederat, raptatam dextre, feliciterque ſuffocavit. Tantundem animorum Indis oppidi ſancti Joachimi non fuit. Hi ad viam adventuro Gubernatori Regio parandam a me miſſi paulo poſt meridiem trepidantes domum rediere, quod in denſiſſimo, ac inacceſſo nemore ad rivuli ripas latentem anguem monaÿ deprehenderint. Hauſtum animo timorem ipſo prodebant vultu. Tanti terroris cauſam rogati, verbis tremulis pro colore uſi, horrificum viſu monſtrum mihi depinxere. Abierant pauculi dies, dum eventu ſubito rem, ut erat, comprobatam ipſe vidi. Gubernatori, qui poſtridie adfuturus vano rumore nunciabatur, honoris cauſa cum Indis aliquot primoribus obviam proceſſi. Equo, cui inſidebam, ſemper alias morigero, placido, & ad quæque intrepido ſum uſus. Idem tamen, dum illi rivulo, ubi conſpectus nuper ille ſerpens, imminerem, ſubito furere, fugere, habenas negligere, calcitrare, extra viam me abripere cæpit. Monſtrum nempe illic ſua in ſpecu latitans odoratu percepit ex omnium, qui me comitabantur, Indorum ſententia, qui & ſibilum belluæ ſe ſenſiſſe, aſſerebant. Vix enim credat Europæus, quanta odorandi facultate polleant equi, mulique ad remotiſſima, quæ humanos ſenſus fugiunt, percipienda. Aquam, ſi ſitiant, tigrides, ſocios ſuos, & ſi quæ alia vel fugitant, vel appetunt, eminus præſentiunt, ut ſæpe ſumus experti. Ferox hæc bellua monaÿ nullas, certe rariſſimas ſtrages quod edat, ratio eſt, quoniam abſtruſos plerumque intra lucos, ſolitaria litora, vel ab humanis conſpectibus remotiſſimas ſpeluncas deliteſcit. Interdum ſibilo formidabili

li ſe prodit, Indosque venatui intentos de periculo commonet. Sibilare ſerpentes ex Ovidio quoque novimus, qui 3. Metamorphos: Longo caput extulit antro Cæruleus Serpens, horrendaque ſibila miſit.

Etſi omne ſerpentum genus hac illac vagetur, alii tamen ſub aquis, in ceſpite, nemoribusque alii, alii intra ædium parietes duntaxat, ac loca concava latebras quærunt. Venuſtiſſime pictus, ſed veneno violento turgidiſſimus Mboy̆ quatia, de quo ſuperius, murorum rimas, vel ruinas pro latibulo habere ſolet. Fors Cenchridis illi nomen quadrat, de qua Lucretius L. 9. *Pluribus ille notis variatam tingitur alvum.* In templo oppidi S. Joachimi quam plurimi id genus occiſi, nunquam tamen aliis, aliisque ſubnaſcentibus eliminati ſunt. Cum nusquam in tanta anguium colluvie ſecuritas, per campos, ſylvas, lacuum margines nunquam temere conſidendum, ſvadeo, niſi loco undique luſtrato, excuſſoque. Indi futurorum improvidi, periculorum fere immemores cum, ubi ubi in mentem venerit, humi ſe ſternant, idcirco toties ab occulto ſerpente feriuntur. Fatigati moleſto itinere, quod per ſylvas Mbaeverà mecum pedite pedites fecerant comites, ſub veſperum in ſtatione procubuerant, ubi palmarum ſtipites putridos, tuguriorum reliquias quaquaverſus humi ſparſas obſervavi. Circumſpicerent iterum, iterumque ſolum, quod noctem acturi occuparent, monui; Truncatas palmas, inſectorum peſtilentium receptacula loco moverent ſuo, religioſeque ſcrutarentur, vitæ ſuæ conſulerent, hortabar. Hortatibus morem gerunt meis. Sub primo, quem removerant, ſtipite ſerpentem vaſtæ molis ſeptemdecim ovis incubantem, & vel hoc nomine

mine periculosiorem me spectante detegunt. Mox alter, ac plures denique in conspectum se dedere. Ova tenui, candidaque pellicula, non cortice, constant, quernam nucem figura conica referunt, magnitudine superant. Sylvas illas, quæ Acaray, & Monday fluviis interjacent, cum calore, & humore abundent, serpentium pessimorum seminarium jure dixero. Quoties istic, barbaros investigaturus, iter feceram, fateor, plures uno die a me serpentes visos, quam alibi mensibus integris. Vix gressum tuto fiximus; Jam dextrorsum, jam sinistrorsum nobis imminuere.

Mirabar sæpe, ad arcendos serpentes a quibusdam antiquis ignem svaderi, quo eos maxime allici sum expertus. Caloris desiderio illos foco adrepere, clausis, calidisque cubiculis se se clanculum insimuare, passim vidimus. *Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.* Sapienter Virgilius anguem frigidum dixit. Galenus equidem non uno in loco frigidum serpentibus temperamentum tribuit; Ideoque frigoris externi impatientes Aristoteles affirmavit. Caussam frigoris modicam sanguinis portiunculam Plinius assignat. Eo certe acriori frigore laborant angues, quo copiosiori, violentiorique veneno turgescunt. Hinc a serpente ictis mox sanguis constringitur; Corporis extremitates, cum ad illas circulando non pertingat, rigent, frigentque. Eccur ova serpentina tenui, tenerrimaque pellicula teguntur, nisi ob innatum serpentibus frigus? Gallinæ equidem, quoniam calore abundant, ova firmi corticis edunt. Frigere serpentes, calorique inhiare, quotidiana nos id docuerunt experimenta. Per immensas Paraquariæ solitudines multis sæpe hebdomadibus sub dio agendæ noctes. Cœlum nobis pro tecto, pro lecto

so-

ſolum eſt. Patente in campo pernoctaturi vixdum poſito humi foco angues in propinquo latentes adrepere vidimus ſe ſe Calefaciendi ſtudio. Si quando noctes Auſtrali vento frigidiuſculæ ingruant, ſub equorum ſtragulis, ephippiisque humi abjectis ſe abdunt, quamvis, niſi laceſſantur, citra ullius noxam, cum præter calorem ſibi quærant nihil. Hiſpani milites dum ſub Auroram mihi equum inſtraverant, ſub ephippiis meis, quæ mihi dormienti pro cervicali ſemper fuere, ſerpentem immanem, viridem, nigerrimis maculis diſtinctum, & in ſpiram convolutum deprehenderunt. Ad talis, qui meo ſub capite dormiverat, ſocii conſpectum quis mihi animus fuerit, pronum eſt conjicere. Obſervavimus, ſerpentes ſtragulis laneis equi ſudore madentibus inhiare, quæ proin ad removendum periculum ab humanis corporibus longe removenda. Humo pluſculum frigescente apricationis, ſoliſque captandi gratia tuguriorum, quin & ſacræ ædiculæ tecta conſcendunt ſerpentes, indeque aere noctu exaſperato in cubicula maximo illic verſantium periculo delabuntur. In recenti Conceptionis Divinæ Matris Colonia noctu dormiens ſiniſtrum mihi pedem ſenſeram conſtringi. Dolore expergefactus ſerpentem ſuræ implexum adverti, qui tamen validà pedis agitatione excuſſus cum ſtrepitu humum decidit. Cum mihi luminis copia haud eſſet, nec dormire porro auſus ſum, nec lecto exire, majoris periculi metu; Nam, quo loco ſerpens ille jaceret, per cubiculi tenebras videre mihi non licuit. Interea ſocius meus Joſephus Sanchez tenui pariete a me diviſus, clamoribusque meis excitatus accurrit; Candelam ardentem manu gerens ſerpentem ſub lecto meo conſpicatus, illi mortiferum caput ſecuri obvia demeſſuit. Hic niſi periculi mei oculatus teſtis extitiſſet, quidni tota hæc, ut eſt,

chi-

historia pro fabula, vel somnio habita fuisset. Quoties vesperi lumen infertur cubiculo, sollicite claudendæ fores; conspecta enim luce serpentes propinqui confestim ædibus irrepunt. Hi sæpe in cubiculis e latere cocto, vel saxo structis. imbrice tectis, nulla rima fatiscentibus, portis, fenestrisque solertissime clausis comparent repente, ut, qua parte aditum invenerint, nemo unus vel divinando assequatur. Scilicet serpens callidior erat cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus, ut divinus ait Historicus L. Genes. cap. 3. Id dudum expertus sociorum meorum aliquis tanto serpentum metu correptus est, ut nunquam somnum capere auderet, nisi postquam mensam, sedilia, lectum, omnes cubiculi sui angulos baculo excussisset diligenter. Risi sæpe anxiam boni senis, sed non supervacaneam sollicitudinem. Ubicunque enim versabatur, serpentes sibi propinquantes deprehendit. Ut hominum aliqui præ aliis culicibus, pulicibus, cimicibus, sic serpentium incursioni magis obnoxii videntur. Quid si calidioribus eorum exhalationibus venenatæ hæ, ac frigidæ bestiæ attrahantur, alliciantur que? Istæ quamvis ambulantibus, sedentibusve timendæ sint, plus tamen dormientibus, quos dum motus expertes sentiunt, minus timent, & nil tale veritos per insidias feriunt plerumque.

Neque tamen desiderantur angues audaculi, qui aperto Marte obvios sibi quosque incessunt, saltando assequuntur, & nisi fuga elusi, vel armis strati, dentem ferociter infigunt. Plurimos variis in locis adversus me assilientes, hiante rictu, minaci lingua pedibus meis propinquantes, sæpius periculo, quam dexteritate majori, trucidavi. In ictus velocitate ad ejusmodi victorias plurimum est momenti. Procenturio Hispanus mihi affirmaverat, Ceutæ in Africa serpentem

gran-

grandiorem in comilitonem ſuum Dymacham equo inſidentem aſſiliiſſe noctu, infixisque ocreæ illius dentibus venenum, necemque miſero attuliſſe. Id neutiquam incredibile mihi viſum, poſtquam e ſcaligero didici, Circa Dertonam ſerpentem haſta fuiſſe interfectum, ejusque venenum per haſtam ad interfectoris dexteram derivatum mortem illi, & cui inſederat, equo acciviſſe. Affine huic experimentum de paſtore Matthiolus recitat. Venenato beſtiæ expirantis halitu afflatum equum, ſeſſorem, paſtoremque illum, veroſimilius puto, Pomponii Melæ nixus authoritate, qui ſcribit: Circa Rhymdacum amnem Bithyniæ confinem angues gigni ſæviſſimos, qui in campo apricantes hiant ſæpius, & ſupra ſe volitantes aves anhelitu afflant tam peſtilente, ut ex aere mox decidant, avidisque ſubinde anguium faucibus glutiantur. Idem Petrus Maffeius noſter in Hiſtoriis Indicis confirmat, En illius verba Lib. 2. *In eadem regione* (Cananoris in Indiis orientalibus) *Serpentium, & anguium adeo teter, ac noxius eſt halitus, ut afflatu ipſo necare perhibeantur.* Hæc ut ut veriſſima eſſe, permittamus, nunquam tamen dubitavero, venenato ſerpentium morſu plures, quam halitu perire. Mihi equidem Indis conquirendis, imbuendis, alendisque ſemper occupatiſſimo Serpentina ſecare corpora, eorum artus, ſtructuramque curatius inſpicere vacavit nunquam; Illi, quorum id erat negotium, aſſerunt, viperarum, ſerpentiumque dentes a radice concavos, curvosque eſſe, & in cuſpidem bifidam deſinere, e qua, dum irritantur, venenum ejaculantur, in illa dentium caninorum penes radices cavernula aſſervatum. Neque tamen id omnibus commune putes, velim. Innoxios enim, miteſque, quod de Hiſpaniola ſcripſit Ælianus, ſerpentes Paraquaria procreat, qui vel veneno carent, vel lubidine nocendi, niſi a prætereunte offendantur,

Nam

Nam & muſcis ſua bilis ineſt. Homines iratos paſſim Teutonica lingua venenatos dicimus, bile ſcilicet ebulliente. Ex mente quidem Plinii venenum ſerpentis nil aliud eſt, quam fel, quod ſenſim per venas ad veſicas oris pervenit, ubi ſecus dentes continetur, iisque in obvios vibratur. Quod ſi enim per totum ſe ſe corpus effunderet, totum animal venenatum eſſe oporteret. Quod longe a vero eſt, cum ſerpentes plurimi capite, cauda, felle, ac viſceribus rejectis pro cibo, imo pro cupediis habeantur ab Americanis plurimis, quibus equidem id non invideo.

Serpentes alias ova parere, alias fœtus vivos edere, quis ignorat? De ovis a me repertis paulo ante mentionem feci. Ex ſerpentinis cadaveribus ſobolem ſerpentinam naſci, credunt Americani. Hinc angues quosvis a ſe interemptos ab ædibus longiſſime removent ſuis, neque humi temere abjiciunt, ſed arbori, ſepibusve appendunt, ut aere, ſolisque æſtu ſiccati, ac terræ humore deſtituti aliorum ſeminarium nequeant fieri. In finitima Paraquariæ Braſilia duo e noſtris ſociis anguem horrendum viſu, ſed jam exanimem ruri deprehenderant, cui anguis parvulus, ſed vivus, adhæſit. Reſumptis a primo terrore animis acceſſere propius, & exagitato baculis cadavere undecim anguiculi, inde ſcilicet nati, prorepſerunt. Facti, quod mihi indubitatum, rationes phyſici diſcutiant. De ſerpentibus bicipitibus, coronatis, unicornibus, bicornibus &c, multa apud Albertum magnum, apud alios ejusdem ævi, quid ſi & apud recentiores quospiam, invenies, miranda potius, quam credenda. Ego quidem ejusmodi monſtra nusquam deprehendi, niſi in veterum libris. Nolim tamen eſſe eorum ex numero, qui, quæ non vide-



rint ipsi, nusqnam gentium existere impudenter affirmant. Quod enim nunquam vidit America, quotidianum forte, ac vulgare in Africa, Asiave. Non omnis equidem tellus fert omnia. Monstrosorum tamen serpentium imagines, fabulosas, & in cerebro duntaxat hominum natas non possum non suspicari. Ut enim nonnullis lubuit historicis homines acephalos, in pectore solum oculatos, vel struthionum pedibus instructos fabulari; Eccur serpentibus jam coronas, jam cornua, jam plura capita affingere, appingereque non auderent? Noverant profecto historiæ suæ eo plus pretii, plaususque a credulo vulgo tribuendum, quo rariora, incredibiloraque narraverint. Sæpe ab oculis delusi suis falsa pro veris scripserunt. Exemplum unicum pro multis sit. Serpens, quem Cæciliam, vel amphisbænam, germanica lingua Blindschleiche, Quaranica Ybiyà dicimus, passim biceps ab authoribus fertur, ast perperam. In hunc errorem inducti sunt, tum quia & cauda, & lingua ictum venenatum infert; Tum quia caput, & cauda, quæ eiusdem sunt molis, ac formæ, vix discerni possunt, nisi obtutu fixo considerentur. Minutissima duo punctula habet pro oculis; Habet & anum sub caudæ extremitate. Corpus crassitudinem minimi digiti æquat; Longitudine palmum excedit. Coloris est vitrei candentis, annulis, lineisque ænei coloris eleganter variatur. Degit sub terra, formicisque alitur. Illius venenum magnopere formidandum.

Serpentigenum agmen claudant terna insecta ob venenum affinia. Scolopendra Hispanis Cientopies, Quaraniis Yapeuzà, Abiponibus Kapalkatai, corpus habet teres, ac Cylindricum, spithamam longum, geminum viri pollicem latum, cortice duriusculo, qui ad cartilaginem accedit, cinerei coloris tegitur, a

capi-

capite ad caudam pedibus ſcatet, quos numerare nec volui, nec facile potui. Virus ſerpentino propemodum par alit, morſuque ſuo ut doloris, ſic periculi multum creat. Poſt annos octodecim in Paraquaria jam exactos vidi denique, & ſenſi ſolo mihi nomine prius notam beſtiam. Meridiantem me meo in cubiculo momordit. Expergefactus intervallum, quod digitum minimum inter eſt, & annularem ſiniſtræ manus rubere primum, mox & tumeſcere, & dolere adverti. Augeſcente in horas tumore, ardoreque a venenato animalculo ictum me „ dubitare porro non licuit Sub veſperum medicinam, de qua inferius plura, applicui. Prima nocte cubiculo inambulans fabrilia inter inſtrumenta ſub ſcamno latentia clangorem edi inſolitum, percepi. Adhibito lumine ſcolopendram, quæ me feriit, deprehendi, mactavi, ac poſtridie in ambitu domus ſuſpenſam Indis exhibui; Iſti hanc peſtem per domos, per campos, ac fluminum ripas a ſe ſæpe videri, ſemper ob veneni perniciem reformidari uno omnes ore fatebantur. Scolopendram cum Oniſco cave confundas. Hunc Quaranii ambua dicunt. Vermis eſt fuſcus, rotundus, digitos duos longus, pluma, qua ſcribitur, anſeris vix craſſior. Corpus pilis aſperis, ſed eleganter flavis veſtitur. In capite maculæ candidæ hinc, & illinc duplici ſerie eminent. Octo pedibus curtis, ſed craſſis graditur. Quam corporis partem attigerit, inflammat vehementer, ut adeo veneni expers putari haud poſſit. Scorpios, Hiſpanis *Alacranes*, Quaraniis *Yapeuza* (quod nomen & Scolopendræ) Abiponibus *Kapalkatailate* Scloopendræ matres, ab Europæis figura nil differre, veneno tamen eſſe mitiori, faciliorique curatu dicunt. In Paraquaria Scorpios rariſſimos exiſtere, opinor, cum pleriſque provinciæ angulis peragratis per duo decennia nullum uſquam viderim, neminem unquam

ab illis læſum, intellexerim, Illud memini: In Conceptionis oppido, Hiſpanum pecorum cuſtodem, dum ægrotaret, domi noſtræ decumbentem a Scorpio, qui ex pariete ſemel, iterum, ac tertio caput exeruit, fuiſſe perterritum, ejusque metu noctem inſomnem egiſſe, manu contra beſtiam ſibi minitantem ſemper cultrô armatâ. Araneorum (Quaraniis *Ñandù*, Abiponibus *aualiñi*) ſpecies, figuræque variæ ubique locorum ſe offerunt. Per parietes paſſim repentes videas, qui corpus tabulæ inſtar complanatum habent, & a Quaraniis *ñandupè*, ab Hiſpanis *arañas çhatas* appellantur. Abundant veneno. Cane pejus, & angue fugiendi aranei prægrandes, quos Hiſpani arañas peludas, id eſt, hirſutas, Quaranii N*anduguazu* grandes appellant iidem fortaſſis, qui a latinis phalangia dicuntur. Illorum corpus tres circiter digitos longum e duabus partibus componitur. Anterior pars major eſt, duos prope digitos longa, ſesquidigitum lata, ac non nihil compreſſa. Poſterior ad figuram ſphæricam accedit magis, ac tum magnitudine, tum forma nucem muſcatam exprimit. Tergus perforatum umbilici ſupplet vices. Exilia duo punctula ocelli ſunt fulgurantes. Dentes longi, & peracuti ob eximiam pulchritudinem a variis auro clauduntur, ad dentes ſcalpendos, ad alios ſerviunt uſus. Tota aranei hujus cutis pilis curtis nigricantibus veſtitur, qui tamen adeo ſvaves, ac blandi, ut, ſi tangantur, ſerici videantur. Decem crura longa, pluribus, paucioribusve internodiis diſtincta, undique hirſuta numerat, quorum ſingula in forcipulam, qua cancri gaudent, deſinunt. Hæc crura pedum, manuumque officio funguntur. Irritatus mordet obvios. Morſum, vix oculis ſpectabilem, humiditas quædam, lividus tumor, & qui inde conſequitur, dolor acerrimus detegit. Aranei virus humanis corporibus ingeſtum non periculoſum mo-

modo, ſed & lethale experti ſumus; Remedia ad ſerpentinum vulnus perſanandum opportuna pluribus ab araneo grandi ictis vix demum vitam ſervarunt. Hoc araneorum genus in ſepibus, arborum cavernis, murorumque ruinis, ubi reliquorum more telæ texendæ inſudant, potiſſimum deliteſcunt. De aliis Paraquariæ inſectis ſeu noxiis, ſeu moleſtis mox diſſeremus. Nunc ad remedia properandum. Nam ubi e veneno morbus, mora nulla periculo caret.

CAPUT XXXII.

De remediis contra venenatos inſectorum ictus.

Quibus demum præſidiis jam adverſus lethifera inſecta ſe ſe tueantur mortales, jam receptum virus e corporibus depellant ſuis, hoc loco explanandum venit. Vetuſti codices liberaliter ſuggerunt modos arcendi ſerpentes, terrendique. Aſt quis Americam aliquamdiu expertus illa veterum conſilia pleraque non explodat? Quippe implendis librorum foliis utilia, nulli præterea uſui futura. Paucula adferam. Timeri a ſerpentibus hominem, veteres quidam aſſerunt. Iſidorus L. 12. origin. cap. 4. Timeri quidem hominem, fatetur, a ſerpentibus, non tamen veſtitum, ſed nudum. Nam nudum duntaxat hominem dominum cognoſcunt ſuum, ac verentur. Quod ſi ita, quis, amabo, ab anguium morſibus liberior, quis immunior nudiſſi-

mis barbaris? qui tamen mordentur frequentissime. Ego enimvero a capite ad calcem loricatus undique longe tutiorem me inter anguium insidias existimabo. Si quis dormiens a serpentibus sibi male metuit, ex Avicenæ consilio domi suæ alat pavones, Grues, Cycnos, vel Ciconias serpentini generis inimicas aves. Quod si has perinde, ut olim Capitolii anseres totis noctibus vigilaturas, novero, serpentes propinquos nec suspicabor, nec dormiens somniabo. Rutam, absynthium, artemisiam, abrotanum, libanotidem &c. infestas serpentibus herbas circa ædes plantandas, svadent alii. Morem gererem amicis monitis, nisi hac ratione vel lectus ad hortum, vel hortus ad lectum quotidie transferendus esset, quid si nullo operæ pretio? Nam serpentes plures, plures a serpentibus sauciatos nusquam vidi, quam in S. Joachimi oppido, cujus tamen forum, ac plateæ omnes artemisia ubique pullulante sylvescunt. Nullus, quod sciam, in triginta duobus Quaraniorum oppidis est hortus, qui ruta, roremarino, absynthio, & quibus non aliis herbis non abundaret; At sub his quot, quantique angues delitescunt! ut extra serpentum timorem tuto cubes, ignem tibi propinquum statue, alii hortantur. Jam dixi, serpentes natura frigidos calorem appetere, ad focum, ad lucem candeæ properare. Galenus suffimentum ex radice lilii, aut ex foliis oregani imperat. Alii ex pelle, cornuve cervi, ex veteramentariorum coriis, ex cornu capreæ, vel dorcadis, ex elephanti dente, vel pelle, ex nasturtio, sulphure, bitumine exustis fumum quorumcunque anguium terrorem ac exilium esse affirmant, confirmantque experimento Romanorum: Milites Catonis in Africa a serpentibus usque vexati accenso ebulo, Galbano, centaurea, abrotano &c. periculo se, molestiaque priori expediverunt, Lucano teste L. 9. de bello Civili.

Con-

Concedamus, ejusmodi rerum fumantium exhalatione teterrima fugandos ſerpentes; Sed nos quoque ex ædibus eadem de cauſa fugituros, nemo dubitet; Ecquis enim noſtrum nares mephiti tantæ pares ſibi polliceatur? Ad hæc fumus operoſum, & fluxum adverſus ſerpentes remedium, fuerit. Durabit ſerpentium metus, ac abſentia, dum fumus duraverit quovis auræ impulſu mox diſſipandus. Ad perpetuandum fumum ignem alere perpetuum oportebit; Hic labor, hoc opus, & ſolis profecto veſtalibus tolerabile. Num erit quispiam, qui in diuturnis per vaſtas ſolitudines itineribus has herbas, has, fumi ſcilicet materiam, quisquilias bajulare aut velit, aut poſſit? Ex Plinii, lucretiique mente jejuni hominis ſaliva ſerpenti mortifera eſt, ſi ejus faucibus injiciatur. Ita ſit. Sed nunquid majus operæ compendium fuerit, tutiusque, ſerpentem ſtipite, vel quovis demum modo obtruncare, quam ejus, ut conſpuere ſaliva poſſis, fauces aperire? Quis adeo intrepidus, vel potius adeo ſtupidus, ut id auſit? Adeo dexter, ut citra noxæ periculum id poſſit?

Dicam, quod ſentio. Probantur mihi præ iſtis veterum induſtriis Americanorum adverſus ſerpentes remedia, tum quia expeditiora, promptioraque, tum quia illorum utilitas longo uſu explorata. Haud tamen hæc omnia ſemper tam certa pronuntiavero, ut illorum uſus utentium expectationem, ac vota nunquam prorſus eludat, quæ quidem prærogativa neque exquiſitiſſimis Europæorum conceſſa eſt medicamentis, ut quotidie experimur. Quaranii Chriſtiani, quoties ad Barbaros in ſylvis conquirendos me comitabantur, allium recens, e cingulo ſuſpenſum geſtabant. In tanta ſerpentium, quos ſpectavimus, frequentia nemo unus meorum læſus

ab iis fuit. Indorum exemplo allium e filo pendulum habui ad lectum semper, postquam, ut dixi, dormiens a serpente fueram invasus. Allii odorem serpentibus adversari, & veteres docuerunt, & rustici nôrunt, qui amphoris, in quibus lac asservant domi, alliorum succum affricant, ne serpentes, lactis avidissimi, clanculum irrepant. Hanc tamen de allii virtute a me conceptam fiduciam haud mediocriter imminuit sociorum meorum aliquis, qui serpentem plantæ allii inhærentem in horto conspexit. Sed nempe aliam virtutem plantæ folia, aliam ejus radix, ac fructus ipse passim habere consvevit. Quid si allium solum, non illius frondes serpens perhorrescat? Abipones, Mocobiique equites vel e collo, vel e brachio suspendunt Crocodili dentem, insigne, ut sibi persvadent, quorumcuuque anquium terriculum. Hos barbaros non pauci Missionarii, Hispani plerique imitantur, dentesque ejus bestiæ non levi sæpe pretio mercari solent. Hispanos novi, qui dum cervinæ pellis segmen corpori admotum suo circumferunt, serpentinis se ictibus nunquam obnoxios, putant. Et vero cervos, dorcadesque innato odio in serpentes ferri, videmus. Cervorum, dorcadumque seu pelle, seu cornibus serpentinos averti ictus humano a Corpore, omnis certe antiquitas opinabatur. Nec desunt, qui manus, pedesve suos raphani succo perungunt, seque adversus venena munitos, credunt. Hæc vel singula, vel omnia aspernari non ausim, quia Americanorum sunt experimenta. Prosunt istis multa, quamvis eorum virtus necdum perspecta sagacissimis Europæis. Prudentis est, his Americanorum industriis, præsidiisque nunquam tantum confidere, ut cautus esse desinat, & periculi obliviscatur, quod a serpentibus ibi maxime, ubi nullum apparet.

Qua-

Quapropter omnibus, ut circumſpectione pro viribus utantur, Americanis author eſſem. Si quando meridiandum in campo, pernoctandumve, ſtationem ſibi deligant dumetis, arundinibus, cavernis vacuam, a ſtagnorum, amniumque ripis remotiorem. Circumferant oculos. Adultum gramen, truncos putridos, fruticum, rupiumque latebras iterum iterumque excutiant, ſicubi conſidere lubuerit, vel cubare. Hujus conſilii fere immemores Indi ſerpentinis ſe ſe dentibus propinant frequenter. ut glans locum, quem e quercu decidens occupaverit, tenet; ſic illi, ubi ubi eos quieſcendi lubido inceſſerit, improvide ſe humi abjiciunt. Nulla ſerpentium aut cura, aut formidine in utramque dormiunt aurem, ac vel ideo ſerpentino ore ſauciati cum ejulatu expergiſcuntur perſæpe. Iter nudis pedibus proſequentes oculos ſpeculandis per aerem avibus, ſimiisque in arbore ludentibus affigunt, dum periculoſum, quod calcant, ſolum ad paſſus ſingulos contueri oportebat: Abipones, quia equites, quia circumſpectiores, rarius a ſerpentibus offenduntur. Quaranii, quia pedites plerumque, quia minus providi, frequentiſſime. In S. Joachimi oppido, ubi Cœlum æſtuat magis, tellus paludibus, rivis, ſylvisque cingitur, copioſior venenatorum animalculorum progenies exiſtit. Vix una hebdomas abiit, qua Indos aliquot a ſerpentibus læſos non videremus; Indas multo rarius, quia hæ domi occupatæ campos, ſylvasque rariſſime percurſant, quia cautiores, timidioresque; Niſi forte tibi in mentem veniat dicere: fœminas præ maribus ſeu amari, ſeu formidari a ſerpentibus, atque idcirco rarius invadi. Toto, quod in dicto oppido egi, octennio a ſerpentibus variis icti ſunt quam plurimi; ſed, quod ſtupeas, præter juvenes duos ab angue nolifero enectos, nemo oc-

cubuit; omnes uno, eodemque remedio feliciter persanati fuere. Aures jam, animumque adverte, dum Cœleste illud, ac prodigio simillimum medicamen, veneni mortem, vitamque veneno infectorum tibi patefacio, tam ignotum extra Paraquariam, quam salutare Paraquariensibus. Flos est candidissimus Europæo lilio, si frondes, stipitem, folia, odorem consideres, omnia simillimus, nisi quod isto aliquantulum sit minor. Ab Hispanis nardus dicitur. Quocunque in solo provenit; quavis anni parte viget, nec Cœli siccitate longiori, neque pruinis marcescit. Hunc florem a serpente afflictis saluberrimum nec in horto Europæo, neque in libris, qui de floribus agunt, uspiam deprehendi. Quid, quod & herbariæ artis scientissimi a me toties rogati hunc florem penitissime ignorant. Omnes nardi species diligenter speculatus nardum nostram Paraquariensem ad nullam illarum referri posse, perspexi. Quid si esset nardus Celtica, seu spica nardi Italica, flos Sanctæ Magdalenæ? De hac enim Joannes Woyts in Gazophylacio medico-physico affirmat, contra morsus venenatorum animalium, & febres pestilentes eam plurimum conducere. Verum illius descriptio nardo nostræ Paraquariensi neutiquam convenit. Idem author mentionem facit de *Flore indico liliorum arborescente*, quem D. Hesse in Hollandia den Indianischen Blumenbaum appellari affetit. Dicitur candidis liliis similes, & fragrantissimi odoris flores habere, & hyeme juxta, ac ætate virere, sed figura myrti arboris similitudinem referre. Ex quo palam fit, hunc florem Indicum a nardo nostra omnino differre; cum qua nullam pariter affinitatem habet nardus Peruviana, quam serenissimus, & omni ex parte celeberrimus Princeps Wenceslaus Liechtenstein Viennæ Austriæ, Liquori innatantem, suo in pala-

tio

tio mihi exhibuit. Clariſſimus Nicolaus jacquin botanicæ in Vindobonenſi Academia magiſter, ab Auguſtiſſimo Cæſare Franciſco olim ad luſtrandam Americam miſſus, quid demum nardus illa Paraquariæ celebris eſſet, ignorare ſe, candide fatebatur. Quamvis igitur, quo nomine appelletur ab Europæis populis noſtra illa nardus, adhuc neſciam, illius uſum explicabo. Radicem hujus floris ſiccatam, recentemve in particulas tenues comminutam vino cremato aliquamdiu immergimus. Idem ſubinde liquor cum radice partim vulneri, quod ſerpens inflixit, applicatur, partim, vulnerato bibendus porrigitur. Una vice id præſtitiſſe ſufficit plerumque. Quod ſi tamen idem iterum, ac tertio repetieris, veneni vis extinguitur, tumor evaneſcit, vulnus coit. Quo citius hoc remedium adhibueris, eo facilius, eo certius veneni progreſſum cohibebis. Conſtanti octodecim annorum experientia edoctus cæteris quibusque medicamentis hoc præferendum, affirmo. Hoc equidem de veneno cujusdemumcunque (Noligerum excipio) ſerpentis ſemper triumphavit. Indorum, quos iſta nardi radice perſanavi, numerum inire haud poſſum; Poſſum tamen aſſeverantiſſime dicere, illius uſum nunquam caſſum, irritumque fuiſſe. Indum Guaranium humi cubantem ruri ſerpens momordit, dente natibus infixo. Ad oppidum meum ut adrepſit miſer, ſacris a me præſidiis ad mortem præparatus eſt, quam & vulneris intumeſcentis atrociſſimus dolor, & inſolens, quem dolor extorſit, ægri ejulatus comminabatur. Non niſi paucæ vini cremati guttæ mihi ſupererant domi, has ergo cum nardi radice vulneri, vulneratoque adhibui primum. Mox, cum virus necdum e corpore exterminatum acerrimus dolor indicaret, radice cum vino ſimplici, quod

cremato ſubſtitui, denuo uſus poſt triduum convaluiſſe ægrum, vidi.

Neque tam parca fuit natura, ut præter nardum, quæ nec omnibus nota, nullum præterea adverſus ſerpentum ictus remedium miſeris mortalibus ſuppeditaret. Varia apud varias gentes ſunt in uſu. Ex plurimis paucula memorabo. Tabacæ folium eximia adverſus ſerpentinos ictus virtute pollere, nemo unus inficiabitur. Quaranium cum ſociis in itinere meridiantem binis in dextro pede ictibus anguis vulneravit. Medicinam rogor. Nardum utique, ſi ad manum fuiſſet, porrexiſſem. Multas ab oppido leucas abfuimus. Conſilium in arena. Ut impoſito ori tabacæ folio confeſtim exſugat, utrumque vulnus, vulnerati patrem ſeniculum, hortor. Is id a ſe jam præſtitum, reſpondet. Tabacæ accenſæ fumum ut inhalet vulneribus, iisdem manſam prius dentibus tabacam cataplaſmatis loco applicet; Vulneratus ipſe tabacam ut mandat, ejus ſuccum glutiat, ejuſdem fumum arundine liberaliter hauriat, moneo. Phialam cremati vini (quod maximi ad curanda varia in itineribus eſt uſus) potandam præbeo. His denique reculis compreſſum virus, vires ægro tantæ, ut baculo nixus, cætera incolumis, iter nobiſcum ad oppidum proſequeretur. Vini cremati ardore peſtilens veneni frigus retunditur, ſanguinis, ac ſtomachi Calor mirum in modum reſtauratur; Ad utrumque certius impetrandum multiplex tabacæ uſus plurimum confert. Nam, ut P. Joſephus Gumilla expertus eſt, ſerpentes, ſi eorum faucibus tabacæ folium intrudatur, protinus emoriuntur. Ex eodem authore novimus, in novo regno Granatenſi Americanos pulverem pyrium vino cremato admixtum ad curandos ſerpentum morſus bibere, ac

cura-

curari. Nec mirum: Calidis frigidum venenum expelli. Abipones, Mocobii, Tobæ, equeſtres Paraquariæ populi, ut primum a ſerpente ictos ſe ſentiunt, vulneri ceram virginem, nondum igne excoctam, admovent, quæ ſcilicet hauſtum corpore venenum ſibi attrahere putatur. Alias illud a ſuis medicis exſugi, petunt. Interdum cultro Crocodili dentem radunt, ſcobemque illam cum aqua bibunt, ſimul patenti vulneri Crocodili dentem integrum arctiſſime adſtringunt. Hoc ſe remedio affirmant conſanari. Eadem Hiſpanorum fiducia. Pharmacopœus noſter cordubæ Tucumanorum iſtam Crocodili dentium virtutem experturus, eandem veneni atrociſſimi portionem cum carnis bubulæ fruſto binis canibus objecit. Horum unius collo Crocodili dentem alligavit, non item alterius. Hoc ſecundo poſt horas pauculas extincto primum ſuperſtitem ope dentis illius, ſalvumque extitiſſe, narrant. Iſtis tamen omnibus induci nunquam potui, ut ſpes meas in Crocodili celebrato dente collocarem. Canis a ſerpente tacti collo plumas ſtruthionis circumdant Abipones, idque remedium a ſuis ſe accepiſſe majoribus mihi aſſeverarunt, meliora ſcilicet ignorantibus.

Magnis in Cœlum laudibus paſſim effertur Piedra de cobra luſitanis, ſeu lapis ſerpentinus cinerei, interdum nigri coloris, variæ magnitudinis. Magnes venenorum creditur; Nam ut ille ferrum ſibi attrahit, ſic lapis hic venenato vulneri applicitus virus omne abſorbet. Eundem in finem porro ſervire ut queat, lacti immergitur, in quod venenum a lapide hauſtum effundi, ajunt. Mercium Indicarum nundinatores huic lapidi pretium ut adderent, illi patriam, originem, & nomenclationem affinxiſſe, videntur. Ajunt enim, illum in quibusdam ſolum Magni Mogo-

go-

goris provinciis in serpentis, quem cobra de capello, appellant, visceribus inveniri. Re tamen ipsa clarissimo Kæmpfero, aliisque videtur arte factus, & nil aliud, quam segmentum ossis cervini, vel bubuli semiusti, aut calcinati esse, id quod ex illius poris vel obiter inspicienti patet. Ast nempe felem pro lepore, vitrum pro adamante, pruna sicca pro tamarindis vendi ignorantibus, neque novum, neque rarum est. Quidquid demum sit, quod piedra de cobra vulgo dicitur, illud cuti humanæ, & vulneri adhærescere, expertus sum. Num venenum exsugat, adhuc ignoro. Neque etiam contendo, in aliqua orbis plaga serpentem existere non posse, e quo forsitan lapillus eruatur, curandis serpentum vulneribus idoneus. Sicubi talis existat, vero est simile, a mercatoribus ad ejus imitationem quæstus gratia animalium ossa ope ignis concinnata, calcinataque, uti videmus, fuisse. Ejusmodi fraudibus quoties eheu circumveniuntur creduli Europæi! lapis, qui in stomacho hystricis reperitur aliquando, magni est in medicina usus, maximique in Europa pretii. Hystrix, quæ vulgo Porcospin, a Germanis Das stachel schwein, Porc-epic a Gallis vocatur, & herinaceorum instar aculeis in tergo tegitur, in Indiis orientalibus, ac præsertim in territoriis Malacæ est frequentior. In hujus stomacho, uti lapis Bezoardicus varius apud alces, huanacos, bicuñas, rupi-capras sæpe deprehenditur, lapis quidam pomi instar globosus variæ molis interdum procreari solet, qui reticulo ex filis aureis scite circumdatus, dum ex Indiis adfertur, trecentis, sæpe quadringentis florenis germanicis Ulyssipone venditur, quod, eadem in urbe dum anno 1748. per septem menses classem præstolatus versabar, ex viro illustri intellexeram; Idem mihi significavit, per homines Europæos,

quæ-

quæſtus avidos, in Indiis hyſtricis occiſæ viſcera ſiccari, comminui, & neſcio, quibus admixtis, ita componi, ut illa denique maſſa indureſcat, ac pretioſi lapidis, qui in hyſtricum ſtomachis coaleſcit, figuram mentiatur, magnoque ſubinde pretio veneat in Europa. Lapides iſti ſi non eandem, ſaltem aliquam ad curandos morbos virtutem habere putantur, qua genuini, & naturales ſolent pollere. Viderint emptores, viderint medici. Mihi profecto omnis uſus hujus lapidis (la piedra del porco) etiamnum eſt peregrinus. Quis neſcit, rerum Indicarum mercatores pari fraude, ac lucri aviditate tabellas atramenti ſinenſis ſinenſibus characteribus inſignitas (quæ architectis potiſſimum ſunt uſui, & a Gallis Encre de la Chine, a Germanis Tuſche vel chineſische Dinte appellantur) frequentiſſime imitari, ac confingere, ſed a peritioribus facile dignoſci a genuinis. Putatur id atramenti genus ex terra nigra reſinoſa, vel, ut celeberrimus Trigautius noſter illarum gentium Apoſtolus autumat, ex fuligine, & fumo olei olivarum a ſinenſibus parari. Sed hem! la piedra de cobra quantum me a via abduxit! Multos tamen non pigebit hoc noſſe.

Allium venenatis morſibus inſigniter mederi, priſci medici exiſtimarunt. Avicena fatetur illius utilitatem ſibi dudum compertam. Matthiolus quoque allium eſitandum, vinumque dilutum a ſerpente ictis ſvadet. Vomitum procurare, theriacam aliquam ſumere, vulnus frigida abluere, at demum regionem veſicæ calentibus ſpongiis fovere tales jubet præterea. Si Volaterrano credimus, quem Mizaldus Centuria 8. adfert; In ruſtici dormientis fauces, neſcio, quis anguis irrepſerat; Ille ſomno excuſſo alliorum eſu convaluit. Quantum adverſus venena poſſit allium,

experimento id comprobatum meo accipe. Indus Quaranius, dum horti ſepes componeret, a latente ibi araneo hirſuto, quem ſupra deſcripſi, morſus in pede eſt. Dolorem ſenſit, ſed imprudens ſilentio concoxit. Veneno vires exerente ſuas femur ſibi magis magisque intumeſcere, ipſum jam torqueri ſtomachum advertit, ac periculum, quod erat, ſuſpicatus denique a me opem poſcit. Juſculum ex carne bubula, quam copioſo cum allio coquendam juſſi, exhauſtum ab ægro virus, tumorem, doloremque confeſtim repreſſit. Neque Dioſcoridis mihi improbatur conſilium, qui a ſerpente violatis ſuccum raphani potandum propinat. Eodem ſucco, ne quis ſerpentinis aſſultibus pateat, lavandas manus antiqui ſvaſerunt. Nam & authoritate phyſicorum, & experientia conſtat, non ſuccum modo, ſed ipſum quoque raphani odorem ſerpentibus, Venenisque magnopere adverſari. Columbam vivam inciſam vulneri a ſerpente inflicto alligant aliqui, vel gallinam diſſectam. Ab his abſorberi venenum, credunt. Gallinæ hædum cultro diviſum ſubſtituunt alii, vel capræ recens enectæ ventriculum. Nonnulli caprino lacte locum a ſerpente vulneratum mulcent, narrantque ruſticum lacti caprino pedem a ſerpente ictum identidem immergendo, convaluiſſe. Caſeum caprinum vulneri applicatum tantundem valere, aſſerunt. Partem veneno infectam medulla cervi, vel fimo bubulo perlini vult Dioſcorides. Galenus cornu cervi calcinatum, & in pulvere redactum cumque aceto mixtum applicat. Vegetius fimum ſuillum recentem cum melle Attico, vino, lotioque humano ſubactum comendat, vulneri ſcilicet venenato illitum. His orbis veteris contra venenum remediis orbis novus, America, nova, medicinæ principibus magiſtris ignota quondam, remedia adjecit herbas,

bas, plantas, radices, olea, resinas, fructus arborum, animalium exuvias &c. Attingam Paraquariensibus notiora. Fructum Ananàs viridem (qui per campos passim obvius) contusum cataplasmatis instar venenatis ictibus applicant. Herbam Taropè (quæ ab Hispanis contra yerba, vel higuerilla, parva ficus, dicitur, quia radices illius & odorem & lac ficus reddunt) edendam, bibendamve contra morsus insectorum noxiorum Indi præbent medici. Herbæ Mboŷcaà folia manduntur ore, succusque glutitur, pars foliorum mansorum vulneri apponitur. Hinc nomen illius *Mboŷcaà* herbam serpentum significat. Eundem in finem celebratur virtus herbæ Macângua caà, id est, herba anatis macângua dicti. Hic alis suis pro scuto utens serpentes insectatur, rostroque interimit suo. Si pugnans a serpente sauciatur, hanc herbam ceu medicinam vorat. Yçipo moroti, el bejuco de Quayaquil idem præstant. Ad sudorem ciendum, quo virus expellatur, radix urucuŷ, jurepeba, jaborandi &c. mirum in modum conducit. Valida sint hæc adversus venenum remedia, nil repugno. Bona tamen medicorum seu veterum, seu recentium pace illam, quam paulo ante laudavi, nardi radicem medicamentis cæteris Americanorum præferendam putavi, prospero semper successu comprobatam. Hæc non hominibus tantum innumeris, sed & bestiis saluti toties fuit. Cum enim equi, muli, boves, ovesque diebus perinde ac noctibus quavis anni parte in campis pascantur, a serpentibus, scolopendris, araneis punguntur non raro. Stillans e naribus sanguis venenatum ictum prodit. Crematum vinum cum nardi radice eorum faucibus tempestive infusum pariter profuit. Postquam enim virus artus, venasque brutorum omnes pervagatum est, sera plerumque, ac irrita quævis

med-

medicina fuit. Hæc de venenatis ictibus, eorumque remediis eo animo scripsi historicus, ut, quid in Paraquaria moris sit, intelligant Europæi, non ut illis utantur. Medicis, Chirurgisque, si illorum copia fuerit, se ut permittant, iterum, iterumque hortor. Domestica enim illa, ut vocamus, vulgi remedia, cum importune sæpius adhibentur, morbis ipsis periculosiora evadunt frequenter. Si quæpiam a me scripta non probant medici, per me rideant, dummodo adferant meliora. Multa Europæ accommodata, quæ neutiquam Americæ, & Americanis, noverint. Plurima artis medicæ regulis consentanea nunquam patietur Abipon barbarus. Utatur medicus Europæus cucurbitulis ad scarificandam partem corporis veneno infectam, utatur scalpello, caustico, ferro candente, hirudinibus &c. his non proficientibus mors ægri consecuta non in serpentis venenum, sed in medicantis sævitiam, ignorantiamque a barbaris rejicietur.



CA-

CAPUT XXXIII.

De aliis insectis noxiis, eorumque remediis.

Totam Ægyptum cum universis, quæ vindex Deus congesserat olim, insectis in Paraquariam immigrasse, jurares. Quin plura & nocentiora, & molestiora hic invenias, quæ Ægyptiorum nemo usquam spectarit. Præ serpentibus, scorpiis, scolopendris, araneis hirsutis &c. muscas domesticas, hujatibus omnia similes, metuendas mihi, fugitandasque semper putavi. Cave, hyperbolen existimes. Ex animi mei sententia id prorsus affirmo. Muscarum ejusmodi agmina passim circumvolitant. Domi, forisque famelicis his te bestiis obrui videbis. Centies repulsæ centies redeunt. Dormientibus per aures ad interiora capitis penetrant, lendes mox excernunt innumeras, vermium innumerorum seminarium futuras. Hi utrinque acuti, rubeique, cæterum corpus candidi; In horas augescunt numero, & quid quid carnis, succique in capite, erodunt; Deliramentum denique ac mortem, ni medearis, certissimam sensim accersunt. Hispanum novi ludi publici magistrum, cui tota cum naribus consumpta facies, capitisque pars anterior cucurbitæ instar a vermibus excavata. Musca unica, quæ in dormientis nasum irrepsit, vermium erat origo, principiumque calamitatis. Neque rarum hoc, aut infrequens. Ver-

mes illita tigridis adipe e corpore expelli, illius medicaminis uſum, ſanationemque Indi Gregorii Piripoti jam jam moribundi ex Capite quarto & viceſimo hujus hiſtoriæ jam intellexeris. Sed audi plura. In oppido Roſarii Abiponum aliquis vermibus miſerandum in modum ſcatuit, qui tamen objectam ſibi a me tigridis pinguedinem haud ferentes duplici, quam rodendo ſibi aperuerant, via erupere omnes, ſimul æger a morbo recreatus vitam tigridis ferociſſimæ adipi in acceptis referebat. Ejusdem beneficio a me curata eſt fœmina ab Hiſpanis bello capta, cujus caput glans plumbea raſerat. Ad cruentam, laceramque non nihil cutem more ſuo advolarunt muſcæ vermium genitrices, qui cuniculum ad capitis intima agentes ultimum miſeræ diſcrimen minabantur. Adeps tigrina a me data voraces beſtias ſuis e caſtris confeſtim ejecit. Eodem remedio, eadem felicitate alibi aliis auxiliati ſumus. Medicamen hoc tanti momenti, tantique in tanto verminantium numero uſus pharmaceutica in penu nunquam paſſus ſum deſiderari. Ad primum de occiſa tigride rumorem accurri, eius adipem abſtuli, & rite liquefactam in vaſculo aſſervavi. Cruda equidem mox computreſceret, tanto ſcilicet Cœli æſtu. Quamvis vel recens tigridum pinguedo, uti & reliqua caro, odorem exhalat naribus graviſſimum, ab Abiponibus tamen aquæ permixta, ceu vinum Creticum, bibitur certatim, avidiſſimeque appetitur. In nonnullis Quaraniorum Coloniis pomi Perſicæ folia ad vermes, ex muſcis ortos, humanis ex artubus exterminandos adhibebantur. Fateor, iſtius me remedii nullum unquam experimentum cepiſſe. Certo uti, quam minus mihi explorato, ſatius duxi, licet ab aliis dilaudato.

Hæc

Hanc vermium periculosissimorum e muscis progeniem vix capiunt Boreali sub Cœlo nati, vix credunt physici. Americani illam quotidie oculis vident suis, atque adeo non sibi tantum, sed & bestiis exitialem suis sæpe plorant. Sub solis ortum bovem mactavimus, vel ovem. Ad recentem carnem muscarum examina vidimus convolare. Hanc albenti quodam seminio undique consperfam mox deprehendimus. Sole occumbente putidam, vermibus fluctuantem, nulli porro usui futuram mirabamur. Qui illibatam carnem servare student, eam vel in tenuissima segmenta dissecant, aere siccandam, vel e fiscella, aut e reti suspendunt in umbra, ut aura quidem illam perflare possit, non tamen musca contingere. Equi dorsum seu ephippiorum duritie, seu diuturna sessione violatum est. Muscæ veluti ad epulas invitatæ turmatim aderunt, innumerabilium mox vermium genitrices, qui equum dilaniant, paucosque intra dies conficere solent. Sanguis ex ulcere erumpens bestiam verminare significat. Medicaturi constrictis fune pedibus eam sternunt, virga tenui vermes cum pure eruunt, ulceris cavernam tabacæ folio dentibus attrito, fimo bubulo recenti complent. Hæc industria diebus pluribus repetenda. Quod si lingere se se queat bestia, certior curatio est, promptiorque. Verum illa, quam dixi, medicandi ratio operosa cum sit, fastidiique, ac sæpe periculi plena, Indi, & qui Indis segniores, semihispani campum bestiarum cadaveribus stratum videre malunt, quam manus, pedesque defatigare suos. Pastorum, qui prædia curant, inertia multa quot annis equorum, boum, vitulorum, ovium, mulorumque millia per Paraquariam intereunt propterea. Vituli equidem, dum in lucem recens prodiere, inspiciendi essent quotidie, & a vermibus, quibus ple-

rique laborant, purgandi. Humidos enim eorum umbilicos confeftim mufcæ obfident, &, ut dixi, miferrime inficiunt. Quamobrem e decem vitulorum, qui per annum tuo nati in prædio, millibus fi quater mille fuperftites numeraveris, habes profecto, quod tibi gratuleris magnopere, ampliffimasque gratias tuis referas paftoribus, qui lupi rectius, quam pecorum cuftodes dicendi, qui, præterquam quod vitulos pinguiores clanculum devorent ipfi, alios innumerabiles focordia fua a tigridibus, feris canibus, vermibusque devorari finunt. Certiffimum id effe, quotquot rem familiarem in Paraquaria procurant, nequidquam lamentantur, quin tamen feu preces, feu minæ, exacuendæ illorum diligentiæ, ac fidelitati unquam fuffeciffent.

Nec filentio prætereundum aliud adverfus vermes medicinæ genus. Nofter Martinus Szentivani in fuo de rebus alodialibus opufculo oleum olivarum aquæ immifcendum, fvadet, quam fi potaverint lumbricis laborantes boves, eos confeftim cum fimo excernent. Hæc legeram olim, & confilii memor in America oleo ad expellendos vermes e mufcis oriundos profperrime fum ufus. Moloffus mihi erat ingens, Anglicanæ originis, coloris fpadicei, buccæ nigricantis, forma, robore, agilitate, audacia confpicuus, meus domi, forisque cuftos, ac fidus excubitor, fed æquo rixofior. Inter Indorum canes, ut gigas inter pigmæos, eminebat. Hinc quotidianæ illi pugnæ, certæque victoriæ. Numero tamen accurrentium Vertagorum oppreffus, ac fauciatus eft, femper alias victor. Mufcarum acceffu vermibus infectum vulnus adeo, ut, cum manibus tangi, curarique fe neutiquam pateretur, de illius fanatione, ac vita nihil prope fpei fupereffet. Adipis tigrinæ

vir-

virtus me latebat id temporis. Vix aliquot olei guttulis vulneri inſperſis me ſpectante tota vermium latentium caterva emigravit; ſingulorum, ut primum prominebant e vulnere, Capita circino apprehenſa ejeci. Interrupto vermium erumpentium ordine iterum iterumque oleum inſtillavi, dum denique nullus jam in vulneris caverna eſſet ſuper. Hoc aſtu, quem Szentivanius me docuit, intra biduum convaluit optimus, quia, perinde ut miles, in hoſtes peſſimus canis, cui Soldado nomen fuerat, cujus etiamnum mihi ſvavis recordatio, quippe in tot itineribus periculoſis optime de me meriti per annos complures. Multa, Juſti lipſii exemplo, in laudem illius poſſem adferre, Europæorum admiratione profecto digniſſima; Verum ſatis, ſuperque de hoc, cum de inſectis, non de canibus jam ſcribere mihi ſit propoſitum. Idem oleum ex olivis expreſſum nonnihil calefactum, quin potius tepidum auribus infunditur, ad culicem, pulicem, vel muſcam, ſi quando irrepſerint, inde exterminandam. Audi, & ride mecum terrorem, ſi quis unquam fuit, Panicum, qui mentem olim meam perculit, ac incredibiliter perturbavit. Sub auroram, dum me Veſtivi, muſcæ ſibilum continuum perceperam adeo mihi propinquum, ut muſca aurem, caputve meum penetraſſe videretur. Ingentem mihi ſollicitudinem hæc injecit ſuſpicio. Ad muſcam expellendam nequidquam tentata omnia, perdurante ſemper ferali ejus cantu. Oleum denique in concha calefactum a puero auri meæ inſtillatum, quod cum nimiopere caleret, dolorem attulit acerrimum. At multo acrius mihi dolebat muſcæ ſibilos nihildum remiſiſſe. Conſternatus animo, vermesque in capite naſcituros veritus nullam cepi, quietis partem. Agedum, ajebam puero, caput, aureſque tuas propius mihi admove, & be-

 ſtiæ



ſtiæ infelicis ſuſurros cominus auſcultà diligenter. Aures, animumque tantiſper attendit puer, & : ſalva res eſt, mi Pater, ſubridens dixit, non aurem tuam, quin togam potius muſca inſidet. Solutis actutum fibulis togam circa collum diduxi, induſii rugis compreſſa muſca, atque idcirco ejulans, læta avolavit. Verba, quibus geſtientis animi mei lætitiam de diſcuſſo periculo explicem, me deficiunt etiamnum. Accepti tamen terroris obliviſci diu haud poteram, pertinax enim ex calente oleo auris dolor muſcæ captivæ memoriam identidem refricabat, identidem ad riſum me concitabat. Ita periculorum opinio, quam pericula, ſæpius animos perturbat. Juvat hoc loco aliud remedium, minime ſpernendum, ſubjungere. Si quando ſenſeris inſectum aliquod in aurem ſe ſe inſinuaſſe tuam, in illam ab alio aquam frigidam cum impetu exſpui, facias. Humore enim oppreſſa animalcula vel exibunt, vel peribunt illico. Et mihi & aliis id uſui fuiſſe, commemini.

In quibusdam Paraquariæ locis, in Tarumenſi cumprimis territorio alia muſcarum ſpecies graſſatur. Figura, & mole corporis a muſcis noſtris vulgaribus vix differunt, præterquam quod albo ſint colore, aculeoque valeant formidabili, quem ut primum vel homini, vel beſtiæ infixerint, uno ictu ſanguinem eliciunt copioſum. In ædibus vix memini me eas vidiſſe; Vias potiſſimum inſident, ubi equo iter facientibus moleſtias vix tolerabiles faceſſunt. Tabanorum per campos ſylvæ adjacentes maxima varietas eſt, & frequentia. Solas tamen beſtias acumine compungunt ſuo, humani ſanguinis contemptores. Nil miror finxiſſe poetas, Jo puellam tabano a Junone immiſſo in furorem incidiſſe. Equos certe, muloſque ſemper alias morigeros, dum a tabanis

hiru-

hirudinum inſtar ſibi inhærentibus torquentur, & ſui impotes, & ſeſſoris immemores in rabiem efferari, toties vidimus. Majus tamen per ſylvas a veſpis quibusdam majuſculis periculum, quorum acumen ut perſentiſcunt equi, furunt doloris impatientia. Tortore crudeli ut ſe liberent, excuſſis habenis ſeſſorem excutiunt ſæpe, ſæpe, qua qua poſſunt, abripiunt, humi ſe volutant. Hinc confractæ multorum tibiæ, alliſa arboribus, vel ſaxis capita, fuſus per viam cruor. Mihi quoque eadem de cauſa, manſveto licet cætera mulo inſiderem, pereundum fuerat, ni Indus pernici equo advolans opem tuliſſet, qui me mulo furioſo, mulum veſpa pertinaci liberavit. Ipſos quoque homines inſectantur veſpæ. Fixo aculeo dolor vehemens, tumorque latiſſimus ſuccedit. Parti læſæ glebam obvii ceſpitis recentem pro remedio applicant plerique. Mihi nunquam profuit. Maxillam teſtor meam. Me abſente in domus noſtræ aream veſpæ convolarunt innumerabiles, & in modum pilæ grandioris conglobatæ ſtipiti inhæſerant. Ne a tranſeuntibus territæ ſpargerentur, & in noſtra ſe cubicula inſinuarent, Veritus, ſclopum nitrato pulvere liberaliter fartum in veſparum globum exoneravi. Repentino tonitru perculſæ diffugerunt omnes unica, quæ cæterarum nomine audaciam ulciſceretur meam, ad vultum meum advolante; Hic beſtiæ ſpiculo confixus horrendum in modum intumuit. Tumori par dolor ſucceſſit, noxque ob doloris vehementiam omnino inſomnis. Conquerentem me poſtridie, & remedia, quibus uſus ſum, enumerantem placidiſſime riſit Abipon vetulus. Eccur, ajebat, Pater, adipe bubula tumorem non perungis tuum? vetus id nobis, certumque eſt medicamentum. Morem geſſi. Nec mora: Tumorque, dolorque eodem die eva-

nuerunt. Adverte, adipis bubulæ nomine non ſevum, ſed quæ butyri liquati loco cibis adhibetur in Paraquaria, boum pinguedinem intelligi. Quam ſit res plena periculi, crabrones irritare, ſæpe alias in itineribus experti ſumus. Illorum nidum ſub frondibus latentem Indi, qui in ſylva me præcedebant peditem pedites, forte diſturbaverant inviti, nec impune. Non pauci a crabronibus diſperſis icti ſunt. Plurimi crabronum ſub meam ſe togam toto impetu recepere, cutem, quanta eſt, omnem ſpiculis exaraturi ſuis, ni veſtitum interiorem Indorum oculis luſtrandum, manibusque excutiendum tradidiſſem. Taceo apum bellicoſarum ſpecies, quæ dum alvearia oppugnari ſua, ſpoliarique vident, mel, ceramque aufferentibus, quid quid domi acuminum eſt, ſtrenue opponunt, ac multo labore parta acerrime tuentur. Ut adeo nemini invidenda mellis dulcedo, quæ vulneribus emenda.

Culices Hiſpani mosquitos, Quaranii Ñatiù, Abipones ayte, vel apatáye vocant. Utroque vocabulo culicum frequentiam denotant. Vox *ayte* equidem multos ſignificat, ut alias dixi. *Apatáye* à *Lapatà* derivatur, quod ſtoream, quæ pro tecto adhibetur, ſignificat. Sane Culicibus, qui Paraquariam vexant, dinumerandis ut nulla par arithmetica, ſic tolerandis quantacunque patientia impar eſſe videtur. Quocunque te vertas, auditum clangore ſuo, aculeis corpus excruciabunt tuum. Te totum circumſidebunt undique. Sanguinis cujuſcunque ſitientiſſimi hi ſatellites te uſque comitabuntur. Illis territandis mille tibi brachia peroptabis. Aura rigente ſuis in latebris fere conquieſcunt. Cœlo æſtuante, aere tranquillo pabulatum evolant, nunquam, quam crepuſculis, diluculisque propinquantibus, ferociores. Ubi

gra-

gramen adultius, ubi dumeta, ſtagnorum, amniumve ripæ, ubi paludes viciniores, ubi ſylvæ, quæ aerem excludant, denſiores, ibi ſerpentum, ibi culicum omnis generis colluviem patieris. Tali in ſtatione ſi pernoctandum tibi, de ſomno ne ſomniaveris quidem. Poſtquam ſeu equitando per campos, ſeu ambulando per ſylvas equis invias die integerrimo pedes fatigaveras, noctu culicibus arcendis utramque manum incaſſum fatigabis. Semper inſomnis heu quoties ſolem, quod lento redeat pede, accuſavi! Equos itineris labore fractos, eſurientesque una miſerabar, qui culicum mordacium nube ſtipati cum nec quieſcere, nec gramen carpere queant, focum circumſiſtunt, fumum captaturi. Hic acrior ſi fuerit, fugat quidem circumvolantes illos tubicines, ſed tibi quoque prope humi cubanti lachrymas ciebit, ac ſudorem, maxime Cælo æſtuoſo. Fimum bubulum fumantem culices non ferunt. Aſt ne tu quidem feres, nî nares tibi ſtupidæ, & ſine ſenſu. Verum demus tantam tibi adeſſe fœtoris tolerantiam, fimus bubulus per ſylvas tibi deerit, ubi boum nec umbra. Qui per illas ſolitudines iter diuturnum ſuſcipiunt, annona, ſæpe lignis ad focum excitandum neceſſariis, ſæpe aqua, adeo onerantur, ut fimi bubuli, qui adverſus culices ſit remedium, ſarcinas recuſent. Æthiopis cujusdam mihi mire placuit ſeu induſtria, ſeu ſagacitas. Is materiam aliquam reſinoſam ex ligno putrido acceptam, noctu ſemper gliſcentem, ac leniſſime citra narium moleſtiam fumantem dormiens a latere habuit in itinere, & quod ipſus obſervavi, a Culicibus propterea intactus quievit. Nomen illius materiæ mihi neutiquam invito dudum memoria excidit; operoſe enim per ſylvas quærenda eſt, inventu difficilis, paſſim ignota, omnibus tamen peroptanda. Incredibilis equidem

in longo itinere culicum cruciatus. Dilaniati, vultum, manusque tumidi, fuſo undique notati ſanguine domum ſemper redivimus, noſtrique adeo diſſimiles alter alterum ut vix noſſet. Certum tamen mihi, & exploratiſſimum, alios præ aliis pertinacius a culicibus affligi. Num ſanguini dulciori, an acidiori plus inhient, quis indagavit? Vultui candido, quam fuſco avidius, copioſiusque inſidiari, ac inſidere culices, obſervavi identidem. Ni tuis quoque in ædibus noctes agere inſomnes velis, ſole in occaſum vergente cubiculi portam, feneſtramve patere ne patiaris, maxime dum candelam accenderis. Ad lucem enim, quacunque rima patente, advolant gregatim. Culices alii ab Abiponibus Ychit, ab Hiſpanis Jejennes dicti, fors nomine a Gehenna derivato, veluti e Styge oriundi prioribus multo graciliores ſunt, ſed inſolentiores. Quamvis enim moleſto vocis clangore careant, per os, per aures, per nares turmatim irrepunt, acerrimeque, quam inſederint corporis partem, compungunt.

Maximi apud Paraquayos nominis culex minimi eſt corporis. Mbarigué a Quaraniis vocatur. Ob exilitatem ſuam perſpicaciſſimi oculi aciem fugit; Morſu tamen valet acerbiſſimo, prope ſum, ut dicam, intolerabili. Ignita acu te pungi crederes. Per ſylvas ſpiſſiores, & in rivorum litoribus graſſantur frequentius, aere quieto, & ſub veſperum maxime formidandi. Aculeus illis mucronis inſtar, quo non nuda ſolum, ſed & indumento tenui contecta corpora pertundunt. Sylvis diutius immorati tot punctulis rubicundi ad oppidum pervenimus, ut variolis laboraſſe videremur. Etſi ex tot aculeis ardeat cutis, pruriat, ac intumeſcat, nequaquam frigida citra noxam conſpergi poteſt, aut unguibus fricari. Verum contemneremus hæc quantacunque, ni cum periculo con-

conjungerentur. Ex repetitis enim culicis mbarigue ictibus vermes majusculi enaſcuntur perſæpe, qui num ſuam originem peſtilenti aculeo, num humori venenato, an, neſcio, cui ſeminio relicto debeant, an ipſe culex, carne penetrata in vermem convertatur, ut Indi putant, non auſim decernere. Vermes uno in loco nunquam plures uno generari, id novi. Illius experimentum audi. Canem, meum in itinere comitem, cuſtodemque, ejulare identidem, ſe ſe Scalpere, ac mire affligi adverteram. Conſulti Indi ſocii vermibus illum ſcatere, reſpondent. Præſente me, & inſpectante canem faucibus, pedibusque loro colligatis humi ſternunt. Utraque manu, ubi tumor prominuit, carnem fortiſſime comprimunt, vermemque ibi latitantem magno impetu exilientem, ejiciunt. Decem & ſeptem totidem e locis prodiere albi coloris vermes, ſemine pomi craſſiores, pollicis virilis unguem longi. Mihi rem ad id temporis incognitam obſtupeſcenti: Sibi idem non raro evenire, Indi omnes uno ore teſtantur. Quæ quidem res ejusmodi inſectorum, præſertim curationis, metum non mediocrem mihi injecit. Et vero minutiſſimos vermiculos, muſcas, quas oculatiſſimus ægre videat, prorſus exiles pluribus exitiales fuiſſe, omnis novit Paraquaria. Pater Felix Villagarzia, quem & novi in ſanctæ Roſæ oppido, & pro merito colui, dum Ytatynguas Indos, ſancti Joachimi Coloniæ ſubinde incolas, per Tarumenſia nemora diu, multumque conquireret, oculo laborare cæpit, & ob fiſtulam, vermesque inibi identidem enaſcentes annis pluribus ad obitum usque diriſſime excruciatus eſt; Cœli ardentiſſimi per ſaltus vento impervios æſtum, varii generis culices tantorum dolorum originem exſtitiſſe, nemo ignoravit. Sed jam paulo majora canamus.

CAPUT XXXIV.

Ejusdem argumenti de inſectis continuatio.

Vtraque America, qua æſtuoſo Cœlo torretur magis, vermiculum gignit, naturæ monſtrum, multorum quotidie gemituum, non paucarum mortium occaſiunculam. Pulicis, qui quidem cogitari poſſit, tenuiſſimi ſpeciem refert, eumque ſubſiliendo imitatur; Hinc a Quaraniis Tû, vel Tûngay pulex malus dicitur. Ab Hiſpanis Pique, a Luſitanis bicho dos pes inſectum pedum, a Mexicanis Nigua, ab Abiponibus Aagrani mordax vocatur. Tam exilis eſt, ut vel ab oculatiſſimo, niſi clariſſima luce, percipi haud poſſit; Tam mordax, ut a quovis, ni ſaxeus, ni ferreus ſit, debeat ſentiri. Tam aculeato roſtro armatus, ut calceos, ocreas, cothurnos, quaslibet veſtes pertundat. Extimæ cuti inhæret tantiſper, mordaciſſimo mox cum pruritu ipſam carnem penetrat; Illic veluti ſub cuniculo latens ſphærica, albeſcenteque veſicula ſe circummunit, quam ovulis, ſeu minutiſſimis lendibus implet. Hæc veſicula ſi plures dies ſub carne toleratur, ad magnitudinem piſi noſtri Grandeſcit. Vulgare hoc ſpectaculum. Quo diutius hæc vermiculi veſica humano corpori inhæſerit, eo magis indies doloris ſenſus obtunditur, ac hebetatur. Ad hunc hoſtem ſua e ſtatione exturbandum pueri ſane aptiſſimi. Hi enim eximia, qua pollent, oculorum acie punctulum rubens, vermiculi carnem ingreſſi, veſti-

veſtigium deprehendunt illico. Illius punctuli ambitum, ſeu peripheriam acicula fodicant, cutem, carnemque ſenſim aperiunt, & veſicam illam cum vermiculo ſuas intra lendes ſepulto integram denique exſculpunt. Si hæc candelæ ardenti admoveatur, nitrati pulveris inſtar cum crepitu diſſilit. Quod ſi puer acu carnem fodiens veſicam carni adhuc inhærentem diſrumpat, res malo ſunt loco; Humor enim inde effuſus, novi doloris, lendes diſſipatæ novorum eodem in loco vermiculorum erunt origo. Americanum hunc pulicem venenata turgere materia, ex eo fit palam, quod ipſa caverna, e qua fuerat expunctus ſuis cum poſteris, inflammari, tumeſcere, ac, ni prompte medearis, gangræna corripi ſoleat non raro. Ungues in pedum digitis, quos invadunt maxime, tabeſcunt, ac decidunt ſemper; Quin & ipſos pedum digitos ad vitam ſervandam reſecare oportuit quandoque. Tanta tantillæ beſtiæ peſtis! Minimis ſcilicet ex rebus maxima ſæpe incommoda naſcuntur, ſæpe commoda.

Alienis docti periculis qui ſibi cautum volunt, ædium ſuarum munditiæ impenſe ſtudent. Dicti enim vermiculi e pulveribus, e fæcibus, e qualicunque lotio ortum ducunt ardentiore ſub Cœlo, & locis, quæ raro verruntur, quæ excluſo etiam frigidiori aere dudum non habitata, accedente humore innaſci conſveverunt. Septa, in quibus oves, muli, equi interdum cuſtodiuntur, etſi ſub dio ſint, & absque tecto, hac ſcatent colluvie, atque adeo ingredientium cuſtodum pedibus metuenda. In illis Paraquariæ tractibus, qui Auſtro imminent magis, auraque gaudent non calidiſſima, infauſtum hoc inſecti genus omnino neſcitur. Nunquam illud ſeu in territoriis Boni aeris, ſeu Cordubæ Tucumanorum viſum. Exacto

cto jam in Paraquaria Sexennio id de nomine duntaxat noveram. Delatus ad S. Ferdinandi recentem Coloniam & videre, & pati, & execrari hanc pestem cæpi. Abipones ipsi, quamdiu per Chacum sparsi pro arbitrio vagabantur, hos vermiculos ignorarunt, sed denique per Hispanos urbis Correntinæ, quam istorum pulicum metropolim jure dixeris, dictæ Coloniæ conditores misere iis infecti sunt, allatamque sibi, ut olim variolas, calamitatem tantam lamentati. Qui in loco his insectis obnoxio versantur, quovis minimum biduo pedes puero cuipiam inspiciendos porrigant. Sæpe hi pulices cuti necdum perterebratæ insidentes citra molestiam intercipiuntur. Si recens carnem ingressi videantur, non illico acu expungendi; Timendum equidem, ne tenue pulicis corpusculum acu rumpatur, ejusque caput carni validissime infixum carni inhæreat, quod dolores incredibiles, pus, & ulcus certissimum adferet. Rerum peritiores diem integrum expectant, dum vermiculus vesica sua clausus tuto, totusque erui subinde queat. Id quod a meridie melius præstatur; Horis enim matutinis cum aura sit asperior, humidiorque, caro, quæ acu aperienda est, plus illa offenditur, dolor, & ulceris periculum semper augescit. Quotidiana pedum inspectio commodi habet plurimum, etsi & molestiæ non nihil, quam tamen insigniter cumulabis, si hanc tui curam in longius tempus rejeceris. Una sæpe sessione decem, viginti, plures ejusmodi vermiculos acerbissimo cum dolore idem tibi puer acu expunget; Digitis plerisque & unguibus perforatis, plantis laceris ægre gressum figes, pedibus pure manantibus tui neglectum, inspectionis dilationem tute accusabis, diuque lues. Novi complures multis hebdomadibus idcirco lecto affixos. Et me, & alios non nisi baculo innixos ambulare potuisse diebus plurimis,

rimis, eheu memini! Vidi pedum uſu omnino deſti-tutos omni prorſus remedio caruiſſe.

Haud inficior: hos vermiculos pedibus potiſſimum inſidiari. Sæpe alias tamen per cæterum corpus majori cum periculo ſerpunt, jam in brachio, jam in genibus, & ubi non? Nidum ſibi parant. Plura tibi in aurem dicerem, quæ ſcribere, erubeſco. Canibus, cum humi cubent ſemper, plus negotii faceſſunt hæc inſecta. Dentibus ſuis pro acicula uſi illa dexterrime eruunt, vulnusque lingendo perſanant. Aliquando tamen exeſis pedibus & exulceratis claudicant diu. Sues, ſimii domeſtici, feles, capræ, ovesque ab iisdem pulicibus inſolenter vexantur, haud tamen equi, muli, aſini, boves, qui ſeu ungularum, ſeu pellis duritie adverſus communem hoſtem ſe ſe defendunt. Illud Americanis curandum maximopere, ut cavernam, quam pulicis excerpti Veſicula occupaverat, vel pulveribus Tabacæ Hiſpalenſis, vel cinere, vel ſmigmate oppleant diligenter. Alii aut oleo ex olivis expreſſo, aut ex boum pedibus excocto, alii aliis reculis eum in finem utuntur. Perículoſum eſt ejusmodi induſtrias negligere. Vulnus enim acu factum, & inſecti, quod expunctum fuit, veneno infectum exulcerabitur, pus concipiet, &, ſi inflammatio, vel nimius pedum motus acceſſerit, in gangrænam denique, vel ignem S. Antonii deſinet. Adeps Gallinacea parti læſæ illita, alligatumque braſſicæ folium ad ardorem temperandum, me teſte, ſæpius profuit. Experientia certum eſt, alios præ aliis frequentius ab hoc inſecto vexari, difficiliusque quocunque demum remedio conſanari; In vario ſanguinis, humorumque temperamento diſcriminis hujus ratio fundatur. Scribunt, Braſilienſes ad vermiculos hos a ſe avertendos pedibus ſuis illinere oleum ex glan-

glandibus necdum maturis, quæ in arbore Acaju naſcuntur, expreſſum. Nautæ nautica pice ſe ungunt eundem in finem. Nos hujus, aliorumque inſectorum metu tibialibus ex ovilla pelle conſutis utebamur omnes; Sed vana, imbecillaque hæc eſſe arma, experti ſumus.

Pulices Europæ vulgares, ætheris inſtar per cæteros orbis tractus diffuſi, in Paraquaria non adoleſcunt tantum, ſed velut nativo in ſolo impotentiſſime dominantur. Cum a canibus copioſiſſimi ſoleant procreari, Neteguink Loapakatè pediculi canis ab Abiponibus dicuntur. Illud ſingulare, quod alicubi ipſe campus herbis undique veſtitus affluat pulicibus. Per Paraquayum flumen navigantes ſi quando in litus meridiaturi, pernoctaturive exſcendunt, quamvis in nitido cubent ceſpite, ubi nullum aut hominis, aut canis veſtigium usquam fuit, pulicibus nigreſcentes ſinguli ad navim redeunt aliquando. Idem a me in campis ad amnem Ineſpin, alibique obſervatum. Si hæc in viridi campo, in aridis cubiculorum pavimentis nec latere, nec lapide, nec tabula ſtratis quid expectabimus? Ejusmodi in cubiculis apud Abipones ſeptem egi annos, ubi cum infinita pulicum colluvie diu, noctuque mihi conflictandum fuit. Remedium adverſus pulices ex America petis? Unicum, quod ubique gentium, ſuppetit, Patienria. Columella, Athanaſius Kircherus, aliique opinabantur equidem, herbis odoriferis quibuscunque cum aqua coctis, ac per ſolum effuſis hos vermiculos non fugari modo, ſed & enecari. Quaranii certe hunc in finem herbam, quam Caarê vocant, vehementiſſimi odoris, in aqua coquunt, eaque fervente rigatum cubiculum ſemel, ac iterum verrunt. Quod ſi hac induſtria pulices intereant, illorum ſtragem non herbarum odori violento,

ſed

ſed aquæ ferventi, qua aduruntur, ſcopis, quibus exturbantur, tribuendam exiſtimaverim. Sint ædes pulveribus, canibusque vacuæ, ſint ventis crebris perviæ, in hoc adverſus minutiora inſecta plurimum eſt præſidii. Albis illis, queis a pedibus nomen, vermiculis extra capillos vix apud Abipones eſt locus. Indæ mulieres, dum per ſuorum eapita pediculos venantur, quotquot capiunt, glutiunt; Si pinguiorem ceperint, aſſidenti ſibi fœminæ vorandum muneris inſtar propinant perinde, ut nos tabacæ pulverem alter alteri. Hunc Barbararum morem barbarum dicerem, niſi & ab Hiſpanis matronis plebejis idem factitari in Paraquaria, ipſus ſpectaſſem toties. Næ! Europæorum nemo Americanis has invidebit cupedias!

Cimicum, quales in Europa, abunde eſt in Hiſpanorum coloniis; Per Indorum oppida nullum conſpexi unquam. Ab Abiponibus Patà dicuntur. Cordubæ, alibique per Tucumaniam cimices volantes, quos Binchuccas vocant, paſſim oberrant. Interdiu ſub tectorum, arcarumque rimis quieti deliteſcunt, noctu Cœlo ſudo, ac tranquillo turmatim advolant bellum cruentum moturi dormientibus, e quibus tantum ſanguinis exugunt, ut nemini dormire, ejulare omnibus libeat. Parti, cui inſident, ardorem imprimunt intolerabilem, & cremare potius corpus, quam mordere videntur. Maculas purpureas, tolerati doloris indices, inſtrumento cauſtico inductas jurares. Quindecim dierum equeſtri, & per continuatam ſolitudinem, quotidianosque inter imbres arduo itinere fractus in S. Jacobi territorio oppidum ſalabina attigi; Enimvero quieſcendi ea nocte non deſiderium modo, ſed & neceſſitas me tenebat. Verum extreme dormiturienti mihi nox illa omnis inſomnis abiit. Artus omnes compungi, cruciari, ardereque ſenſeram,

doloris tamen insoliti causam nec cogitando, nec palpando assequebar. Nemo unus, quem consulerem, in propinquo fuit. Orto demum die quotquot rubris pictum me maculis videre, vices miserati meas volantes cimices tortores fuisse meos, mihi significarunt. Alio in itinere dum apud Presbyterum nobilem pernoctarem, sumpta levi cænula ille mecum, suisque cum domesticis vicinum in campum dormiturus concessit. Id in illo terræ tractu more receptum, necessariumque. Negant enim æstuosis noctibus sub tecto cimicibus scatente somnum capi posse. Felices Abipones, Quaraniique, qui volucres has hirudines ignorant. Mihi equidem istic nulla earum visa. Melopepones, nisi, ut primum maturuerint, decerpantur, cimicum fætidissimorum seminarium evadunt illico, qui omnem late hortum depascuntur.

Perniciosa inter insecta haud infimum locum meretur bestiola, quæ ab Hispanis Garrapata, a Quaraniis Yatebú, ab Abiponibus òerèl appellatur, & indubie ad ricini speciem aliqua ratione pertinet, qui a græcis κροτον, a Gallis Morpion, a Germanis Zek dici solet. Garrapata Paraquariensis lentem magnitudine æquat, interdum superat; Forma testudinem terrestrem refert; In tergo clypeum gerit testudinum more, sed figura ad sphæricam propius accedit. Coloris est fulvi obscurioris, & in parte varii; Corpus illius compressum, octonis pedibus breviculis, capite quadrato prominente, ceu rostro instruitur. Hoc cuti, carnique humanæ immergit simul, simul pedum uncinos affigit mordicus, & dum ex quacunque corporis regione sanguinem rostro sorbet, pruriginem ciet, ardoremque permolestum, quem tumor sequitur, ac sanies quatriduum sæpe, sæpe diutius manatura. Ulcus vero vix duas intra hebdomades persanabitur. Cum

ca-

caput ſuum in carne altiſſime defigat, arduum eſt beſtiolam integram avellere. Quod ſi caput a corpore avulſum in carne remanſerit, peſſimo loco res erunt tuæ; Non niſi poſt diutinam puris ex prurien-te ulcere fluxionem virus illud tandem ejicies. Campi, & præ campis ſylvæ ab hoc & homini, & beſtiis infeſto inſecto inſidentur. Ubi putrida arborum, & cumprimis arundinum folia, ibi ſeminaria hujus beſtiolæ, ibi colluviem deprehendes. Totum, ut primum humi recubueris, obſideri corpus, totum prurire ſenties. Quo plus illud manu ſcalpſeris, eo certius ulcera augebis, doloremque. Una nocte ſexaginta aliquot tum recentia, tum inveterata toto in corpore me numeraſſe, memini. Dum Barbarorum contubernia detegendi ſtudio iter per ſylvas in tertiam hebdomadem a nobis productum ſæpius, non tigrides, non ſerpentes, non fauni (ſeu, ut ab Hiſpanis vocantur diablos del monte, & a Quaraniis Caruguà) nobis curæ erant, noxiæ beſtiolæ, quæ tum volando, tum rependo inſidiantur obviis, ſollicitudines noſtras quotidie exacuerunt. Conquerebamur identidem nobis non ſatis oculorum eſſe ad inſecta declinanda, neque ſatis digitorum ad eadem propulſanda. Noctes abſtergendo ſudori, reficiendo corpori poſt diurnam defatigationem neceſſariæ evellendis, quæ interdiu collegimus, Garrapatis, novisque repellendis vix ſuffecere. Hiſpani dum herbæ Paraquarienſi parandæ in ſylvis dant operam, ramorum ex arbore Caà faſcibus onuſti, & Garrapatis referti ad ſuum quotidie redeunt tugurium. Depoſito ramorum onere una omnes ad propinquum lacum, vel amnem ablucuri ſe ſe feſtinant. Mox, ut quisque nudus, alter alteri ſe inſpiciendum offert, alter ex altero inhærentes cuti Garrapatas excerpit. Ni quotidiana hac ſui cura uterentur, ſanie, ulceribusque paucos intra dies perirent.

Cervi, damæ, ſimii, urſi formicarii, canes, & quidquid demum ferarum ſeu campus, ſeu ſylva educat, ut pilis, ſic Garraptis horrent ſemper. Allata mihi ab Indo paucorum dierum damula, hanc cum admoto capite incautius contrectarem, Garrapata ex illa ad me tranſiliens recta in aurem irrepſit meam, cui roſtro & cruribus tenaciter adeo affixa hæſerat, ut non niſi filo ferreo unci in formam inflexo potuerit avelli. Ad avertendum hoc inſecti genus vel ad curandos illius morſus haud ſcio equidem Americanis remedium ſuppetere. Ungues a ſcabendo vulnere abſtinere, id enimvero tutiſſimum. Varro de re ruſtica L, 2. cap. 9. contra ricinos adfert remedium. *Quidam nucibus Græcis* (amygdala intelligit) *in aqua tritis perungunt catulorum aures, quod ricini ſoleant (ſi hoc unguine non ſis uſus) eas exulcerare.* Garrapatæ minores majoribus multo intolerabiliores.

Formicarum tum repentium, tum volucrium ut plurimæ ſunt ſpecies, ſic incredibilis per Paraquariam omnem multitudo. Strictim memorabo præcipua, mihique magis comperta. Formicæ ab Abiponibus Oehega, a Quaraniis tahi nuncupantur, quamvis earum ſpecies ſingulas ſingulari quoque vocabulo diſtinquant. Formiculæ omnium minutiſſimæ, rubri coloris omnium ſunt peſſimæ, mordaciſſimæque. Ut magnes ferrum, ſic illæ ſaccharum, mel, & quidquid dulce, appetunt, diripiuntque. Rerum ejusmodi penum adverſus iſtas tueri ut queas, aſtu opus eſt, ac ſæpe ingenio. Ex dulcium eſu bilem augent ſuam, & veneno exquiſito pollent. Cuti, ut primum inſident, ictu acerbiſſimo puſtulam imprimunt in plures dies cum dolore duraturam. Ex cucurbita, quæ herbæ Paraquarienſis cum ſaccharo mixtæ poculum mihi erat quotidie, frigidam imprudens hau-

hausi, & cum illa formiculas innumeras cucurbitæ fundo inhærentes. Superi boni! quanto cruciatu is haustus, quanto periculo mihi stetit! Tot periculis terra, marique defunctus nunquam morti me videram propiorem. Guttur totum tumefactis tonsillis subito exulceratum, inflammatum, tantisque constrictum angustiis, micam, guttulamve transmittere per biduum ægerrime ut possem. Adhæc reciprocandi spiritus difficultas maxima, nulla fandi, nulla somni copia fuit. Ipso assumptæ in Cœlum Deiparæ festo ab altari mihi abstinendum. Plurima nequidquam tentavi, dum denique aqua cum hordeo cocta, melli sylvestri, acetoque admixta fauces identidem perluissem, collumque adipe Gallinacea unxissem aliquoties, gutturis tumor, ardorque evanuit, unaque, in quo versabar, periculum minime imaginarium. Ex iis vero, quas omnino deglutiveram, formiculis tanta pulmonum titillatio, tussisque exorta est, ut asthmaticorum instar nil prorsus sommni, nisi sedens, caperem. Noctes sæpe integras tussiendo contrivi. Sulphur carbonibus candentibus injectum, haustusque ore sulphuris vapor unicum mihi levamen fuit; Ope hujus phlegmate ejecto tussis aliquamdiu sedabatur. Exeunte demum Septembri iter equo ingressus, postquam sub dio pernoctavi aliquoties, auræ liberioris beneficio convalui, & nocturna illa tussitatio penitus conquievit. Ut formicularum rubentium virus discas, ut ex poculo non prius inspecto bibere quidquam, caveas, hæc mea fata tibi significanda putavi.

Minimis his formicas, quas quidem videre mihi licuit, maximas subjungo. A Quaraniis Jzau vocantur, non humanis corporibus, sed ædificiis, quæ subruunt, formidandæ. Sub templis, sub domibus



quibusvis immani labore cuniculos agunt; Per ſinuoſos mæandros terram altiſſime cavant, glebamque effoſſam, ut corpore, viribusque valent, foras evehunt. Alis ſubinde ſuccreſcentibus, quoties nimbos denſiores præſentiunt, quaquaverſus turmatim avolant, ſed eadem, qua Icarus olim, infelicitate, hoc tamen diſcrimine, quod hic in mare, illæ madefactis pluvia alis in terram decidant, pereantque. Tolluntur in altum, ut lapſu ruant graviore. Illa porro terræ ſpiramina, per quæ commeare prius formicæ conſveverant, præcipitem ex imbre aquam admittunt; Hac formicarum ſpecus inundantur, terra ædibus ſubſtans exeditur, pilæ ligneæ, queis murus, tectum, trabesque ſuſtentantur, labant primum, & niſi eas actutum fulcias, cum domo procumbunt denique. Non rarum hoc Paraquarienſibus ſpectaculum. Totus collis, cui S. Joachimi oppidum incubuit, formicarum ſeminariis, tumulisque horrebat, & ſubterraneis cuniculis undique ſuffodiebatur, Domus noſtra, templumque illi adjacens multum moleſtiæ, tantundem periculi habuit propterea. Altare princeps in plures ſæpe dies nulli ad ſacrificandum erat uſui; Cœlo enim pluvio latentes formicæ ex antris ſuis longo agmine advolabant, & cum volatum diuturnum non ferant, in ſacerdotem, aram, ſacram ſupellectilem decidere, conſpurcaruntque omnia. Obſtructis diligenter, per quas e ſpecubus ſuis eruperant, decem portis, poſtridie viginti alias ſibi aperuere. Veſpere quodam ſæviſſima tempeſtas oborta. Horrendis ignibus micabat Cœlum, tonitribusque remugiit. Nimbus ſtrepitans auxit terrorem, domusque noſtræ aream declivem in lacum videbatur convertiſſe, cum ipſe murus aquarum curſui obſtaret. Socius meus in meum ſe recepit cubiculum. Adeſt interea Indus ædituus. Solum in templo dehiſcere,

pa-

parietem findi, inclinarique, trepide nunciat. Arrepta lampade accurro. Vix extra cubiculi limen egressus terræ hiatum, conspicor. Nil tamen periculi mihi suspicans in ipso aræ principis loco terra ad magnam altitudinem desidente humerotenus demergor subito, sed eadem celeritate, cum ædituus manum mihi porrexerit, ex illa voragine eluctor. Sub ara enim maxima metropolim condidisse suam formicæ videbantur. Caverna illa multos cubitos alta longe, lateque excurrit, ut cellæ vinariæ speciem referret. Toties multo Indorum labore congesta terra ad illam implendam, toties a formicis denuo effossa est. In illa omnium trepidatione Indi, quotquot poterant, accersiti, qui dehiscentem templi parietem tignis, Trabibus, tubicinibusque suffulcirent. Et vero, ut sunt Quaranii egregia in Deum pietate, ac insigni in Patres suos observantia, strenuam per multas horas navarunt templo operam, hinc sudore, illinc imbre continuo perfusi. Verum pro discriminis magnitudine in quantiscunque industriis acquiesci prudenter haud potuit. Hinc eadem nocte, socii admonitu, meo me e cubiculo migrare oportebat, quod iisdem trabibus, ac tignis ita cum templo erat conjunctum, ut hoc ruente illius ruina vitari neutiquam posset. In insulis Quayanæ provinciæ finitimis rupes, montesque a formicis exesos, muros passim subrutos, incolas suis ex ædibus ejectos, legi. Facile inducor, ut hæc credam, similia his, quin & incredibiliora expertus.

Quantum formicæ possint, in Paraquaria planissime didici. Imbecilles, & si cum plerisque aliis insectis conferas, exiles sunt singulæ; Verum numero, labore, ac concordia formidabiles evaserunt, seque ipsis fortiores. Minima quamvis, si multiplica-

ta, nunquam ſpernenda. Ipſe Oceanus e Guttulis coaleſcens en quam minax, quam truculentus eſt! vidimus per campos, maxime, quos Parana flumen alluit, formicarum tumulos pyramidi Saxeæ ſimillimos, ternas, pluresve ulnas altos, baſi latiſſima, materia, quæ durite lapidem æquat, perſolida; Hi domus annonariæ, hi formicarum turres ſunt, e quarum culmine ſubitas eluviones deſpiciunt, ac fluitantia ſegnium beſtiarum cadavera tutæ ſpeculantur. Vidimus alibi immenſam planitiem formicariis tumulis humilioribus ita conſitam, ut ſpatium, ubi equus citra ceſpitationis periculum pedes figat, nusquam inveniat. Latiſſima ſæpe formicarum ſemita in campo cernitur, Xerxis legiones illac tranſiiſſe, jurares. Tumulos illos pyramidales prius ſolerter Cavatos Hiſpani pro furno ad coquendum panem adhibent aliquando; Nonnunquam eos commolunt, ac in pulveres redigunt, qui aqua rite ſubacti ad pavimentandas domos egregie valent. Ejusmodi pavimenta lapidem referunt, lapidis inſtar durant, & pulicum, aliorumque inſectorum procreationem impedire dicuntur. Sed formicarum, quas rei domeſticæ inferunt, ſtrages accipe. Longiſſimo, cujus finem fruſtra expectaveris, ac denſo agmine ad ſaccos tritico refertos accurrunt, & continuato diebus, noctibusque (ſi illunes non ſint) itinere modios aliquot ſenſim aſportant. Fructiferas arbores, ni earum ſtipitem cauda vaccina circumplices, ut aſcenſum impedias, foliis nudant omnibus. Segetes quascunque attondent, crederes falce demeſſas. Vinum permodicum, quod ad altaris uſum vix ſufficiat, cur per quadringentarum leucarum ſpatium chilenſi e regno in Paraquariam advehendum? Formicæ innumerabiles vites, vineasque, cæterum lætiſſimas, depaſcunt. Hiſpani certe nec vino infenſi, neque vinearum cultu-

turam pertæſi ſunt. Primo Americæ aditu colendis vitibus operam addixere ſuam, aſt nullo operæ pretio in Paraquaria. Cum annuos conatus formicarum voracitate deludi viderent, tantusque ſudor vineis impenſus ne una quidem vini guttula penſaretur, omnem ſubinde de vitibus curam abjecere, eadem, qua anates, potione contenti, niſi illis crematum e ſaccharaceis cannis, vel vini aliquid chilenſi e provincia allatum obtingat aliquando. Extra Cordubam, Riojam, & Catamarcam Tucumaniæ colonias vix tantum racemorum ſuppetit, vinum confieri ut queat, quod pro ſacrificio diebus etiam maxima religione celebribus ſæpe deſideratur in locis, ab urbe Boni aeris, & Tucumauia remotioribus. Plus aquæ luſtralis Europæorum frontibus, quam vini Paraquarienſium Gutturi aſpergi, extra dubium eſt. Vini penuriam potu ex tritico turcico, vel fructibus parato Hiſpanorum vulgus interdum ſupplet. Si quando formicas aſſiduitate quotidiana e vineis exterminari contingat, Columbarum Sylveſtrium, Veſparumque immenſa agmina enaſcentes forte uvas conſumunt. Cæterum ut vineis, ſic hortis exitiales eſſe ſolent formicæ varii generis. Quid quid oleris, aut leguminis ſeveris, ad radicem uſque depaſcuntur. Plantam teneram hodie terræ mandas, cras incaſſum quæres. Piperi tamen, quia acrioris ſaporis, parcunt. Carnem ſeu crudam, ſeu aſſam, ſi in cubiculo relinquas, mox formicarum gregibus nigreſcentem invenies. Quidquid quisquiliarum eſt, mandunt, ipſa ſcarabeorum, bufonum, anguium cadavera. Aviculam caveæ incluſam, cui caro pro pabulo fuit, a formicis devoratam ad cubiculum rediens inveni. Neque dormientium corporibus abſtinent. Te noctu in utramque aurem dormitante, nocte concubia, jam ex pariete, jam ex pavimento prodibit

 for-

formicarum exercitus, in lectum eluctabitur, teque, ni fugias ocyus, omni ex parte compunget. Experto mihi tuto credas. Id Quaraniorum in coloniis perfrequens. Hinc ardens tota nocte candela. Nam papyri folia accenſa, formicarumque adventantium agmini injecta unicum ad eas arcendas remedium putantur. Luſitani recepto dudum adagio formicas Braſiliæ reginas dictitant. Nos easdem Paraquariæ dominas ſumus experti, Nicolao illo, quem Paraquarienſium Regem finxerunt, utique potentiores. Plus negotii fore dixero in his, quam in barbaris omnibus ſub jugum mittendis. Quidquid enim induſtriarum, aſtutiarumque excogitatum adhuc, ad illas fugandas tantiſper, non ad eliminandas valuit. Conductis hunc in finem ingenti ſumptu operis diſturbatæ formicarum cavernæ jam injecto igne, jam egeſtis earum ovulis; Poſtridie novæ detectæ alibi eodem in horto. Fimo ſuillo, Calce, lotio, vel origano earum antris immiſſo recedunt equidem, ſed in propinquo novas ſibi fodiunt ſpecus. Sulphur cæteris remediis præferendum. Illius uſum, quem a luſitanis docti ſumus, jam accipe. Latibulum formicarum, quas in horto, vel agro ſentis tuo, præcipuum explora, Foramini majori, per quod terram ſubeunt, acerram cum accenſis carbonibus immitte; folle admoto flammam excita, fumumque ingeſto ſulphure. Foramina cætera, unde fumum exire notaveris, limo recenti obſtrue diligenter, fumo ſulphureo exitus porro ne pateat. Tum quidquid ſulphuris in promptu eſt, follis ope inflamma, & fumo ſpecum totam permeante formicas, quotquot illic latuerint, univerſas ſuffocari oportebit. Feliciter id a pluribus peractum in Paraquaria. Sed quid? ſi in illis ſolitudinibus deſit ſulphur? ſi deſit patientia? Deerunt uvæ, arborum, camporumque fru-

fruges. Vaſtabunt omnia formicæ quaſcunque cultorum induſtrias eluſuræ, ſolo ſulphuris fumo internecione delendæ.

Plinius libro 11. Capite 31. refert: In quibusdam Indiarum orientalium tractibus graſſari formicas magnitudine lupis Ægyptiis, colore felibus ſimiles, ſed cornutas. Tales, tantasque nunquam vidit Paraquaria, fateor, quid ſi in hiſtoricorum fabulantium cerebro duntaxat natas, nusquam gentium viſas? Haud equidem is ſum, qui auſim in Plinii verba jurare, quippe cui familiare monſtroſas magnitudines, parvitates, virtutes, formas rebus peregrinis affingere. Sed quamvis minutiora ſint formicarum Paraquarienſium corpuſcula, viribus tamen, armisque abundant ad humanos artus laniandos, lacerandosque. Opportune mihi in mentem venit, quod Svetonius de Nerone ob flagitia nocturnis terroribus exagitato ſcripſit Numero 46. *Nunquam antea*, ait, *Somniare ſolitus, occiſa demum matre vidit per quietem, navem ſibi regenti extortum gubernaculum: Trahique ſe ab Octavia uxore in arctiſſimas tenebras, & modo pennatarum formicarum multitudine oppleri: Modo* &c. Haud abs re ceu ſtygios tortores formicas ſomniavit Nero diu noctuque infeſtas, ſemperque intolerabiles. Quod Nero ſomniaverat, in Paraquaria eheu tot annos experti ſumus. Nam ſeu domi, ſeu ruri agentes, a formicis identidem aſſilientibus pertinaciſſime vexabamur, maxime ſi irritentur. Ut enim nôrunt aliena invadere, ſic ſe, ſuaque ſolent ſtrenue tueri. Arbor quædam ab Hiſpanis formicaria appellatur, ab Indis Chiquitis Auci n' occepez. Lignum illius mollliſſimum a formicis omni ex parte cribri inſtar perterebratum, ac habitatum. Cave, hanc arborem vel eminus digito contingas. Nam infinitæ formicarum

co-

cohortes veluti classico audito, qua data porta, ruent ad te miseris modis dilacerandum, nullam cutis tuæ partem relinquent intactam, adeo illarum multitudine, quod Nero somniaverat, opprimeris.

Verum injurius sim formicis, si, postquam earum noxas minutius, quam cogitaveram, exposui, beneficia, quæ præstant, reticerem. Aliquæ majoris molis in posteriore corporis parte globulum gestant pinguedine candidissima refertum, quam e multis collectam, & igne eliquatam butyri instar & Hispani & Indi cum voluptate edunt. Vidi sæpe, ast nunquam has cupedias invidi, nunquam appetii. Formicæ aliæ minusculæ in arbustis, quæ fructus quabyrâ miri fragrantissimus commendat, ceram deponunt natura candidissimam. Constat ex micis minutis, quæ colliguntur, & liquefactæ candelis, quæ aræ serviunt, parandis adhibentur. Cera hæc accensa odorem exhalat quovis thure suaviorem; quia vero mollior, cito liquescit, &, quamvis quavis alia cera duplo pretiosior, præ quavis alia citius consumitur. Non desunt formicæ, quæ resinæ fragrantis particulas ad sua receptacula convehunt, thuris loco servituras. In quibusdam Asiæ tractibus auri micæ ex auriferis montibus a formicis colliguntur; Incolæ aurum rapturi illarum specus, thesauri scilicet arcas, invadunt sole plurimum æstuante. Verum formicis opes suas acriter defendentibus vacuis sæpe manibus recedunt, atque adeo pedibus ad maturandam fugam magis expeditis. Quædam formicarum species ursorum esca est, qui propterea ursi formicarii appellantur, & ab hujatibus omnino differunt. Verum de his plura alibi. Dudum mihi in mentem venerat optare, ut, qui in Europa philomelis, alaudisque pabulum suppeditant, in Americam navigarent,

rent, ovulis formicarum naves maximas oneraturi. Ingenti certe cum quæſtu redirent, ſimul illis provinciis Americæ optime conſultum irent.

Bufonum quoque prægrandium (Quaraniis Cururù, Abiponibus Hiymeya, Hiſpanis Zapo) incredibilis eſt frequentia deſertis maxime in locis, vel recens habitatis. In oppido conceptionis ad fluminis ſalſi ripas ex amne Narahagem a nobis translato, ſub veſperum plateæ omnes a confertiſſimis bufonibus adeo erant obſeſſæ, ac lubricæ, ut non ſolum, ſed glaciem ambulando calcare nobis videremur. Sacellum, noſtra tuguria, verbo, omnia complebant. Ex tecto in pavimentum, in lectum, in menſam decidere non raro. Per parietem reptare nôrunt, & muſcarum ritu aſcendere, deſcendereque. Cum focus culinarius non editiore in loco, ſed humi, alatur, in ollas, ac lebetes quandoque irrepunt bufones. Ex vaſculo æneo aquam ferventem in ſubjectam cucurbitam, quæ phialæ vices agit in Paraquaria, effundere cæpi, mox cum herba Paraquarica, & ſaccharo commiſcendam. Aqua modica, & atri coloris fluebat. Inſpecto vaſculo bufonem cum aqua coctum attonitus deprehendi, qui aquam tetro colore imbuit, & ex illa tantum intumuit, ut os vaſculi anguſtius clauſerit omnino. In colonia Roſarii ad ſtagni majoris ripas a me condita eadem bufonum colluvies. Sacra ædicula, dum rem divinam facturus acceſſeram, bufonibus innumeris horrebat quotidie, & licet plurimi mactarentur horis ſingulis per biennium, eorum numerus non minui, quin augeri indies videbatur. Bufones alii, quos Hiſpani eſcuerzos vocant, Europæis altero tanto majores præter moleſtiam etiam periculum afferunt ſe offendentibus.

Vin-

Vindictæ enim ſtudio veſicam mox exonerant, & lotium contra ſibi infeſtos quam longiſſime ejaculantur, quo ſi vel tantulum oculus conſpergatur, confeſtim excæcatur. Non lotio eorum duntaxat, ſed & ſalivæ, & ſanguini, & felli maxime virus nocentiſſimum ineſſe nemo unus dubitaverit. Ex authoribus idoneis novimus, a Barbaris Braſilienſibus bufones torreri, toſtosque in pulveres redigi, quibus cibo, potuive inſperſis mortem accerſunt ſuis hoſtibus; Hi guttur inflammari, ſiccarique ſuum paulatim ſentiunt, vomitum, ſingultum, animi ſubitam defectionem, delirationem, articulorum, ventriculique acerrimos dolores, & nonnunquam, dyſenteriam patiuntur. Talibus, ſi toxici vis medicinæ locum relinquat, alvi purgatione, vomituque utendum illico, repetita etiam ad ſudorem ciendum deambulatione, vel balneo, quibus remediis veneni reliquias e corpore eliminari putant. Eundem in finem ægrotans furno mediocriter calido, vel beſtiæ recens diſſectæ injicitur aliquando. Præter hæc herbæ, radicesque variæ Veneno diſcutiendo idoneæ adhibentur Has inter primum facile locum obtinet, herba Nhambi a Braſilis dicta. Illius ſuccus bufonis tergo, vel capiti aſperſus (Hæ tamen partes tantiſper humi perfricandæ ſunt prius) momento temporis enecat peſtilentem beſtiam. Idem prorſus tabacæ pulveres ejus dorſo impoſiti præſtant, uti fide digniſſimi teſtantur. Ex quo, quantum ſeu herba Nhambi ſeu tabaca ad id genus veneni repellendum valeat, licet arguere. Cæterum cinerei, vel ſpadicei coloris ſunt bufones Americani, interdum verſicolores, & verrucis aſperi, quin & herinaceorum inſtar aculeati viſuntur. Barbaros quosdam bufonum, neſcio, qua ſpecie veſci, legeram, quin tamen id unquam vidiſſem. Bufonum ſiccatorum, & pharmacopœorum arte præparatorum pul-

pulveribus ſudorem, urinamque cieri ad hydropem, peſtem, febresque curandas, ex Europæis medicis intellexi, e quorum conſilio bufo contuſus cataplaſmatis loco circa renes dorſo applicatur contra hydropem. Oleum bufonum ſtrumis curandis utile dicitur, ſi tamen Joanni woyts medico, qui iſta adfert, habenda fides. Adverſus noxas e bufonum veneno ortas cancri fluviatiles, cornu cervi, flores vitis, & neſcio, quæ alia ab eodem commendantur. Ranarum (oèrgetetè dicuntur ab Abiponibus) ut mira varietas, ſive colorem, magnitudinem, vocem ſpectes, ſic incredibilis ubique frequentia. Vocales, ac garrulæ ſunt, ut Europææ, & veterem in limo cantare querelam ſolent habitantibus perinde, ac iter agentibus permoleſtæ. Cæterum nec damno ulli ſunt, neque uſui, etſi apud Europæos tum in medicina, tum in menſa aliquem habeant locum. Ab Americano quidquid impetrabis citius, quam ranarum eſum, vel qualemcunque uſum. Idem mihi ſemper illarum horror. Ne bufonem pro rana, ut felem pro lepore alibi, mihi obtrudant, timeo. Integræ per Europam nationes a ranarum uſu abhorrent, ecquis id ignorat? Novi equidem, diſcrimina, quibus rana a bufone dignoſcitur, ſuppetere; Quid ſi coquarum oculi hallucinentur, vel dormitent, ut ſæpe alias cicutam pro petroſelino, fungos noxios pro innoxiis menſæ intulerunt, affinitate quadam rerum deceptæ, vel earum notis, e quibus ægre diſcernuntur, oſcitanter obſervatis?

Hirudines (Abiponibus ypichì) in ſtagnis, quæ aqua pluvia duntaxat aluntur, nuſquam deſunt; Hujatibus tamen magnitudine pares nunquam vidi. Per quadriennium, variis in coloniis aqua mihi potanda hirudinibus plena, quas in poculo cochleari

quo-

quotidie piſcabar. Aliquando, dum otium fuit, aquam per linteum transmiſi. Abiponibus, queis natare, lavari, ludere in ſtagnis quotidianum negotium, hirudines undique adhæreſcunt; Alter alterius manu, ut primum ex aquis emergunt, perpurgatur. Id mirum, nemini unquam has beſtias per quoſcunque demum meatus in corpus irrepſiſſe. In oppido Roſarii poſt nimbum procelloſum plateæ omnes hirudinibus refertæ videbantur. Quod ſpectaculum, quia nunquam alias nobis viſum, admirationi omnibus, ac riſui fuit. Abipones tamen, qui nudis ſemper incedunt pedibus, acerrime ſunt conqueſti, quod ſibi, quoquo euntibus, hirudines mordaces tenaciter ſe affixerint. Verum exigui hic cruciatus temporis fuit. Nam poſt horæ unius intervallum moleſti hoſpites ad unum omnes diſparuere. Ad vicinum ſtagnum eos properaſſe, veriſimillimum.

Veſpertiliones, quos Quaranii Mbopí, Abipones Cahít appellant, prægrandes in rupium antris latent, permulti in campis, domibusque vagantur & incolis, & beſtiis formidabiles. Ut Maffeus noſter de rebus Indicis refert libro 2. folio mihi 35. in Cananore veſpertiliones viſuntur dentibus, & roſtro vulpinis, milvii magnitudine, & exquiſitioribus epulis accenſentur. Quemadmodum veſpertiliones in Cananore hominibus cibum, ſic in Paraquaria homines potum præbent veſpertilionibus. Hi equidem ſe cubiculis clanculum inſinuant, & ſi quos bene ſopitos, ac male tectos nanciſcantur, jam ex eorum pedibus, jam e brachiis ſanguinem exugunt, ſed titillatione tam ſvavi, ut mulcere potius dormientes, quam mordere videantur. Vulnus enim, quod dentibus inferunt, alarum agitatione refrigerant. Expergefacti ex ſanguine ſtragulis aſperſo veſpertilionis

ſu-

ſuctum præceſſiſſe intelligunt denique. Vulnus ſoli cuti inflictum ut dolore, ſic periculo plerumque vacuum eſt, niſi a muſcis humida captantibus occupetur. Vel hoc nomine veſpertilionum morſus equis, mulisque fere ſunt periculioſiores, cum enim eorum tergus ſaucium aſſilientibus identidem muſcis pateat, vermibus ex illarum ſeminio enatis, &, quod ex his conſequitur, profundo ulcere conficiuntur ſæpe. Ad hæc vitanda recenti veſpertilionum morſui calentes cineres actutum inſperguntur.

Murium, gliriumque (quos Quaranius Angujà, Abipon Patagnìk vocat) non ſeminarium modo, ſed & campum elyſium eſſe Paraquariam veriſſime quis dixerit. Ex quotidiana tot boum occidione tot carnis rejectanea ubique ſuppetunt, ut, ſi glires hujates ægre, quod rodant, inveniunt, iſtic epulas diu, noctuque in promptu habeant, quibus illos ali, & ſupra, quam credi poſſit, augeri, neceſſe eſt. In urbe Boni aeris ſole occumbente glires ſciuris noſtratibus majores e priſcis parietibus in aream turmatim prodire quotidie vidimus attoniti; Quingentis plures uno ſæpe in agmine cum ſociis ipſe numeravi. Cordubæ Tucumanorum bos pelle, viſceribusque exutus, cætera integer e trabe pendebat in ſcriniariorum officina. Hanc ingreſſi mane fratres Laici bovem, quantus erat, gliribus nigreſcere eminus conſpiciunt, quantumque carnis illa nocte conſumpſerint, obſervaturi propius accedunt. Dilapſis metu innumeris, dum manu carnem contrectant, intra illam tot dentibus cavatam tricenos glires, ceu in cuniculo latitantes deprehendunt. Quo audito tanta me inceſſit carnis a gliribus eroſæ nauſea, ut biduum vomitus metu triclinio abſtinerem, pane contentus. Quod caro dein' loco magis idoneo, mundiusque

ſervaretur, is abſtinentiæ meæ fructus exſtitit non pœnitendus. Innumerabilis glirium exercitus ex Auſtralibus Boni aeris campis conferto ordine adventans Tucumaniæ agros, horrea, domicilia implevit, vaſtavitque omnia non raro. Amnes ſibi obſtantes citra trepidationem nando ſnperarunt. Immenſam camporum planitiem, per quam illis iter, veluti plauſtris tritam, compreſſamque reliquere. Paraquarienſes ruricolæ glirium multitudine territi relictis tuguriis, omni ex parte patentibus, fugam malunt, quam arma capere. Adeo quantumvis imbellis, quantumvis imbecillis turba numero ſuo ſæpe evadit formidabilis. Neque putes, velim, glires Paraquarienſes bubulæ ſolum carni inhiare; Humanam quoque appetunt, videnturque anthropophagorum de genere. Nam in utramque aurem dormientes mordent non raro, & vero dente haud pigro. ſociorum novi aliquem, cui meridianti glis inſidiatus iterum, iterumque digitum momorderat. Manum ſanguine manantem iſtius ipſe ſpectavi. Nihil præterea ſcrutorum, aut quisquiliarum eſt, quod non corrodant, clepantque, ac ſua condant in penu vel nido ſerviturum, vel cibo. Sericeas ligulas e libro precum horariarum ſacerdotalium ſuffurati eas parandis ſuorum incunabulis impendere. Strophia, vittas, tibialia, lineam, laneamve cujuscunque uſus ſupellectilem aufferunt, ſuumque transferunt in latibulum, pro culcitra, ae ſtragulis ſibi ſubſternendam. Moleſti hi furunculi non damnum modo domeſticis, ſed & incendii periculum domibus minantur quotidie. Nam candelas e ſevo ardentes noctu aſportare audent faucibus, & ad ſpecum ſuum properantes Hiſpanorum ruricolarum mapalia accendunt ſæpe. Multum mihi propterea negotium faceſſivere in nova Roſarii colonia. Non uno nomine lux noctu

alen-

alenda fuit. Sevo deficiente, oleo ex boum pedibus excocto utebar hunc in finem. Laminam cum ellychnio ardente noctibus prope ſingulis glires e lampade humi locata abripuerant, frigeſcens mox oleum ſorbillaturi. Ad coercendam iſtiusmodi audaciam ellychnii Laminam catenula ænea adjecto ferri pondere lampadi adſtringere dein oportuit. Contra fures jam viribus utendum, jam aſtu.

Frequentiſſima, & propemodum annua Paraquariæ calamitas ſunt locuſtæ (Abiponibus Aorkañi) viſu horridæ, vaſtique corporis; Nam medium digitum longitudine excedunt. Infinito earum agmine propinquante terrifica caligo ex ultimo horrizonte erumpit, ſol obnubitur, lux vel meridiana obſcuratur, nubem atram, nimbo, turbine, fulminibus prægnantem imminere jurares. Sæpe Abipones mei correptis armis in acie conſtiterunt, quod eminus viſæ locuſtæ ſpeciem referebant pulverum, quos hoſtilis barbarorum equitatus effuſiſſimo curſu advolans per viam excitare conſvevit. Ubi ubi conſederint locuſtæ, agros frugibus, arbores foliis, campum herbis, & quod inde conſequitur, homines juxta ac beſtias pabulo ſpoliant; ſoboles, quam relinquunt, numeroſiſſima ſtragem alterum in annum continuat, miſeriasque auget. Adventans locuſtarum exercitus ne ad ſolum devolet, agrosque varia ſemente conſitos depaſcat, tympanorum ſtrepitu, vociferatione populi, ſclopetorum fragore, ramorum per auram jactatione continua impeditur. Quo ſi arceri nequeant, Quaranicis in oppidis, quidquid hominum eſt, in illis humi colligendis, necandisque occupatur. Uno ſæpe die multos modios his beſtiis plenos læti vidimus, easque jam ad focum, jam ad aquam condemnavimus. Abipones malunt locuſtas

vorare, quam demergere, vel cremare. Hinc illas advolantes, quotquot poſſunt, ex aere humum deturbant virgulis longioribus, iisdemque ceu verubus affixas lento igne aſſant, vorantque eadem, qua nos perdices, vel ficedulas, aviditate, non promiſcue tamen omnes, fæmellas ſiquidem ſolas pro eſca ſibi deligunt, maſculis rejectis. Neque eſt, cur his barbaris ſuccenſeamus. Nam locuſta levitici capite undecimo, verſu ſecundo & viceſimo mundis volucribus adnumeratur. Hinc Judæis, Æthiopibus, Libyis, Parthis vel elixa, vel toſta, & in pollinem redacta, quin & ſale ac fumo durata locuſta pro cibo fuit, ſi fides habenda Diodoro ſiculo, l. 3. c. 3. Plinio l. 6. C. 30. & Divo Hieronymo l. 2. contra Jovinianum. Si tot populi ἀκριδοφάγοι locuſtarum edaces exſtitere, eccur dubitemus, locuſtam, qua Divus Joannes Baptiſta in ſolitudine, ut ſacer refert codex, veſcebatur, veram locuſtam, non herbam quamdam ſic dictam, non piſcem, aut cancrum fuiſſe, uti quibusdam ſcriptoribus interpretari, opinarique viſum, qui jam ἀκριδες, jam ἀκραδες, jam ἐγκριδες, jam ἀχάριδες legendum putarunt, cum in animum inducere ſuum haud poſſent, locuſtas usquam eſculentas fuiſſe, quod ipſus ego hiſce oculis apud Barbaros ſpectavi. Infinitus ſim, ſi cætera, queis Paraquaria ſcatet, inſectorum genera perſequar. Ex iis, quæ memoravi, conjectura ſit de aliis, quæ brevitatis ſtudio omitto. Moleſtior fere minutiſſimorum animalium, quam tigridum, leonum, crocodilorum inſectatio; Hi aut fuga eludi, aut ſterni armis queunt, non item illa, at certe rarius, difficiliusque. Maxime iſta nocent, quia minus videntur; Formidabiliora feris grandioribus, quia numeroſiora, verius dixero, quia innumerabilia. De inſectis noxiis, quæ mortem, morbum, vel damnum

quod-

quodcunque accerſunt, hoc loco ſcribere mihi fuit propoſitum. Quantus mihi campus pateret, ſi inſecta quoque innoxia ſeu gradientia, ſeu aquatilia vel obiter enumeranda forent. Quanta, ſuperi boni! muſcarum, vermium, apum, crabronum, fucorum, cicadarum varietas, ac frequentia! Quam multiplex cincindelarum diverſitas noctu ſtellarum inſtar paſſim collucentium! Aliæ bruchi magnitudine alarum jactatione, aliæ ſolis ex oculis lucem vibrant, quæ libro legendo ſufficiat. Quædam ſolis natibus ſplendorem edunt. Vermes quidam majuſculi toto corpore coruſcant. Ligna, arundines, arborum folia, plantarum radices, poſtquam computruere, in territoriis maxime humidis adamantum, pyroporum - ſmaragdorum, chryſolithorum, rubinorum &c. more lucem viridem, rubram, flavam, cæruleam noctu ſpargunt, mirumque in modum oculos oblectant. Quotidianum hoc nobis in ſylvis, Mbae vera Acaraў, & Mondaў fluvios inter ſitis, ſpectaculum noctu fuit. Ejusmodi reculas, quas lucere obſervaveram, humi collectas ad oppidum aſportavi meum, ubi tamdiu luxerant, quamdiu humidæ; Aqua affuſa madefactæ ſplendorem recuperarunt priſtinum, qui tamen aqua nil porro proficiente, deſiit denique. Ejusmodi phoſphoros nuſquam deprehendi per reliquam Paraquariam. Ut flores campum, ſic papiliones innumeri rivorum, ſylvarumque margines amæniſſima colorum varietate exornant. Verum de his, aliisque inſectis & multi & accuratiſſimi libri proſtant, ac in omnium manibus verſantur. Nobis ad Abipones redeundum inſecto quovis Paraquariæ nocentiores. Poſtquam enim plerique omnes Barbarorum populi Hiſpanorum jugo cervicem ſubmiſere, Abipones indomiti reſecandis Hiſpanorum cervicibus uſque occupabantur, hoc præſertim, quod agi-

 mus,



mus, ſeculo. Totam equidem, qua patet, provinciam latrocinantium more quotidianis prope aſſultibus, cædibus, rapinis, incendiis vexarunt, magnamque ejus partem incolis, fortunis, pecoribusqne exhauſere, magnanimitatis, aſtutiæ, dominationisque Hiſpanicæ ſuperbi contemptores, ac libertatis avitæ defenſores pertinaciſſimi. Latrones dicuntur ab Hiſpanis, & ſicarii Abipones; Aſt illi bellatores ſe ſe, heroesque jactant, jurene, an injuria, lectoribus arbitrandum permitto, quibus militarem eorum diſciplinam, cæteraque, quæ ad bellum pertinent, exponere aggredior.



CAPUT XXXV.

De militari Abiponum ingenio.

Quibus jam coloribus militare Abiponum ingenium expingam, anceps hæreo. Imagini, quam diuturna Barbarorum iſtorum experientia mihi impreſſerat, vox nulla omnium reſpondet, quibus latium abundat. Bellicoſi, impigri, prompti ad res gerendas Snnt Abipones, id equidem nemo vel Hiſpanorum negaverit. Magnanimos tamen eos, impavidosque dicere, vlx audeo. Nam & ipſe Cicero 2. Philipp. Strenuum a forti diſtinguit: *ut cognoſceret te*, ait, *ſi minus fortem, attamen ſtrenuum.* Hiſtoriam de Abiponibus ſcribere mihi eſt animus, non panegyricum. Hiſtorici eſt rem nudam ſine fuco proponere; Oratori permittitur ea, quæ ad commendationem non pertinent, ſilentio præterire, jam coloribus uti, ſi res poſcat, jam pallio ad tegendas, quæ laudibus obſtarent, labes. Ingenuus ſum, dicam more meo, quod ſentio. Nollem profecto Divæ veritati, cui opellam ſacravi meam, vel bilem movere, vel riſum.

Bellicæ virtutis famam maximopere ambiunt Abipones. Totis ad arma animis aſpirant. Haſtam, arcum, omne telorum genus dexterrime vibrant. Equo, ſi quisquam alius, volare nôrunt. Belli aſperitates, Cœli injurias, inediam, itinerum moleſtias nemo tolerat conſtantius. Metuenda nautis, navi-

busque flumina nando trajiciunt intrepidi. Vulnera ſua, ceu aliena, ſine gemitu ſpectant ſauciati. Omnia hæc nôrunt, quæ univerſi per Europam bellatores ſuſpiciant, pauciſſimi imitentur. Unum id ſcilicet ignorant Abipones: Mortem aſpernari, gloriam per pericula ſibi conquirere. Mavortios jactant animos, ſed purpuream vomere animam nimiopere timent. Strenui ſunt, fortes dici neutiquam poſſunt; Iſtorum enim eſt, etſi fractus illabatur orbis, nil formidare, vincere, aut mori velle. Vincere quidem ſemper volunt Abipones, nolunt tamen mori. Diris devovebunt victoriam vel unius ſuorum vita emptam. Reſpuunt epinicia, queis leſſus miſceri debeat. Triumphum recuſant, quem vel unius viduæ, orphanive lugentis ſuſpiria comitentur. *Pro patria ſit dulce mori licet, atque decorum; Vivere pro patria dulcius eſſe putant* cum Oveno poëta. Americani hi bellatores perperam ſe ſe Martis progeniem jactant, quippe quibus adeo inſolens mortis timor. Næ! ego illorum nomina heroum albo nunquam adſcripſerim. Plutarchus in Perſeo Macedonum Rege φιλοψυχίαν nimium vitæ amorem acriter reprehendit, morbumque minime Regium appellat; Decet equidem magnos viros magno animo mortem contemnere. Fateor tamen ingenitum nobis vitæ ſervandæ ſtudium haud culpari a ſapientibus, dummodo nimio ejus amore cæcati nil turpiter faciamus, patiamurve. Vitam ſpernat, qui vitæ pretium ignorat, vel vita uti neſcierit. Tanti porro vita eſt, ut Tullius Cicero formicam pulcherrimæ urbi præferendam exiſtimaverit, quod in urbe ſenſus ſit nullus, in formica non modo ſenſus, ſed etiam mens, ratio, memoria. Eadem ratione ductus Auguſtinus libro de 2. anim. in Manichæos muſcam quamlibet ſole ipſo præſtantiorem affirmavit.

Et

Et Salomon Eccles. 9. v. 4: *Melior eſt canis vivus Leone mortuo*, edixit. Cum igitur maximi facere vitam ſuam quemque oporteat, excuſandus videbatur hiſtoricis Pheres, qui pro filio ſuo Admeto Theſſaliæ Rege mori recuſaverat, illud forte Euripidis cum animo ſuo identidem reputans: *Longum apud inferos tempus eſt. Hæc autem vita brevis eſt quidem, ſed dulcis. Neque duabus animabus, ſed una vivimus. Chara lux hæc Dei, Chara!*

Ad vitam temere prodigendam præcipites nemo ſane Abipones dixerit. Divam præ quovis Numine ſecuritatem, præliorum arbitram, adorant, quam niſi certe ſibi propitiam nôrint, nunquam in arenam deſcendent. Martis aleam ancipitem, dum poſſunt, refugiunt. Semper minantur aliis, ſemper timent ſibi. Nihil admodum fortunæ tribuunt. Hinc antequam expeditionem bellicam ſuſceperint, loci naturam, hoſtium numerum, temporis rationem anxii de ſua incolumitate iterum, iterumque circumſpectant. Periculum quodvis, quin & periculi ſuſpicio haſtam illorum e manibus excutiet, ac quantumvis furorem protinus reſtinguet. Agis ſpartanorum Rex, ut Plutarchus in apophtegmatibus laconicis memorat, magnifice ſe jactabat: Milites ſuos Lacedæmonios bello fervente haud quærere, quotnam hoſtes, & quam fortes habeant, ſed, ubi ſint, rogare ſolitos, ut illos cominus invadere queant, & profligare. Nunquam tam cæco impetu in pugnas feruntur Abipones. Feſtinant lente, quia ſuſpecta illis omnia. Neque claſſica canunt, niſi rebus omnibus diligenter exploratis. De ſecuritate ſua facti certiores fulminis more irruunt, jam Hanibalem callidum, jam Fabium cunctatorem imitantes. Nôrunt audaces a fortuna juvari quidem aliquando,

aliquando, si sagacitas provida periculorum desit, destitui. Idcirco, quemadmodum flumen minax equo transmissuri vadum tentamus, ne vorticibus abripiamur, sic illi non nisi post longas meditationes hostibus propinquant suis, ut impune victoria potiantur. Innata Americanis omnibus timiditas temeritatem existimat, quod magnanimitas apud Europæos audit. Sæpe, diuque cogitant, quod patrandum est semel. Ictum non vibrant, nisi meditatum, manu ad quemvis strepitum trepidante. Invadunt raro aperta fronte, plerumque per insidias. Parum audent contra audaces, qui frontem assilientibus obvertere, & excubare consveverint. Nunquam minus timent, quam dum timeri se, advertunt. Astu, & equorum velocitate funestiores edunt strages, quam viribus, Hunnis antiquis utique perquam similes. Juvat compendio dicere, quæ divus Hieronymus de illis ad Oceanum epistola trigesima, quæ epitaphium Fabiolæ inscribitur, olim scripserat: *Ecce subito*, ait, *discurrentibus nunciis oriens totus intremuit, ab ultima Mæotide inter Glacialem Tanaim, & Massagetarum immanes populos, ubi Caucasi rupibus feras gentes Alexandri claustra cohibent, erupisse Hunnorum examina, quæ Pernicibus equis huc, illucque volitantia Cædis pariter, ac terroris cuncta complerent. - - - Insperati ubique aderant; Et famam celeritate vincentes non religioni, non dignitatibus, non ætati parcebant, non vagientis miserebantur infantiæ* &c. Idem de Abiponibus Paraquariæ lamentum quondam fuit, cujus magnam partem annis superioribus ad incitas, ac desperationem redegere, antequam scilicet in coloniis collecti nos & religionis & morum magistros habuerunt. Cruentissimas strages, quas alibi ordine referam, Hispanis tum maxime intulerant, quando minime timebantur. Ne vel timeri possent, id equis, id artibus debent suis,

quas

quas jam minutatim exponere oportebit. Quantumvis culpanda illorum timiditas, ſuſpicienda tamen, & militiæ legibus conſentanea eſt ejusmodi bellandi ratio, qua id fere conſecuti ſunt, ut vel nulla, vel exiqua commilitonum ſuorum jactura demeſſis Hiſpanorum capitibus onuſti domum redirent victores, & triumphantium ritu captivorum greges, abacta pecora, capta ex hoſte ſpolia pro trophæis oſtentarent plerumque. *Hæc ars*, ait Flav. Vegetius l. 3. c. 10. *Dimicaturis eſt neceſſaria, per quam vitam retineant, & victoriam conſequantur.* Hunc certe in finem ipſi quoque heroes & clypeo, & enſe utebantur. Hoc hoſtem offenderant: illo ſe defenderant. Abiponibus aſtutia, corporis agilitas, equi promptitudo pro clypeo, quin & præ clypeo eſt. Si alium, aliumque commilitonum in acie ſterni videant, fuga protinus dilabuntur. In anguſtias redacti, ſi nullus ſuperſit effugii locus, pertinaciſſime certant, metu in furorem converſo. Martialis poeta militem cum cane contulit, bonumque dixit, qui malus. *In cane*, ait Seneca, *Sagacitas prima eſt, ſi inveſtigare debet feras; Curſus, ſi conſequi; Audacia, ſi mordere, & invadere.* His canis boni dotibus, quæ & bonum reddunt militem, num Abipones polleant, ex dicendis porro arguet lector. Jam de eorum armis, exploratoribus, conſiliis bellicis, militari commeatu, expeditionibus in hoſtes, varia præliandi ratione, victoriæ corollariis, demum de illatis provinciæ cladibus mihi agendum.

CA-

CAPUT XXXVI.

De Abiponum armis.

Nemo unus iſtorum claro apud ſuos nomine, nibellica virtute emineat. Hinc arma idonea, nitida, & dum res poſcat, expedita ut ſint, ſingulorum cura. Ad ſe ſe defendendos, offendendosque hoſtes arcu utuntur cumprimis, & haſta. Lignum illis naſcitur patrio in ſolo, nusquam alibi per Paraquariam viſum, purpurei, dum recens eſt, coloris. *Neterge* dicitur, & Chalybem duritie æquat. Arborem illam findunt, fruſtumque oblongum inde exſectum cultro, vel ſi is deſit, acuto lapide teres efficiunt. Crederes, torno afabre elaboratum. Rectum porro ut evadat, ad ignem identidem calefactum duos inter ſtipites hac illac contorquetur. Hac methodo Abiponum haſtæ conſiunt, Sariſſis Macedonicis vix minores. Nam quinas, ſenaſve ulnas longitudine excedunt, utrinque in cuſpidem deſinentes eo fine, ut, ſi una hebeſcat extremitas haſtæ, altera ad ictum ſuperſit, utque etiam humo, dum in campo pernoctant, infigi poſſit. Quondam, dum illis peregrinum ferri nomen, ligneis pugnarant haſtis, interdum cervi cornu mucronis loco illis præfixere, Fennos, priſcum Germaniæ populum, aliquomodo imitati, de quibus Tacitus: *Fennis ſola in ſagittis ſpes, quas, inopia ferri oſſibus aſperant.* Verum poſtquam ab Hiſpanis jam vi, jam pre-

pretio mucrones ferreos obtinuere Abipones, eos haſtis dexterrime inſerunt, ac in illorum, a quibus acceperant, cædem abutuntur. Haſtas ferro inſtructas illi Caþlaàn, Hiſpani Lanzas appellant. Jam jam præliaturi mucronem ſebo perungunt, ut altius, promptiusque corpori immergatur. Ad quatuor palmos hoſtili ſanguine ſpumantes lanceas vidimus aliquando; Tanto eas niſu barbarorum coloniam noſtram invadentium lateribus impegerunt Abipones. Iſtorum tentoria, tuguriaque cum fere humiliora ſint, ad eorum limen lanceas defigunt ſuas, ut, quoties res ferat, ſint in promptu. Quot lanceas videris, totidem bellatores noveris iſtic habitare. Ut Europæi interdum duces ad tegendam copiarum ſuarum paucitatem, ſupplendamque bellicæ ſupellectilis penuriam tormenta e ligno ficta, pictaque in aggeribus collocarunt, quorum ſcilicet conſpectu hoſtis numeroſior terreretur; ſic nos eodem militari aſtu uſi haſtas ex arundine, ex ligno obvio obiter paratas per Abiponum abſentium ædes defiximus, quibus eminus conſpectis hoſtium præcurſores deluſi oppidum præſidiariis abundare ſuis nunciaverant, cum ex haſtarum numero numerum virorum arguiſſent. Bellica hæc fraus barbaris ad aſſultum jam jam accinctis terrori, nobis ſaluti fuit non raro. Adeo ut Europæis in caſtris, ſic Americanorum in tuguriis frequentius, feliciusque ingenio, quam manibus pugnatur. Pergama, quæ viribus non poterant, Græcorum dolo capta. Illud quoque laudi tribuendum Abiponibus, quod non modo in armis ſuis concinnandis mirifice ſolertes, ſed & in iis ornandis, purgandis, poliendisque quotidiani, ac prope nimii ſint. Haſtarum mucrones adeo ſplendeſcunt ſemper, ut argenteos eos diceres. Puduit me ſæpe Hiſpanorum, dum illos armis viliſſimis, ſquallidis,

inep.



ineptis instructos coram Abiponibus deprehendi, a quibus jam eorum paupertas, jam segnities explodebatur. Arundinem, sudem rudissimam, stipitem nodosum, arboris ramum, lignum obvium undique tortuosum pro hasta plerique adhibent, pro illius mucrone gladii, cultrive fracti particulam loro circumligant. Opulentioribus duntaxat ignivomæ sunt fistulæ, ast plerumque vitiosæ, ac ad terrendos, quam necandos hostes utiliores. Ad hæc perpaucos invenias, qui sclopetis uti feliciter nôrint. Verum adverte, me hactenus de agricolis Hispanis, qui contra Barbaros militare jubentur, disseruisse. Legionarios enim milites extra urbes Boni aeris, & Montevideo in amplissima Paraquaria nusquam videris.

Arcus sagittarii ex eadem arbore Netergè, uti hastæ, conficiuntur, justamque viri staturam æquare solent longitudine. Nervo enim relaxato, baculi instar rectissimi sunt, nullamque, quam Turcorum, Tartarorumque arcus habent, curvitatem præseferunt. Nervus, seu chorda arcus ex vulpis visceribus plerumque, aliquando ex filis, quæ palma quædam suppeditat, fortissimis texitur. Tela ejaculaturi, ut arcus chordam validissime intendere queant citra manus dolorem, eam lignea, ut ita dicam, chirotheca præmuniunt. Pharetra e junco contexta laneo varii coloris filo ornatur. Sagittæ ulnam unam, & palmum longæ constant arundine, cui mucro vel ex osse, vel ligno durissimo, vel ferro præfigitur. Mucrones lignei præ ferreis terribiliores, ossei vero (ex vulpis tibia parantur) longe formidabilissimi; Dum enim evelluntur, vitri instar fere franguntur, parsque corpori inhærens tumorem generat, ulcusque acerbissimum, quod saucio nullam relinquit quietis partem. Lignum quodvis nativo quodam veneni genere

imbu-

imbutum præ ferro plus adfert doloris, tumorisque. Expertus id ſcribo. Lignea ejusmodi ſagitta, qua brachium meum a Barbaris Natakebitis tranſverberatum, manus vulneratæ ſudorem, veneni alias indicem, copioſum per horas aliquot induxit. Abipones vulneri meo, veluti ſuo, indolentes, quod telo ligneo, non oſſeo ſim læſus, mihi pleno ore gratulabantur. Et vero ſauciorum, quorum vulnera toties curavi, aſſidua tractatione ſagittarum diſcrimen planiſſime didici. Ferreæ, utcunque ſint, reliquis benigniores, innocentioresque vulgo putantur. Nullo unquam veneno ſuas inficiunt ſagittas Abipones, quod apud complures Americæ populos uſu receptum. Jam alias dixi, Chiquitos, bellicoſam Paraquariæ nationem, formidari a finitimis Barbaris vel eo nomine, quod, ſi illorum ſagitta extimam cuticulam feriat, ſanguinisque guttulam eliciat, diffuſo mox per omnes artus tumore paucas poſt horas ſauciato moriendum ſit nulla vulneris medicina, vitæque ſpe relicta. Venenum tam atrox, quod ſagittæ mucroni illinunt, ex ignotæ nobis arboris cortice ſoli Chiquiti conflare norunt, reſervato ſibi ad hunc diem crudeli myſterio. Non fuiſſe unum aliquem, hoc qui arcanum artificium ex illis ſeu extorqueret, ſeu eblandiretur, ſæpe mirabar. Etiam dum venantur, telis eodem veneno tinctis feras quaſcunque necant, & reſecta ſolum, quæ vulnerata eſt, corporis parte impune comedunt, quemadmodum & Indi Quaranii bobus, vitulisque lethifero ſerpentum morſu extinctis citra noxam, ac formidinem Veſci conſvevere, ſola, illa, quæ ſerpentis dente violata eſt, particula rejecta. Barbari quoque fluminis Urinoco accolæ præſentiſſimum virus a ſe paratum ſagittis adſpergunt ſuis, ut Pater Joſephus Gumilla prolixe refert in ſua hiſtoria. Apud Parthos,

hos, Scythasque tela venenata in usu fuisse, constat. Sic Ovidius l. 3. trist. elegia 10. Canit de Getis: *Pars cadit hamatis misere confixa sagittis; Nam volucri ferro tinctile virus inest.* Horatius item: *Venenatis gravidam sagittis pharetram dixit.* Quibus ex rebus toxicum confecerint, Baricellus ex Langio, Plinio, & Aristotele nos docuit. Verum religione tactus pestilens artificium, ne quis eo abuteretur, reticendum putavi.

Plumæ, quæ sagittarum promovent volatum, ex alis corvorum sumuntur, quos venaturi dum excurrunt Abipones, bellum præ foribus esse, intelleximus; Ad hoc enim sagittas fabricando se præparant. Plumæ singulæ arundinis extremitati fibra fili tenuissimi utrinque alligantur. Vilelas, seu, ut ab Abiponibus vocantur, Raregranraik insignes Paraquariæ sagittarios nemo non suspicit. Isti plumas non filo, sed glutine, quod ex vesica piscis Vagre parant, scitissime affigunt, mucronem vero levissime inserunt arundini, qua industria periculosissimæ evadunt illorum sagittæ; Nam dum arundo ex vulnerati carne evellitur, mucro solus carni remanet infixus. Quaranii minus superstitiosi jam psittacorum, jam aliarum avium plumas applicant sagittis. Dum ad propositam metam quadringentis plures eodem temporis puncto eas ejaculantur, humumque delapsas, vel tabulæ infixas mox colligunt, ex plumarum colore suam quisque cognoscit. Quævis denique natio in arcubus, telisque formandis methodum observat propriam. Breviores sagittæ longioribus sunt periculosiores; Cum enim in velitatione difficilius videantur, difficilius vitantur. Longioribus ea videtur esse prærogativa, quod vi majore, & ad scopum multo remotiorem pertingant. Abipones in sagittis vibrandis esse ver-

satis-

ſatiſſimos uti certum, ita neutiquam mirum eſt; Nam a pueris arcui aſſveſcunt, & adhuc dum infantes volantem aviculam ſternere norunt. Ludicro in certamine, propoſito victoribus ſingulis præmio, pomum citrinum longiſſime diſtans meta fuit. Pro tanto ſagittariorum numero ſane pauciſſimi aberrarunt, ſtupentibus, qui ſpectatores aderant, tantam peritiam Hiſpanis. Etiam Quaranios inter ejusdem artis ſcientiſſimos invenias. Carolus Morphy Regius Paraquariæ Gubernator. Hybernus origine, Lutetiæ Pariſiorum omni ſcientiarum, artiumque liberalium genere liberaliter imbutus, apud Hiſpanos militari virtute dudum conſpicuus, victoriarum, quas celeberrimus Petrus Zeballos a Luſitanis reportaverat, omnium particeps, vir morum ſuavitate, integritateque eximius ad me in S. Joachimi oppido inviſerat anno 1767. quatriduum meis in ædibus commoratus. Ad fallendum a meridie tempus militari hoſpiti militare certamen publico in foro exhibui. Nongenti aliquot ſagittarii Barbari equo inſidentis ſimulacrum ligneum pro ſcopo habuere. Incredibile, quam deſtinato ictu plerique caput, vel pectus attigerint, longiſſimo quamvis multorum paſſuum ſpatio a meta diſtantes. Plurimi equites curſu effuſiſſimo advolantes idem ſeu haſta, ſeu ſagitta præſtiterunt. Tanta admiratione, tantisque laudibus Indorum meorum dexteritatem proſecutus eſt Gubernator, ut jucundiſſimum illi ſpectaculum poſtridie iterum iterumque fuerit repetendum. Ipſe victoribus ſingulis manu ſua porrexit munuſcula, quæ ego e domeſtica oppidi penu ſuppeditaveram, ſcilicet cultros, forficulas, globulorum vitreorum faſces, cruculas deauratas, telam variam, & alia ejusmodi. Mihi equidem certum, exploratumque, Indos ſagittarios præ quovis jaculatore ſclopetario certius, feliciusque collineare. Quotidi-

tidiana venatione ad arcum dexterrime tractandum erudiuntur, qui illis adhucdum ſylvicolis eſcam ſubminiſtrabat. Næ! inepto ſagittario, epulantibus cæteris, & ſæpe, & multum foret eſuriendum. Fames & optimum cibi condimentum, ſed & optima artium variarum magiſtra. Hinc Indi ut ſunt voraciſſimi, ſic & ſagittarii inſignes. Simios in ſummo Celſiſſimarum arborum culmine luſitantes, pſittacos, & quidquid avium, vel ferarum fiebat illis obviam, toties me præſente uno ictu ſtravere, quin & piſces flumini diaphano innantes.

Multa ſagittarum varietas. Aliæ aliis ſunt longiores, craſſioresque, feris ſcilicet majoribus necandis deſtinatæ. Mucronum item multiplex forma. Alii plani, & rectæ cuſpidis: Hamati alii vel uno ex latere, vel utrinque, quidam quadruplici hamorum ſerie aculeati. Ejusmodi ſagittarum genus non ab Americanis inventum, ſed Getis, aliisque per orbem antiquum populis fuiſſe uſitatum ex verſu illo Ovidii paulo ante allato liquet: *Pars cadit hamatis miſere confixa ſagittis.* Sagittam quomodocunque hamatam e carne nunquam extricaveris, ni illam prius utraque manu circumagas ea fere ratione, qua liquor Chocolaticus tereti lignello ad ſpumam exagitatur. Qua quidem ſagittæ circumvolutione viam aperies ad hamos e carne extrahendos, ſed quanto doloris ſenſu! Horreo equidem meminiſſe. Hamo enim triplici, quo vulneratum me dixi, telum horruit. Quod ſi mucronis confracti vel minutiſſima particula carni inhæſerit, chirurgicis inſtrumentis deficientibus, tum enimvero ſumma calamitas ſauciatum manet. Si quando ſagittæ reliquias ſtationem corporis carnoſiorem uti femur, brachium &c. occupare viderint Abipones, vulgari cultro fruſtum carnis cum inhærente

par-

particula ipsi resecant; Sæviunt in se, sibi mederi dum cupiunt; Nam vulnus vulnere curant, medicina, quæ ipso morbo acerbior, utuntur. Celeberrimus Caziquius Ychoalay, cujus frequens recurret mentio, cum veterano æmulo Oaherkaikin acerrime dimicans periculose sauciatus est, sagitta ossea ossi occipitis prope cervicem impacta. Illius, dum extrahebatur, confractæ pars magna occipiti clavi instar alte infixa remansit. Augescente in dies dolore nobis authoribus ex S. Hieronymi oppido ad urbem sanctæ fidei sexaginta leucas distantem equo profectus miser curandum se stitit Chirurgo Lusitano ex sancti Francisci familia laico. Curationi incisio præmittenda fuit, ut osseus sagittæ mucro in occipitis osse latens forcipe chirurgico apprehendi posset, ac evelli. Feliciter res omnis peracta est, quamvis non sine acerbissimo dolore. Cruentissimum laniatum non modo, quin vel gemitum ederet, aut doloris indicium, magno animo toleravit Indus, sed & chirurgum cruciatus nimii metu cunctantem, tergiversantemque identidem hortatus est: videris mihi, ajebat, timere? Nil timeas, quæso, seca, terebra, age pro arbitrio omnia confidenter. Hastis, sagittis, sclopetis vulneratus toties doloribus dudum assvevi. Extracto demum osseo mucrone vis sanguinis ingens, veluti aperto epistomio, defluxit. Spectaverat hoc serena fronte Indus, & liberatori suo gratias, quas potuit, maximas egit. In ædibus, ac conspectu Hispani nobilis hæc gesta sunt, qui Ychoalay sibi dudum amicissimi & tolerantiam stupuit, & sanitatem incredibili cum voluptate aspexit.

Aciem ingressuri, aggressurique hostem sagittas aliquot, sibi maxime probatas, a reliquis sejungunt ictui, qui majoris momenti videatur, subinde im-

pendendas. Priſcarum is gentium mos quoque fuit. Ad hunc alludens Iſaias dixerat: *Poſuit me ſicut ſagittam electam: In pharetra ſua abſcondit me*, cap. 49. v. 2. Scilicet ut nautæ providi anchoram cæteris firmiorem ſacram appellant, urgentique reſervant periculo, ſic bellatores Americani unam aliquam, exploratiſſimæ virtutis, ſagittam in promptu habent, data occaſione jam ad ſe tuendos, jam ad alium, cujus mortem cumprimis optant, trucidandum feliciter explodendam. Dum aves, aliasque minores feras non interimere, ſed vivas capere volunt, ſagittis utuntur, quibus pro cuſpide globulus vel ligneus ſit, vel cereus; Hoc feræ tunduntur quidem, ſternunturque, haud tamen necantur. Si quando via recta telum ad deſignatum ſcopum dirigere nequeant ob qualecunque, quod medium intercedat, obſtaculum, id arcuatim, ictu nempe in arcum curvato ejaculantur, uti quandoque in caſtrorum oppugnatione pyrotechnici jacere ſolent e mortariis pilas igneas. Iſtis profecto ad incendendas ædes neutiquam indigent Abipones. Hi enim Goſſypium, aut aliud ſtupæ genus ardens ſagittarum cuſpidi affixum contra tecta lignea, vel ſtraminea evibrant, & quidquid voluerint, etſi longiſſime diſtans, protinus inflammant. Plura Hiſpanorum oppida triſti hoc artificio in cineres abiere. In oppido Roſarii, quod Abiponibus condidi, ædes meas ſtraminibus limo denſo liberaliter circumveſtitis tegendas curavi, quæ ſcilicet flammam vicinorum Barbarorum ſagittis injiciendam reſpuerent. Speculam ligneam, e qua hoſtium identidem aſſilientium motus tempeſtive obſervari poſſent, eundem in finem coriis bubulis contexi. Neque is conatus ſpes meas deluſit.

Ha-

Haſtam, & arcum præcipua dixi Abiponum arma, ſed non ſola. Nam præter hæc tres globos lapideos corio veſtitos totidem loris in unum denique coeuntibus illigatos dextro circumagunt brachio, moxque ictu certiſſimo vibrant, quorum impactu & homines & feræ vel enecantur, vel certe ſic illaqueantur, movere ſe porro ut nequeant, haſta, cultrove mox contrucidandæ. Formidable hoc armorum genus (Hiſpani *Las bolas*, Abipones *Noaharbaràncatè* appellant) apud Auſtrales Magallanici territorii Barbaros locum habet præcipuum, ut ſuperius in libro prodromo fuſius ſcripſi. Hiſpanorum vulgus, quin & Indi, ac æthiopes promiſcue omnes, quoties equo in campum excurrunt, hoc globorum lapideorum inſtrumento jam ex ephippiis, jam e cingulo ſuo pendente armati paſſim videntur. Et vero magno omnibus eſt uſui. De clava lignea, quam Hiſpani *Macana*, Abipones *Yüele* vel *Hepiginrànkatè* vocant, & jam domi pro ludo, jam foris, dum bello, venatuique dant operam, pro cædibus patrandis adhibent, capite ſeptimo: *Cur Abipones tam vegeti, & vivaces?* uberius egi. Fundam, cujus peritia egregia in Quaraniis commendatur, nihili faciunt Abipones. Pueri duntaxat ad terrendas, ſternendasque aviculas illa utuntur aliquando. Iſti & arcum habent, cui pro chorda tela eſt tres digitos lata, ex materia cannabi ſimillima contexta, hæc manu intenditur, & globuli ex argilla ficti ſagittæ inſtar excutiuntur ad aves, feraſve minutiores cædendas. Tubus ille ligneus (Germanis *Blasrohr*) ex quo globuli, vel clavi filis ſericeis, vel lineis ad volatum juvandum inſtructi ore efflantur, ne de nomine quidem Abiponibus eſt notus; Uſitatus tamen, ut audio, Indis quibusdam Peruvianis apud Moxos, ac Baures degentibus. Iſti, clavis ferreis cum deſtituantur, ſpinas craſſiores, ſucco ve-

nenato tinctas, tubo ligneo injiciunt, flatuque oris valido adversus feras, hostesque suos expellunt eo successu, ut exanimes videantur aliquamdiu, & impune a jaculatoribus interficiantur illico. Id sane non spinæ debilis, sed, quo imbuta fuit, veneni viribus tribuendum.

Clypeos, scutaque, queis adversus hostes se tueantur, ignorant Abipones; Majorem tamen corporis partem thorace muniunt pugnaturi. Hic ex alcis corio non macerato paratus, tigridis pelle vel extrinsecus vel intrinsecus assuta horridus dalmaticæ vestis speciem refert; Apertus in medio, caput transmitti ut possit, utrinque ad cubitos & umbilicum usque porrigitur: Sagittis vulgaribns fere im enetrabilis, non item hastis, plumbeisque glandibus, etsi & istarum vim retundat aliquando, imminuatque. Thoraci cingulum palmo uno latius ex eodem alcis (quam Hispani *la gran bestia*, Abipones *Alalek*, Quaranii Mborebi, vulgus Paraquariæ Antà appellat) corio concinnatum addere cæperunt, dum ducum suorum principem Debayakaykin circa ventrem hasta sauciatum videre. Hac armatura, quoties illis cnm aliis Indis confligendum, utuntur. Quam plurimi tamen corpus omnino nudum hostilibus telis exponunt, tantoque sibi videntur securiores, quanto ad fatales ictus declinandos fuerint expeditiores. Thorax ille siquidem quantum crassitudine sua defendit corpus, tantum pondere suo, ac duritie obest agilitati, in qua, ut apud istos fert pugnandi ratio, plurimum certe ad tuendam incolumitatem est momenti. Si contra Hispanos illis res fuerit, arcum, thoracemque suum negligunt adversus glandes plumbeas vix profuturum. In hasta firma, in equo celeri, in insidiarum astutia spem omnem victoriæ collocant; Raro

pe-

pedites, niſi neceſſitate compulſi, cum illis congrediuntur. Eminus malunt, quam cominus hoſtem invadere, cum vitæ ſuæ identidem timeant, caveantque. Punctim crebrius, quam cæſim feriunt. Quamvis plurimi enſes habeant ſeu ab Hiſpanis emptos, ſeu bello ereptos, pauciſſimi tamen illis in velitatione utuntur. Poſtquam Abiponum armamentarium inſpeximus, haud pigebit, opinor, eruditos audire, quibus nominibus illi arma ſua, & cætera, quæ ad rem militarem pertinent, inſigniverint.

Arcus. Netelr̄anr̄e. Eodem nomine vocant ſclopum. Derivatum videtur a *Netè*, quod tempeſtatem ſignificat.

Arcûs chorda. Netelr̄anr̄e Lkaer̄hè.

Sagitta Lanar̄hà. Idem nomen tribuunt glandi plumbeæ, quam etiam *Lpetà* vocant, quod granum ſignificat.

Pulvis pyrius. Netelr̄anr̄e leenr̄a, quod farinam ſclopi denotat.

Haſta lignea ſine ferreo mucrone, quæ Dardo dicitur ab Hiſpanis, Netergè, quæ vox reipſa arborem exprimit, ex qua haſta conficitur. Eadem haſta lignea etiam Loheletè ab illis appellatur.

Haſta cum ferreo mucrone. Catlaàn. Hæc vox etiam mucronem ferreum ſolum notat.

Culter. Latar̄an. *Illius cuſpis*, Lapachik. *Acies illius.* Yler̄à. *Manubrium ſeu capulus* Laỳ.

Ensis, vulgo framea, Kategraik.

Bolas, seu tres globi lapidei Noaharhaiankatè.

Funda Kepakinranrat.

Macana, seu clava lignea. Yüelè vel Hepiginrankatè.

Thorax militaris. Loachimà.

Cingulum. Nalegè vel Naatarkiè.

Galericulus globulis vitreis, plumisque ornatus, quo pugnaturi plerique caput tegunt, Letapehè, vel Ratahè.

Plumæ avium elegantes Galericuli Laàkatè.

Fucus nigri, rubri, vel albi Coloris, quo pugnaturi vultum inficiunt Namenkà.

Tibiæ, cornua, variæ Lituorum bellicorum species Lahaurè.

Bellum. Anegla vel Nahamatrek, vel Noelakierek. Nuichirierà.

Bellator, rixosus. Oelakiraik.

Magnanimus. Yapòt, vel Ehoaraìk.

Victor Oagenraik.

Explorator, Speculator, Emissarius, Præcursor. Namalatenraniaìk, vel Ealraìk.

Mi-

Miles Hispanus, Nauachèk.

Sagittarius Nainranak. *Sagittarius peritus* Uíychàk *Imperitus* Patenraik.

Locus pugnæ Nahamatralatè, vel Naloatralatè, vel Kimitralatè.

Pugna Sagittariorum. Noàtarek,

Pugna hastatorum. Nahamatrek, vel Noaararanrèk.

Pugna ebriorum, *qui colaphis mutuis certant*. Nemargetrèk.

Bello captus. Loàk.

Timidus, *fugax*. Netachkaìk. Natergèk. Yakalò. Nematanraìk.

Belli dux Nelareyrat.

Internecio, *strages* Lanamichirini Yoaliripì.

Spolia Retaprankatè, vel Auararankatè.

Tympanum militare. Lamelgè.

CAPUT XXXVII.

De ſpeculatoribus, conſiliique bellicis Abiponum.

Belli, ratio apud illos pro hoſtium varietate varia eſt. Dum adverſus Hiſpanos militant, alia, alia, dum contra Barbaros ſui ſimiles, uti conſvevere. Id tamen univerſim dici poteſt, eos præcipiti conſilio nemini unquam bellum inferre ſolitos. Niſi ſpe victoriam devoraverint, arma capiunt nunquam. Quamvis, quod & Europæis toties uſuvenit ducibus, fallantur perſæpe. Ubi lauros expectaverant, ferales cupreſſos meſſuerunt. Lanam quæſituri (ut Hiſpanorum fert adagium) abiverant, ſed tonſi redivere. Anceps ſemper belli fortuna. Priusquam expeditionem in alios hoſtilem decernant, ſolenne illis, ſpeculatores præmittere, qui viam, qua eundum, ſtationem, ad quam aſſiliendum, penitiſſime explorent; Qui de incolarum, & qui his ſuppetias venire poſſint, vicinorum frequentia, de ædium acceſſu omnia cognoſcant; Qui ſitum inſidiis opportuniorem, loca, per quæ clanculum propinquare, ac ſi neceſſitas ferret, tuto ſe recipere queant; Qui pecorum paſcua, cuſtodum numerum, & cætera id genus minutiſſime ſpeculentur. Et vero tam verſute emiſſarii munere funguntur ſuo, ut, dum omnia viderint, a nemine videantur.

Equis

Equis vel per inaccessum fluminis litus, vel per sylvarum latebras tantisper relictis, ne sui indicium faciant, jam manibus, pedibusque ferarum instar reptantes, jam dumeta inter, jam arborum inter ramos latitantes eminus, cominusque observant omnia. Quid quod noctis obscuritate tecti ipsis quandoque Hispanorum ædibus propinquant, intusque colloquentium sermonem auscultando excipiunt aliquamdiu. Etsi Hispanicæ linguæ nescii, saltem num viri, num fœminæ complures istic commorentur, ex verborum pronunciatione conjectant. Per sua se vestigia ne prodant, assultusque hostilis ingerant suspicionem, pellium segmenta pedibus affigunt suis, qua quidem astutia humani gressus notæ aut dissimulantur, aut abolentur. Sæpe, ut res procul positas perspiciant, jam arboribus, jam dorso equi, ceu scabello, pedibus insistunt. Raro unicus, bini plerumque, sæpe terni exploratores emittuntur. Hi noctu in varias se se vias distribuunt: Hac ille, iste illac excurrit. De statione, de tempore, quo rursus conveniant, paciscuntur. Stare pactis ut possint certius, jam avis, jam feræ alicujus voces e condicto imitantur, e quibus alius alium agnoscit, ac denique deprehendit. Ast & hoc astu astute utendum; Si enim nocturnis horis vocem avis imitentur, quæ interdiu duntaxat, non item noctu audiri solet, fictam esse a Barbarorum speculatoribus, experientia norunt Hispani, atque adeo tempestivis cautionibus hostilem subinde assultum eludent; Quin, si equus in promptu iis sit, animusque intrepidus, speculatores pedites nullo negotio assequentur. Id, quamvis perraro, accidisse, memini. Sæpe alias ramis arborum confractis, gramine altiori varios in nodos colligato se se jam antegressum socius socio significat. Nemo sane felicius, faciliusque exploratorum partes agit, quam Abi-

pones illi, qui olim pueri ab Hiſpanis bello capti, educatique fuere, quique adulti aut heri ſui venia, aut fuga clam elapſi ad gentiles ſuos demum rediere. Præterquam enim quod ægriore in Hiſpanos ſint animo, ac vindictæ ſitientes, pro ea, quam nacti ſunt, locorum, linguæque Hiſpanicæ peritia, impune in ipſis Hiſpanorum oppidis verſantur, illorum amicos ſe ſe mentiuntur, quin, cum eorum lingua, amictuque uti ſoleant, pro Hiſpanis paſſim habentur. Hoc artificio ſecuri vel in ipſo meridie, publico in foro circumſpectant omnia, omnia, quæ ad propoſitum facere putaverint, expiſcantur; viros militares negotiorum cauſa abſentes, vel ad iter propediem expeditos, plauſtra copioſa mercibus onuſta vident, quorſum deducenda ſint, audiunt, quæ ſubinde per immenſas illas ſolitudines ab accurrentibus ad prædam barbaris facile diripiuntur, nemine aurigarum, cuſtodumque cædem impediente; His parum armorum, minus animorum eſſe ſolet plerumque. Quantarum eladium inſtrumenta fuerint ſeu Abipones captivi ab Hiſpanis transfugæ, ſeu Hiſpani ab Abiponibus capti, nemo unus eſt, qui id ignoret.

Itinere defuncti exploratores poſtquam viſa, compertaque rite ſuis nunciaverint, bellica conſultatio ſimul, ſimul compotatio de more indicitur univerſis; Siccis equidem faucibus ad recte deliberandum haud ſatis ſapere ſibi videntur Abipones. *In vino*, ut Strabo de Perſis affimat, *de rebus graviſſimis deliberant, & hæc firmiora putant, quam quæ jejuni ſtatuerunt.* Eundem compotandi morem a cretenſibus, Græcisque omnibus de belli, pacisve negotio conſultantibus receptum fuiſſe, Iuſtus Lipſius teſtatur. Expeditionis ſuſcipiendæ author Caziquius pocula inter ſententiam promit ſuam, cæterorumque hac ſuper re opiniones

ex-

exquirit. Tum majorum exemplo, tum propofita Gloriæ, ac prædarum fpe luculenta ad rem ftrenue gerendam excitat fibi affidentes. Propinato iterum, iterumque hauftu ut corpora, fic Animos circum potantium mirifice accendit. Mulfum enim, quod ex melle, vel filiguis græcis admixta aqua conficiunt, vix primoribus labris delibatum vini meraciffimi inftar caput petit, quod temulentorum vociferatione, cantu, tympani, cucurbitæque confonantis ftrepitu incredibiliter efferatur, & propemodum in furias agitur. Heroa avorum facinora, obtentæ olim victoriæ barbari carminis fere funt argumentum. Cachinnis, fi quod aliud usquam, dignum profecto fpectaculum. Quot Abipones, totidem belli fulmina afpiceres. Quisque fibi Hector, Epaminondas, Hanibal videtur. Credique tales poffent ab omnibus, qui eorum vultus fanguineis notis ad terrorem pictos, brachia, pectusque cicatricibus compunctum, oculos minaces afpexerint, truculenta, cædemque fpirantia verba audierint. Quod fi vero illorum pectora infpici poffent, videremus utique eos foris apparere aliud, aliud intus effe. Corticem fine nucleo, fub Leonis pelle Gallinas, fub verbis fulminantibus ignes fatuos, vanas denique fine viribus iras detegeremus. Etfi fui impotes per folum repant temulenti, in Cœlum jufferis, ibunt. Orbis cardines convellent. Humanam gentem, quanta eft, una fi ei cervix foret, ictu uno cum caligula jugulabunt illico. Si, quantum illis minarum, dum potant, tantundem animorum effet, dum confligunt, dudum, quotquot in America, Hifpanos internecione deleviffent. Sed nempe ebri thrafones boni tubicines, ut quidam ait, mali milites. Vox funt, nil præterea. Inter pocula, & choreas Leones impavidi, in prælio leporibus fugaciores.



Si quis Abiponum hoſtili occumbat manu, ut ardens eſt apud Americanos vindictæ ſtudium, atque adeo legis inſtar, ſanguinis propinquitate cum demortuo maxime conjunctus mortem ulciſci ſolet. Illius eſt vel populares, ac contubernales ſuos invitare, vel exteros quoque ad armorum ſocietatem vocare, in hoſtem ducere, & dum aggreſſio facienda, primum in aciem prodire. Sic filios Patrum, Patres filiorum vel nepotum necem vindicaſſe, vidimus. Ut opem ferre amicis nationibus, ſic ab illis petere interdum ſolent, ſeu dum bellum parant ipſi, ſeu dum ab aliis metuunt, quibus ſe ſolos impares exiſtimaverint. Verum enimvero, quod Europa experitur toties, parum ſane roboris eſt, ac fiduciæ auxiliaribus in copiis. Indorum maxime deſultoria eſſe ſolet, ac fluxa amicitia. Cum enim, quæ cum vicinis iniverunt, fœdera utilitate metiantur, repente amiciſſimis terga vertunt, quavis emolumenti tenuiſſimi ſpe præponderante.



CA-

CAPUT XXXVIII.

De profectione in hostem, commeatu, & castris Abiponum.

Illud memoratu dignum, expeditiones bellicas, quas temulenti statuerunt, a sobriis stato tempore executioni dari fideliter, quin eas vel procrastinandas putent, vel accelerandas, nisi forte casus subitus moram imperet, aut ponderosa ratio svadeat celeritatem. Ut ephemeridibus, sic dierum, mensiumque nominibus destituuntur. Norunt tamen citra erroris periculum, quo die luna nascatur, quo adolescat, quo deficiat. His lunæ vicissitudinibus, ceu mensura temporis utuntur ad definiendas expeditiones, ut adeo, etsi multorum dierum itinere a se distent expeditionis socii, statuto confluant die, quin & ipsa, quam sibi præfixerant, hora eodem in loco conjungantur. Quamvis enim horarum nominibus careant, ac instrumento earum indice, id digitis supplent, quibus eam Cœli regionem commonstrant, quam id temporis vel sol, vel nocturnum aliquod sidus occupare consvevit. Dum exiguo jam cornu fulget senescens luna, id fere itineri opportunum judicant tempus, ut scilicet tenebrarum præsidio tutiores proficiscantur, observenturque difficilius. Pro reditu, si forte acceleranda fuga, noctes sibi luna crescente illustres præoptant. Adeo quid quid ad securitatem procurandam pertinet, acutissime provident, & ambabus manibus amplectuntur. Sub ipsum fere meridiem, sole plurimum

mum æſtuante iter ingrediuntur, non uno agmine juncti, ſed ſparſi. Sub veſperum tamen in ſtatione, quam condixerant, eadem conjunguntur.

In Europa bellum ſuſcepturo Principi haud ſufficiet plumbi, ferrique ſupellex; opus eſt auro, argentoque, quo commeatus, annonaria penus, copiarum ſtipendia procurentur. Nihil equidem iſtorum ſummo Abiponum Stratego curandum. Illorum quivis equis copioſis, haſta formidabili, arcu, ſagittarum faſce nunquam non inſtructus eſt. Unica hæc illis belli inſtrumenta. Demeſſa Hiſpanorum capita, abducta eorum ex prædiis equorum, mulorumque plura millia, rapti matrum e ſinu filii, & quæ inde ad illos redit, clari apud ſuos nominis gloria Abiponibus militantibus pro ſtipendio ſimul, ſimul pro trophæis ſunt. Etſi colonia, cujus aggreſſionem meditantur, leucas ducentis plures abſit, binos duntaxat equos quisque præ ſe agit, tertio vehitur ita, ut alternis & laborent & quieſcant ſinguli. Alienum a ſe putant annona onuſtos quantamcunque viam ingredi. Quod ad cibum, potumve faciat, aſportant nihil. Olim aſſos cuniculos pro viatico habuiſſe dicuntur, necdum ſcilicet in venatione tam exercitati, & equis minus tunc inſtructi. Hac ætate haſta, quam manu geſtat Abipon, feras, queis veſcatur, obvias ſternit. Si ſylva fructus arborum neget, campus ſtruthiones, ſtruthionum uno in cumulo congeſta ova innumera, apros, cuniculos, damas, cervos, leones, tigrides, radices edules, perdices, & quid non? Suppeditabit. Aer avibus, rivi, lacusque vario anatum genere, porcis aquatilibus &c. abundant. Tela in promptu ſint barbaro, dapes nusquam deerunt. Solæ palmæ, quibus ſolum omne ſuperbit, variam præbent eſcam. Ut expeditior cuique vena-

tus,

tus, prædaque locupletior obtingat, nunquam turmatim incedunt, ſed ſolutis ordinibus, ni propinqui hoſtis ſuſpicio id diſſvadeat, late per campum ſparguntur, eodem rurſus, ubi ſeu meridiandum, ſeu per noctandum, in loco colligendi. Norunt equidem ſtationes ſuas, ubi ſcilicet aquationis, lignationisque pro foco alendo opportunitas, &, quod præcipuum, ubi citra inſidiarum periculum tuto deliteſcant.

Cucurbitas, taurina cornua, quæ in Paraquaria jam lagenæ, jam ſcyphi vices agere ſolent, ſuperfluum ſibi onus exiſtimant. Aquam enim vel cavis manibus haurire, vel admotis labiis vertagorum more ſorbere malunt, & ſi quidem dulcis fuerit, pro falerno potabunt. Sæpe ſtagna præſto ſunt, & vaſti gurgitis flumina, ſed quorum unda ſale prægnans, interdum fele amarior ſtomacho torquendo, quam mactandæ ſiti aptior, & ne ipſis quidem beſtiis tolerabilis. Cultrum ferreum neceſſarium ſibi itineris inſtrumentum putant, lapillum item pro illo exacuendo, bina ad hæc lignella, quorum affrictu mutuo vel equo inſidentes ignem promptiſſime eliciunt. Solent enim campos accendere, ut feræ adulto ſub gramine latitantes ignis metu proſiliant, & ab illis cæſæ, aſſæque jam cœnam, jam prandium ſubminiſtrent. Cotem, binaque lignella ſuis ſub ephippiis abdita circumferre ſolent. En! his reculis Abiponum ſuppellex omnis definitur. Felices profecto, qui carere ſciunt tot Sarcinis, tot plauſtris, quæ in Europa ut ærarii hirudines, ſic exercituum impedimenta & vocantur, & ſunt haud dubie; Incredibile enim, quantum militem impediant ſive, dum aſſequendus, inſequendusque hoſtis, ſive dum fugiendus. Abipones noſtri ſub dio dies, noctesque agunt. Jam Cœli æſtu torrentur, jam nimbis plures in dies productis lavantur. Nudum caput ar-

ardentiſſimo ſoli objiciunt. Veſte, quæ vel ex ovium vellere, vel lutrarum e pelliculis, humeros, pectus, brachiaque nudant, maluntque cruentis culicum morſibus ſemper excruciari, quam aere caloribus exæſtuante ſudore diffluere. Ceſpes illis noctu pro culcitra eſt, ephippia pro pulvinari, Cœlum ipſum pro tecto. Splendidiuſne uſquam ullum belli imperatorem tentorium texit? Quisque ſuus ſibi famulus. Neque ipſe Ductor ſeu in apparando cibo, ſeu in equo inſternendo aliena utitur opera. Si latiſſima, & quæ Iſtrum utique excedunt, flumina, ſi vaſti lacus trajiciendi, haud illis ponte, haud cymba opus eſt. Vado deſinente ex equis in aquam deſiliunt; Nudi manu ſiniſtra ſimul veſtem ſuam, ſimul haſtam ſublimem geſtant; Dextra, qua equi pone natantis habenas gubernant, pro remo uſi in adverſum litus nando, confabulandoque eluctantur. Quod ſi rapida undarum vi abripi ſe patiatur equus, colaphis iterum iterumque impactis in viam reducitur, unde ripam humiliorem, cœni, ac arborum expertem, quæ exſcenſionem offert promptiorem, incolumes attingant. Si quando natandi diuturnitate fatigari ſe ſentiant, arrepta equi cauda levantur. Peregrina hæc omnia Europæis, & quæ admirationem magis, quam fidem mereri videantur; Sed nobis, qui toties ea coram ſpectavimus, exploratiſſima omnino.

Ut primum iter auſpicantur, ſpeculatores quaqua verſus præmittunt quotidie, qui, ſi quod peregrinæ gentis veſtigium, ſi quod inſidiarum indicium deprehenderint, actutum denunciant commilitonibus. Stationem, ubi noctem agant, eam fere deligunt, quæ a tergo, a lateribus palude, flumine, vel ſylva denſiori præcluſa acceſſum reddat difficilem hoſtibus,

ubi

ubi circumveniri non possint, possint tamen pauci multos repellere, certe, si id arduum, fuga eludere. Eo decumbunt ordine, ut semicirculum efficiant. Hastam humi defixam ad caput quisque suum, focum ardentem quaterni, vel quini in medio habent, nisi hostium metu latere malint, tenebrasque sibi præ luce plus expedire arbitrentur. sæpe ignibus nocturnis supersedendum diligenter, ne vel fulgore, vel fumo detegantur. Quamvis sæpe alias ad fallendos hostes profuit multiplicare focos; Ex horum enim numero pernoctantium istic hominum numerus solet conjectari. Hoc certe astu clarissimus Cortesius, si rite memini, Mexicanis Barbaris scribitur imposuisse. Somno indulgentibus aliis alii designati excubitores campo late obequitant interea, tum ut equorum huc illuc per pascua vagantium, & jam culices, jam tigrides fugientium agmen coerceant, tum ut, si quid periculi ingruat, litui militaris clangore moneant, expergefaciantque commilitones, qui excubantium fidei, ac vigilantiæ vitam, incolumitatemque suam crediderunt. Et vero obstupui frequenter nostris in coloniis, quam impigre, quam fideliter excubitorum partes omnes impleverint. Noctes integras Cœlo sæpe turbulentissimo adjacentes oppido campos percursarunt equites, quoties de adventante hoste vel leves rumusculi percrebuerunt. Cornuum, tibiarumque militarium stridore formidabili vigilare se se significabant identidem, ex quo cum hostes proditos se jam intelligerent, meditato assultu abstinuerunt. Namque, ut Barbarorum mos fert, non nisi in imparatos, suique securos audent aliquid. Toto, quod Abiponibus impendi, septennio expertus sum, quoties armati noctes insomnes transegimus hostium metu, ne umbram quidem hostium comparuisse; Nemine nostrum hostile quid suspi-

cante, Barbarorum examen formidabile coloniis noſtris incubuiſſe. Nunquam plus timendus hoſtis, quam dum minime timetur.

CAPUT XXXIX.

De aſſultu, & quæ hunc præcedunt, induſtriis.

Suſpiciendæ ſunt, quas aggreſſioni præmittunt, anxiæ cautiones. Minutatim, quidquid accidere ſibi poſſet, præmeditantur. Opinionibus ne fallantur ſuis, præſtigiatorum ſuorum aliquem itineris ſocium, expeditionisque moderatorem ſibi adſciſcere conſveverunt. Hunc, quippe quem & rerum futurarum præſcium, & abſentium conſcium putant, identidem conſulunt, ad inſaniam uſque creduli ceu Apollinem Delphicum venerantur. Ab ejus ore pendent omnes, ejus nutibus morem gerunt ſummi, ac infimi Romanis veteribus ſuperſtitioſiores, qui auguribus, aruſpicibusque non conſultis nunquam auſi bellum auſpicari. Præſtigiatoris Prædictionibus eventus ſi haud reſponderit, nemo unus erit, qui illi ſuccenſeat, vel porro diffidat. Hallucinetur quotidie, luculenta ſpoliorum portio, qua ejus mendacia Abipones remunerantur, illi obtinget domi. Si poſtridie facienda ſit aggreſſio, centum oculis, quo loco res ſint, circumſpectant, nec, niſi poſtquam periculo vacare omnia compererint, ad propoſiti exe-

cu-

cutionem animos adjiciunt denique. Loco extra hominum conſpectum poſito ſuperfluorum equorum agmen, ephippia item cum frenis relinquunt, adjectis eorum cuſtodibus. Vultum vario ad terrorem colore inficiunt, ritu apud priſcos Teutones, & plerosque Americæ populos recepto. Ad augendam, ut illi quidem ſibi perſvadent, hoſtium trepidationem coronam e pſittacorum plumis textam alii, alii galericulum e lana rubrum globulis vitreis, vel e limacum concha fictis relucentem, nonnulli prægrandem alam vulturis capiti imponunt ſuo. Abiponem novi, qui pellem cervini Capitis cornibus horrentem ſuis caſſidis inſtar vertici accomodabat ſuo, quoties pugnandum. Quidam roſtrum avis Tunka concavum, & ſpithamam longum naribus ſuis illigaverat dimicaturus. Minus animorum illis ineſſe ſemper adverti, quos de adſciſcendis formæ terriculis magis ſollicitos obſervabam. Maxime intrepidi his neglectis nudi omnino, quamvis fucata ſemper facie, hoſtium tela exſpectant. Id tamen mos fert omnium, quod equo, quem quisque probatiſſimum habuerit, nudo ſeminudi inſideant, frenique loco lorum ejus faucibus adſtringant, pro habenis ſerviturum. Pondus, & quidquid equi retardare poſſit pernicitatem, rejiciunt, ut ad impetum ſeu faciendum, ſeu declinandum ſe videant expeditiores.

Tempus aggreſſioni ſuſcipiendæ opportuniſſimum putant illud, quod, vel principium diei, vel extremum ita tamen, ut lucis tantum affulgeat, quantum ad res omnes oculo diſcernendas ſuffecerit. Sole enim aut recedente, aut jam jam redeunte domi plures, quos ſcilicet obtruncent, inveniunt, eosque ſomno fere oppreſſos, cum interdiu negotiorum cauſa, ubi ubi demum, extra ædes ſuas pleri-

que verſantur. At enim alienis cædibus ſub Auroram, vel veſperum peractis cautiores denique Hiſpani periculoſa habere ea tempora cæperunt, ac vigilanti cura Barbarorum prævertere molitiones. Qua re perſpecta Abipones novo ut aſtu eos deluderent, de more, inſtitutoque ſuo decedendum quandoque ſibi putarunt, & ſæpe ſub meridiem nil tale ſuſpicatos oppreſſerunt, quoties rei e voto gerendæ ſpes affulſerat. Abiponum exemplo idem Mocobii, Tobæ, cæterique barbari præſtitere adeo, ut in Abiponum coloniis quoque nullam diei partem eorum inſidiis, vel inſidiarum ſuſpicionibus vacuam porro numeraremus. Horis tamen nocturnis vix audent invadere quempiam; Timent equidem tenebricoſis in locis unum aliquem, a quo conficerentur, latere. Meum forte cubiculum, lumine deſtitutum noctu amice ingreſſi terrebantur illico, &: Quam nigra eſt tua domus *Kemen nenegin Greérigi*, vel *La naà! nenekáuvági* pavidi exclamarunt. Patente tamen in campo tenebras haud reformidant, dum equos abigere, excubare, campum ſpeculari, &, quidquid ſit, aliud agere illis collubitum. Ferociſſimis Barbaris oaekakolòt, quos vulgo Quaycurus, vel Lenguas appellant Hiſpani, id peculiare eſt, quod præter aliorum morem noctu plerumque in colonias irrepant, ſæviantque. Præmittere ſolent ſuorum aliquot, qui ſudes ad loci ſecuritatem terræ infixas evellant clanculum, ut cætero ſubinde agmini pateat acceſſus, incolis ſomno oppreſſis, nihilque minus quam cædem ſuis cervicibus impendentem ſomniantibus. Vel hoc nomine equeſtris hæc natio late ſparſit terrorem. In noſtris certe coloniis idcirco noctes innumeras eſt vigilatum. Arii, bellicoſiſſima quondam Germaniæ natio, no-

ctu

ctu quoque præliari solebant, ut Tacitus refert: *Arii super vires, quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt, truces, insitæ feritati arte, ac tempore lenocinantur. Nigra scuta, tincta corpora, atra ad prælia noctes legunt, ipsaque formidine, atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum, ac velut infernum aspectum; Nam primi in omnibus præliis oculi vincuntur.* Aggressionem porro non eodem semper modo exequuntur Abipones. Si colonia Christianorum invadenda, clanculum, viis incognitis, ac citra strepitum propinquant. Multiplici equitum ordine vias cingunt omnes, nullus ut relinquatur in colis effugii locus. Pedites alii contuberniorum portas perfringunt. Quod si id periculosum sibi existiment, eminus sagittis, queis ardens Gossippium, aliudve stupæ genus præfixum, magno numero vibratis accendunt ædes, quæ, si stramento, vel materie tectæ, illico exardescunt, flammisque incolas involvunt. Quotquot incendii terrore extra tecta prosiliunt, hastis, telisque conficiuntur, certe, nisi pueri, ac puellæ, captivitatem non effugiunt. Qui domesticos intra parietes barbarorum metu se continent, misere cremantur. Certum; ut ut incredibile, barbarorum manus præ igne formidari magis. In oppido Jacobi Sanchez, urbi Correntinæ propinquo templum cum Sacerdote ad aram operante, Indisque fœminis, prolibus, ac viris pauculis (Cæteri enim rure occupati aberant) in cineres abiisse a Barbaris accensum, omnes novimus. Locum, ubi hæc olim peracta tragœdia, ipsus, dum iter facerem, spectavi. Præter diruti oppidi vestigia & arbores manu consitas nil jam restat. Plures alii per Tucumaniæ, Assumptionisque tractus coloni igne sagittis Barbarorum injecto, quam eorundem hastis consumi maluerunt. Obtruncatis, captisque omnibus

bus, quidquid usui esse possit, abripiunt alias Abipones; Quin & plurima, quorum usum ignorant, ne Christianis porro prodessent, asportant vel confringenda mox, vel flumini injicienda. Memorabiliores strages, quibus universam prope provinciam annis superioribus funestaverant, loco suo dein' recensendas, hic prætermitto.

Si quando Hispanorum phalanges adoriri visum Abiponibus, equites hi præcipiti in illos cursu invehuntur non condensatis Europæorum more ordinibus, sed ita laxis, ut in varios divisi globos simul a fronte, simul a tergo, & lateribus eodem tempore contrarios premant, & protensa supra equi verticem hasta obvium quemque contrucident. Vibrant ictum, sed ne recipiant, eadem, qua assiliere, velocitate resiliunt, mox resumptis animis in aciem iterum, iterumque redituri. Quisque sibi dux. Suum quisque sequitur impetum. Equum varios in gyros celerrime circumagere nôrunt, sibique incredibiliter morigerum habent. Corpus suum ex equi tergo pedibus suspensum schœnobatis instar hac illac contorquent, jam, ne feriantur, sub equi ventre abdunt penitus. Hoc potissimum astu plumbeas eludunt glandes. Nam Hispani sclopo ictum destinantis oculos continua situs variatione fallunt, fatigantque. Statariam Europæi militis pugnam damnant omnes, illumque insanire dicunt, qui eadem in statione quietus persistat, pectusque suum, veluti metam, advolantibus globis ultro objectet. Suam in assiliendo, resiliendoque promptitudinem saluberrimum bellicæ artis documentum, pleno ore affirmant. Barbarorum volubilitatem, ac ingenium qui rite noverit, nunquam in illos sclopum exonerabit, spes nisi certa alicujus feriendi appareat; Postquam

enim

enim innocens sclopi tonitru citra ullius suorum stragem audierint, excusso armorum Europæorum metu plus audebunt scilicet. Quamdiu te sclopo intento minitantem sibi aspexerint, male sibi metuent, de se servandis, quam de necandis aliis magis solliciti.

Præproperam, temerariamque in sclopo explodendo festinationem multis exitio, circumspectam, providamque cunctationem saluti fuisse plurimis, nostræ ætatis exempla docent. Iuvat aliqua horum perstringere. In Sancti Jacobi de florea territorio Abipones sub auroram ex rupe præcipiti, ac salebrosa, quam nullus unquam pes hominis, nullus equi calcaverit, equites repente delapsi Hispanorum oppidum (las barrancas appellant) invaserant, neque arduum illis fuit negotium, dormitantes incolas jugulare. Hilarius centurio, mihi paucis post annis perfamiliaris, tum Barbarorum ululatu, tum ejulatu lugubri morientium expergefactus domus suæ limen occupat, sclopo in hostiles manipulos semper directo. Nemo unus omnium ausus est illi imminere. Vel hac sola fulminis comminatione se, suamque servavit filiolam, tot inter vicinorum funera superstites. Stationem, ubi hæc acta, idem centurio transeunti mihi commonstravit. Hispanus alter in agro urbis Correntinæ dum aream domus suæ sudibus obiter munitam Abiponum agmine cingi videt, sclopum illis (quid si pulvere nitrato vacuum?) obvertit, jam his, jam illis minitans. Ad frustrandum, quem destinaverant Barbari, assultum, satis id, superque fuit. Centurionem novi, cui Gorosito nomen, Jacobopolitanos inter milites optime meritum. Sclopo is utebatur, e quo scintillam

nunquam expectaveris. Cur illius reparationem non illico mandaret? roganti socio: Haud sibi necessariam videri, reposuit. Satis est, ajebat, sclopum etsi inutilem ostentari Barbaris, quippe qui solo ejus aspectu terreantur. Neque enim illum vitio laborare, intelligunt. Se inutili hoc sclopo instructum velitationibus non paucis & impune & gloriose interfuisse. Neque opus est mihi alienis experimentis, testimoniisque. Ipsus ego sclopo armatus, quin eum vel semel exploserim, irruentium Barbarorum turmam toties per septennium absterrui adeo, ut sacræ ædiculæ, Domusque meæ sepibus ne propinquare quidem auderent, minus vim inferre.

E contrario quam res sit plena periculi, sclopos inconsulto exonerare, tum sæpe alibi, tum potissimum, me in Paraquaria agente, in recenti quadam Indorum colonia, ubi pauci milites præsidiarii ob crebras Barbarorum incursiones Tucumaniæ finibus invigilaverant, experti sumus. Oppidulum hoc Mataquayi rebelles omni telorum genere sub vesperum invasere. Milites in subita trepidatione, quidquid fistularum ignivomarum fuit, adversus Barbarum agmen exonerarunt, at suo, non hostium damno; Hi enim, nullo ad onerandos porro sclopos spatio concesso, inflammatis stupa ardente sagittis domos accenderant, militesque inde in aream profugos hamatis telis confixere, præcisa undique effugii opportunitate. Bini Sacerdotes nostri, qui sacra ibi curaverant, Franciscus Ugalde Cantaber, & Romanus Harto Navarrus, florentissimæ ambo ætatis, mei quondam Cordubæ contubernales, dum & morientium militum saluti, & vitæ suæ consultum ibant, eadem inter domus septa Barbarorum furorem senserunt. Primus equidem telis lethalibus saucius, moxque con-

conflagrantis ſacræ ædiculæ ruinis ſepultus in cineres omnino abiit unico ejus oſſiculo ſuperſtite, cui ſubinde alibi in templo parentatum; In Cœlum quoque abiiſſe viſus eſt omnibus, qui eximiam ejus religionem, ſvaviſſimamque morum integritatem ſemper ſuſpexerant. vitæ illius hiſtoria Matriti typis edita, Viennæ Auſtriæ in latinam linguam traducta eſt. P. Romanus Harto primi ſocius. (Eadem mecum navi Ulyſſipone in Paraquariam translatus) duabus licet ſagittis lateri alte inhærentibus vulneratus noctis ſubſidio e domus ſepibus in propinquam ſylvam reptans & barbarorum oculos, & mortem evaſit. Sanguini innatans ſuo, vulnerum dolore, & quæ inde enaſcitur, ſiti acerbiſſima excruciatus noctem arbores inter ſub dio egit, fædiſſima tempeſtate, nimbo, turbine, tonitribusque horrendam. Qui opem ferret, nemo unus mortalium præſto fuit. Albeſcente Cœlo in campum prorepens militem, qui pridie equo profugerat, Numinis ſingulari beneficio conſpexit, a quo equite ad Hiſpanos, longiſſime diſtantes tandem deportatus, perſanatusque fuit. Quænam, amabo, tot funerum cauſa, tantæque tragœdiæ origo exſtiterat? Militum pauculorum in ſclopis vacuandis intempeſtiva feſtinatio. Inanis ſtrepitus ſolum aerem feriebat, Indisque animos addidit, ut ſepoſito metu audacius irruerent, Hiſpanisque tempus ad ſclopos implendos neceſſarium negarent. Pluribus pulvis nitratus, quo uterentur jam, defuiſſe, dicebatur præterea, omnibus animus, ſubito Barbarorum adventu, habitationum incendio, ac tot funerum ſubinde aſpectu incredibiliter conſternatis. Prompte, ſed provide Barbarorum impetus eſt reprimendus. Utendum celeriter armis, ſed reſervandum ſemper aliquid, quod ſubitis belli caſibus ſubſidio eſſe queat. Indi enim in omnem nocendi occaſionem intenti

nullo

nullo negotio opprimunt ſeu inermes ſeu armis perperam utentes. Hinc ſi triginta milites catapultarii ſtationis defenſionem ſuſcipiant, in tres dividantur claſſes, oportet ita, ut decem catapultas in hoſtem irruentem exonerent ſuas, decem onerent, totidem alii oneratas reſervent. Qua ratione ſi alii aliis jaculando ſucceſſerint, illis implendi catapultas tempus ſemper ſuppetet, & Indis nunquam deerit cauſa metuendi. Id ſi ſibi cordi ſumpſerint documentum, næ? triceni catapultarii trecentis Americanis fugandis, fundendisque pares ſe experientur. Quod ſi trecenti jaculatores eodem omnes tempore ſine aliqua hoſtium ſtrage catapultas ſolverint, a triginta barbaris ſuperabuntur, ni forte in deſtinando ictu feliciores illorum aliquot ſtraviſſent. Abipones equidem, ut cæteri Americani plerique, viſa ſociorum aliquantula cæde, qua qua poſſunt, elabuntur. Provincia, quanta eſt, illis fugientibus anguſta videtur. Adverſus avium arbori incumbentium catervam glandes plumbeas vibra. Si modo binas, ternasve ſtraveris, ſatis eſt. Avolabunt cœteræ. Sic uno, alterove Barbaro occumbente, reliqui omnes exterriti pedem referent actutum. Adeo vitam ſuam præ quavis victoria pluris faciunt. Quid igitur cauſæ eſſe, putem, cur paſſim ab exteris metuantur? Dicam.

CAPUT XL.

Quibus modis formidabiles ſe reddant Abipones, & quando jure formidandi ſint.

Natura meticuloſi cum ſint, arte formidabiles ſe reddunt. Innatam aliis magnanimitatem Barbari jam ſtrepitu buccinarum, jam inſidiarum aſtutia, jam incredibili velocitate, jam fucata ad terrorem facie, jam hirſuto verſicoloribus plumis capite ſupplere conantur. Abipones certe, ut ſæpius memini, ſive invaſuri alios, ſive ab aliis invadendi his artibus uti conſvevere, quas illi hoſtis territandi inſtrumenta exiſtimant, ego rectius nativi eorum timoris argumenta ſum interpretatus. Variarum avium plumis jam criſtæ inſtar erectis, jam coronæ ſpeciem referentibus caput inſigniunt, ad pugnam, veluti ad nuptias ituri, & jam de victoria certiſſimi, qua quidem fiducia obſervata hoſtem animos deſponſurum arbitrantur. Hæc plumis ornandi capitis conſvetudo ut antiquiſſima, ſic populis prope omnibus communis eſt. Galearum apicem plumis varii coloris veluti criſtatum paſſim videmus. Hinc illud Virgilii 12. l. Æneidos: *Tum Galeam Meſſapi habilem, Criſtisque decoram induit --* Et aliud alterius poetæ: *Galeam quaſſabant rubra minitantem vulnera Criſta.* Quid quod Cymbri, Teutonesque præter volucrum pennas hiantes, belluarum ferocium fauces galearum ſuarum cono adjecerint,

ut in acie truculentiores viderentur. Hunc ſane in finem pyrobolarii Europæi, flos peditatus, mitram urſina pelle horrentem; Equites quoque petaſum plumarum faſciculo inſignem geſtare ſolent etiamnum. Si Jovio hiſtorico credimus: *Caſſanus Baſſa* (qui quindecim millium Turcarum ductor Auſtriam ſuperiorem eſt depopulatus) *erat inter omnes inſigni Criſta conſpicuus. Fuit ea ab aurea vagina in fronte exſurgens ala vulturis, quæ ut ab omnibus noſceretur* &c. Ab aliis hiſtoricis non *Caſſan*, ſed *Haſſan Baſſa* appellatur.

Plumis fucum adjiciunt dimicaturi Abipones. Nam vultum jam albo, jam purpureo colore inficiunt, ſed plerumque atro. Fuligo, quam ex ollis, cacabisque radunt, id præſtat officium. In itinere, nulla ubi fuliginis copia, ignem excitant, ejusque fumo, ac carbone comminuto ad ſe tingendos utuntur. Fructus arboris, quam urucuỳ dicunt Quaranii, rubrum colorem præbet, etiam lanæ tingendæ utilem. Materia, qua ſubitis in caſibus ſe pingerent, deficiente, linguam ſpina pertundunt, ſanguineque ubertim profluente faciem imbuunt ſuam. Haud eadem omnibus figura. Hi ſolam frontem, illi unam maxillam, alii utramque infuſcant. Sunt, qui retortis in ſpiram ductibus totum, quantus eſt, vultum exarant. Nonnulli oculos duntaxat duplici circulo inſigniunt. Aliqui atrata penitus facie æthiopas mentiuntur. Larvas ſtygias illos putares, & Plutonis ex aula. Vel quotidiana conſvetudine mihi familiariſſimos haud agnoveram, dum propinquantem oppido hoſtem repulſuri tanta colorum varietate ſe contaminavere. Hic quoque mos populis cæteris Paraquariæ, maxime equeſtribus quotidianus, imo & priſcis Germanis, quod ex verbis, quæ ſuperio-

rio-

riori capite, recitaveram, Taciti liquet; qui ait: Arios noctu præliari, nigris ſcutis uti, corpora ſua coloribus tingere, *ipſaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferre, nullo hoſtium ſuſtinente novum, ac velut infernalem aſpectum. Nam primi in omnibus præliis oculi vincuntur.*

Non oculis modo hoſtium, ſed & auribus terribiles ſe reddunt Abipones. Velitationibus equidem lituis, tibiis, cornibus, buccinis ut ſono, ſic materia, figuraque diſcrepantibus præludunt. Corneæ remugiunt, clangunt ligneæ, oſſeæ, ex tibia majuſcularum avium, vel beſtiarum quodrupedum paratæ, acutiſſime ſibilant. Arundineæ abſurdum edunt ſtridorem. Facti ex cauda animalis (quod Hiſpani *armadillo*, Quaranii *Tatù*, Abipones *Yauíklaìp*, vel Katoiraik, vulgus Paraquariæ *Kirikintſchù* vocant) undique Cataphracti, præfixa arundine litui militares non aures modo, ſed omnem latiſſime auram complent fragore horribili. Verba me deficiunt buccinarum ſingularum fabricam, uſumque explanare cupientem. Illud certiſſimum, quot milites, totidem buccinatores Abiponum in acie numerari. Horriſonis his claſſicis ululatum conſociant Barbarum, quem admota labiis, celeriterque identidem retracta manu ciere nôrunt. Huic affine videtur, quod Tacitus de Germanis præliantibus memorat: *Affectatur præcipue aſperitas ſoni, & fractum murmur objectis ad os ſcutis, quo plenior, & gravior vox repercuſſu intumeſcat.* Audi & Ammianum Marcellinum libro 16: *Cornuti, & Braccati uſu præliorum diuturno firmati eos jam geſtu terrentes barritum ciere vel maximum; qui clamor ipſo fervore certaminum a tenui ſuſurro exoriens, paulatimque adoleſcens extollitur ritu fluctuum cautibus illiſorum.* Ab utroque authore ululatus ille militaris commode ex-

pri-

primitur, quem Abipones oris iterata percussione edere consveverunt. Cæterum fervente pugna vociferatio cunctis prope nationibus solennis fuerat. Polybius L. 15. *Romanos more patrio in prælio simul vociferari, & gladiis ad scuta allisis strepitum edere*, testatur. Huic consonat Cæsar 7. de bello Gallico: *Hostes committunt prælium utrinque clamore sublato.* Turcæ etiamnum inconditis clamoribus illud suum: *Allaha Schikir* laudetur Deus, repetunt, in oppositam sibi aciem quoties incursant. Timentur a novitio milite, a veterano, qui arti militari, & experientiæ suæ confidit, ride tur. Abipones turmatim irruentes elata voce clamitare solent: *Labaràlk! Labaràlk.* Eamus, Eamus, uti Quaranii ad strenue agendum se se hortantes. *Yabà! yaba.* Mokobii: *Zokolák! Zokolak!* Hispani: *Vamos*, vel *Vamonos!* idem aliis vocibus repetunt hostem aggressuri. Galli: *Allons! Agite. Euge* iterum, iterumque pronunciant pleno ore. Quamdiu confligunt Abipones, tum ad declinanda, tum ad destinanda tela oculos in omnem partem circumferunt, raucoque gutture, crispata veluti voce minitabundi illud identidem pronunciant: Hò-Hò-Hò-quo hostem provocare, seque ipsos ad iram accendere, contendunt. Europæis etiam in castris tubarum, tibiarumque clangorem, tympanorum boatum ad animandum, gubernandumque exercitum simul, simul ad hostem territandum adhiberi, extra dubium est. Plures tamen victorias silentio, quam strepitu partas fuisse, ut nostra ætate, sic olim, nemo unus inficiabitur. Hoc utinam sibi cordi sumerent Hispani Paraquarienses, quibus perinde, ut Barbaris, solenne est, vociferando assultum auspicari. Franciscus Barreda Hispanus in provincia Bætica natus, Regii Tucumaniæ Gubernatoris in S. Jacobi territorio triginta circiter annos vicarius, vir

rebus

rebus præclare geſtis clariſſimus mihi crebro conqueſtus eſt: Nunquam ſe a ſuis impetraſſe militibus, ut Barbarorum contubernia invadentes Vociferatione ababſtinerent, iisque taciti per inſidias imminerent, ne vel fugam capere poſſint, vel arma, dum imparati opprimuntur.

Bellator prudens hoſtilem ſtrepitum, qui pugnam vel præcedit, vel comitatur, ſerena excipit fronte, ſpernitque, probe gnarus, tubarum, tympanorumque quamvis horrifico ſonitu aures duntaxat, non corpora feriri. Dolendum maximopere, atque adeo mirandum eſt, Abiponum terribiles viſu formas, ac vociferationem inconditam ſic formidari a barbatis etiam Paraquariæ colonis. Non ſolum eorum oculos, auresque percelli, ſed & animos adeo turbari, ſæpe vidimus, ut jam ſui impotes non de præſidiis cogitent, quibus vim vi repellere, ſed opportunitatem, qua fugam tuto capere poſſint, anxii circumſpectent; Qua quidem ratione vitæ interdum conſulunt ſuæ, famæ, ac ſecuritati non item. Tanto enim audentiores indies evadunt Barbari, quanto impudentius formidantur, fugiunturque. In ipſis toties urbibus trepidatum eſt, dum Abipones atrata facie truculentos, toto corporis habitu terribiles, equis pernicibus advolare, ferales inter buccinarum ſtridores vociferari, dextra immanem jactare haſtam, ſagittarum faſcibus onerari, cædem anhelare, ſpirare incendia, trecentas mortes, captivitatem, vulneraque ferocibus oculis minari vago ſolum rumore, & ſæpe vano intellexerant incolæ. Vidiſſes ultro, citroque concurſantinm greges, & proximam ſibi mortem lamentantium hoſte, a quo trucidentur, necdum vel eminus conſpecto. Non imbellis modo ſexus, ſed viri etiam militaribus titulis inſignes ad

templa lapidea, abſtruſiſſimas in latebras convolarunt, qui ſi frontem, ſclopumque hoſti obvertiſſent, terror omnis Panicus, fugatis levi negotio barbaris, in riſum erat deſiturus utique. Sola interdum de Barbarorum vicinitate fama trepidationis publicæ origo fuit. Ante annos haud plurimos in Boni aeris metropoli forte vulgabatur ſub meridiem die Dominico, Barbarorum Auſtralium, quos ibi Serranos, Aucàs, vel Pampas vocant, numeroſum agmen in urbis, neſcio, quam plateam irruiſſe. Conceptus ex falſo rumore timor adeo animos omnium occupaverat, ut prope alienata mente, obcæcati terrore, delirantium inſtar calles omnes percurrerint, impleverintque mæſto clamore. Barbarum enſem eorum cervici jam admotum, de vita conclamatum eſſe, juraſſes. Nonnulli ad loca tutiora properantes ob violentam curſitationem capillitii, petaſi, pallii jacturam fecere. Hæc inter equites præſidiarii, qui urbem omnem luſtrarent, miſſi Barbarorum nec umbram, neque ullum extare veſtigium, renunciarunt. Quo audito turbatis incolarum mentibus ſerenitas rediit, nemoque fuit omnium, quem vani terroris non puduiſſet, pœnituiſſetque. Ejusmodi ſpectacula, Barbaris impune per provinciam Graſſantibus, in ſanctæ fidei, Cordubæ, Aſſumptionis, ſalta &c. urbibus quotidiana, certe frequentiſſima fuerunt. Vulgus enim timidum, quidquid rumor incertus afflavit, pro certo habet, & ubi tuta omnia, periculum ſuſpicatur. Illud, quod in correntina urbecula accidit, præ aliis memorabile, ac riſu dignum. Abiponum catervam irruiſſe, ac in platea, cui a roſis nomen, cædibus jam jam occupari, ſub veſperum repente fama percrebuit. Nec mora: Maximi ad templum noſtrum, muris ſaxeis validum, fiebant undique concurſus. Ipſe (cognomen illius, ac filios novi) ſupremus armorum

præ-

præfectus, ſed jam vetulus, vetularum comploran- tium turbæ immixtus gemitibus illic, ac precibus indulgebat. Hic, hic, ajebat, in divinis ædibus, in Jeſu Chriſti præſentia moriendum eſt nobis. Has militis minime militares voces indignatus Presbyter ſæcularis, qui forte advenerat, homo ætate florens, & ſtrenuus: Juro per Chriſtum, repoſuit, haud quaquam nobis moriendum eſt. Quærendi ſunt hoſtes, & mactandi. Hæc ait, & fulminis Ocyor alis in obvium equum inſilit, ſclopo armatus ad eam urbis ſtationem, ubi Abipones ſævire jam dicebantur, excurrit opis ferendæ ſtudio. Aſt en! univerſos illic incolas pacatos, quietos, alte dormientes, nihil de Abiponibus ſomniantes deprehendit, rumorisque terrifici falſitatem trepidantibus adhuc in templo cæteris ſubinde detexit. Viden', quantum ſæpe terrorem Abiponum non forma modo, ac præſentia, ſed etiam fama Paraquarienſibus injecerit, obſcuris licet authoribus ſparſa.

Duo, mihi longo rerum uſu exploratiſſima, omnium animis alte impreſſa vehementer cuperem: Indos nunquàm formidandos minus, quam dum maxime terribiles, majorique cum ſtrepitu ſpectandos ſe ſe præbent. Horrificus enim ille, dum aſſiliunt, Barbarorum apparatus eorum timiditatem prodit. Virtuti ſuæ, viribus, armisque diffiſi fucum varii coloris, avium plumas, buccinas, vociferationem, aliaque, quæ ſibi adſciſcunt, terricula victoriæ adjumentum fore, opinantur. Verum vel mediocriter animoſus quisque, & obiter armatus illa omnia metu dedignatur ſuo, & ceu futilem umbram intrepidus contemnit. Id primum. Nunquam plus timendos Indos, quam dum nobis timere videntur, id alterum quod affirmo, documentum. Latent quandoque,

tacent, nullum ſui indicium præbent. Hoc ſilentium, ut malacia imminentis procellæ in Oceano, aggreſſionis proximæ prognoſticon eſſe ſolet. Præſto erunt propediem, & ſui ſecuros repente oppriment. Mortem, cujus miniſtri ſunt, imitantur. Adſunt, quando minime expectantur. Hinc ſuſpectiora ſemper illa tempora, locaque, quæ omni vacare periculo videntur. Fervente pugna in præcipitem ſe ſæpe fugam effundunt Abipones eo potiſſimum conſilio, ut Hiſpanos ad ſui inſectationem pelliciant, & quos integris non poterant, turbatis mox ordinibus diviſos contrucident. Inde factum non raro, ut qui victores ſibi videbantur, victi fugitivis ſuccumberent. Rationem hujus aſſignat Vegetius L. 3. cap. 22. *Quia adverſus fugientes major audacia, & minor cura eſt. Neceſſario autem amplior ſecuritas gravius habere ſolet diſcrimen.* Cautiſſime igitur premenda Abiponum fugientium veſtigia. Qui terga vertere, iidem protinus frontem, haſtamque ſe inſectantibus obvertent Parthorum more, de quibus Juſtinus L. 41. *Cominus in acie præliari neſciunt, obſeſſasque expugnare urbes. Pugnant aut procurrentibus equis, aut terga dantibus. Sæpe etiam fugam ſimulant, ut incautiores adverſus ſua vulnera inſequentes habeant. - - - Nec pugnare diu poſſunt. Cæterum intolerandi forent, ſi quantus his impetus eſt, vis tanta, & perſeverantia eſſet. Plerumque in ipſo ardore certaminis prælia deſerunt, ac paulo poſt pugnam ex fuga repetunt, & cum maxime viciſſe te putes, tunc tibi diſcrimen ſubeundum ſit.* Juſtinus de Parthis ſcribens belliſſimam Abiponum dimicantium imaginem efformavit, qui ſane Hiſpanis multo periculoſiores, dum fugiunt, quam dum in acie confligunt. Ad paludes, ad ſylvas, ad viarum anfractus, ad montium fauces, ad ſaxeta, vel dumeta fugiunt, quæ quidem loca equorum habilitate confiſi, nandi, equitandique eximia

peri-

peritia adjuti promptiſſime transmittunt, ubi Hiſpani inſequentes, dum veſtibus, ſarcinulisque ſuis impediti, equis idoneis ſæpe deſtituti cum aqua, cœno, aliisque viæ ſalebroſæ aſperitatibus luctantur, in manipulos diviſi nullo prorſus negotio haſtis confodiuntur. Non raro, ut alios taceam illorum aſtus, edita jam ſtrage, ædibus jam ſpoliatis, cæſisque incolis abitum fingunt Abipones, fugamque accelerare videntur. Dum multas eos abeſſe leucas credideris, aſſultum repetunt, ſuperſtites Hiſpanos, qui periculo ſe defunctos putaverant, repente opprimunt, & quotquot poſſunt, obtruncant. Ut adeo certiſſimum ſit: Nunquam plus timendos Barbaros, quam dum timere videntur. Et meo toties, & aliorum experimento doctus id usque affirmo.

Hiſpanis ut ut plurimis pauculi Abipones metuendi ſunt, ſi in anguſtias redigantur, clauſi undique, effugium illis nullum ut ſuperſit; Tum enimvero ad ſe ſe tuendos extrema audent. Quidquid præ manibus, in arma convertunt. Mortis timor in furorem, ſanguis in bilem abit. Trepidatio ſagacitatem inſpirat, animosque, & hinc præ quantavis magnanimitate reformidanda. Nolunt inglorii, neque ſine multorum mortibus mortem oppetere. Rectiſſime ſentit Vegetius L. 3. cap. 22. *Clauſis ex deſperatione creſcit audacia, & cum ſpei nihil eſt, ſumit arma formido.* Ad id comprobandum plura mihi inpromptu ſunt experimenta; ed tria commemoraſſe ſufficiet. Abiponum quispiam, cui adſtans conjux ſagittas, & his conſumptis, obvios ſtipites miniſtrabat identidem, a Jacobopolitanorum militum corona cinctus tantum negotium faceſſiverat unus omnibus, ut non niſi poſt accepta, inflictaque multis multa vulnera eadem in ſtatione perſiſtens tandem occubuerit, Hiſpanis,

 qui



qui ſauciati fuerant, ipſis Barbari conſtantiam mire prædicantibus. Per Paraquariæ colonias late ſui nominis terrorem ſparſit Nachiralaři̋n Abiponum Yaukanigarum ductor, Hiſpanorum Cæde quam genere apud ſuos illuſtrior. Illius aſſeclas ſeu contubernales a Cæſio, vel Glauco oculorum colore *Los Sarcos* (Rectius dixiſſent *Los Garzos*) vulgus appellabat. Iſtorum caterva ſtipatus Nachiralařin cordubenſem, ſantafeſinum, Correntinum, Paraquayenſem agrum per annos complures cædibus, latrociniisque vexavit, dum denique ad Tebiquarў litora a ducentis circiter ex Aſſumptionis urbe militibus deprehenſus & mactare, & vivere deſiit. Quatuordecim cum ſociis Abiponibus in ſylva clauſus, obſeſſusque Hiſpano agimini ea ſe ſe pertinacia objecerat, ut non niſi poſt horarum aliquot certamen ſuccumberet, occumberetque. Impediri tamen haud potuit, quin commilitones illius aliquot fuga elaberentur. Hanc qualemcunque victoriam ab iis, qui velitationi interfuerant, verbis magnificis toties, quamvis nunquam ſine nauſea, celebrari audiveram; De cruentis ad lacum Thraſumenum, ad Furcas caudinas, ad Höchſtadium, ad Nördlingam &c. præliis eos ſermonem habere, dixiſſes, Certe Fulgentius de Yegros reliquorum Dux & fauſta illa expeditione incredibilem nominis celebritatem conſecutus, ad ſummos ſubinde in militia honores, & ad ipſius provinciæ præfecturam eſt evectus. His adde: Viceni Abipones ſylveſtres, dum in patente campo ob patrata latrocinia a trecentis partim Mocobiis Chriſtianis, partim Abiponibus adhuc catechumenis invadebantur, vitam, quam ſtationem ſuam deſerere maluerunt, vel ex acie pedem referre. Fidem ſuperat, quanta pertinacia a pauciſſimis contra multos fuerit decertatum. Locum, quem ſub velitationis principium ceperant, mortui ad unum omnes occupa-

parunt. Ychamenraikin, quantum nomen apud Abipones! totius agminis ductor prima mox aggresſione ſagitta vulneratus victoriam morte ſua funeſtavit. Ex quo palam fit, paucos licet, licet numero, armis, ac viribus inferiores, multitudini timendos eſſe, ſi a circumſtante agmine cincti, locorum anguſtiis ita compreſſi fuerint, nullns ad fugam exitus ut pateat. Cum moriendum ſibi eſſe videant, deſperatione rabidi nolunt inulti mori. Vindictæ ardens ſtudium e timidis audaces reddit, illisque pro armis eſt. Hinc vitam, cujus ſpem abjecere, non niſi multorum mortibus venalem offerunt hoſti. Ipſæ adeo tigrides, dum illarum fuga intercluditur, ſæviunt atrocius. Sapienter exiſtimavit ſcipio: Hoſti fugienti viam eſſe indulgendam. Huic monito morem gerunt plerumque Hiſpani Paraquarienſes, ſæpeque liberalius, quam conveniat, Barbaris effugii libertatem concedunt, indignantibus quamvis eorum tribunis. Franciſcus Barreda, paulo ante a me laudatus, in tricenis, queis dux præfuit, in Barbaros Abipones, Mocobiosque expeditionibus id expertus fuit. Hi locorum, ubi ſua habeant contubernia, opportunitatem captant ſagaciter. Fere ſitum deligunt, ubi vicinam ſylvam a tergo, lacum, rivum, vel paludem a fronte, campum pro equorum paſcuis a lateribus videant, Ejusmodi Abiponum contubernia quoties invadenda fuerant, imperaſſe ſe ſuis (Ajebat mihi dictus Barreda) ut illa ex ea parte, qua ſylvam reſpiciunt, cingerent, ne ſuam ibi ſecuritatem Barbari more ſuo invenirent; Aſt milites ſuo imperio nunquam paruiſſe, querebatur, probe gnaros, ſublata fugiendi opportunitate periculoſiſſimam ſibi cum hoc hoſtium genere dimicationem, victoriamque admodum dubiam fore.

CAPUT XLI.

Quinam Hiſpanorum militum nomine veniant in Paraquaria.

Quoties militum Paraquarienſium mentionem facio, de militibus legionariis, & bellica diſciplina imbutis me loqui, cave, exiſtimes. Tales enim ſeu pedites ſeu dimachæ ad litora ſolum fluminis argentei ſtativa habent ſua, caſtroınm Boni aeris, & Montevideo urbium præſidiarii. Equites ad Barbaros Auſtrales arcendos, coercendosque ſæpius excurrere jubentur, Pedites navibus impoſiti clandeſtinam vetitarum mercium nundinationem argenteo in flumine impediunt- In cæteris ampliſſimæ Paraquariæ coloniis coloni ipſi militare ſolent, dum hoſtiles Barbarorum incurſiones vel detinendæ, vel in eosdem ſuſcipiendæ fuerint. Quodvis territorium ſingularum urbium aliquot tumultuarii militis centurias, centuriones, ac procenturiones numerat, quibus ſingulis Magiſter campi (Maeſtre de campo) & ſumus excubiarum præfectus (ſargento major) præeſt. Omnium moderator, & archiſtrategus eſt Gubernatoris vicarius, qui pariter ſummus judex, quod Hiſpani his verbis exprimunt: *Theniente de Governador, juſticia mayor, ỳ Capitàn à guerra.* In quavis præterea urbe centuria eſt, quam centuriam centurionum emeritorum *la compañia de Los Capitanes reformados* appellant. Iſtorum eſt Gubernatoris vicarium, quoties expe-

expeditioni intereſt, comitari, ejusque veluti prætoriani milites reputantur. Multi horum honorarii ſunt ſolum, quia centurionum, imo nec militum partibus unquam functi. Hunc ſibi titulum emunt, ut eximantur belli oneribus. Nam ſolum, dum Gubernatoris vicarius ad bellum proficiſcitur, excurrere debent. Cæteri quique vel a Regio Gubernatore, vel ab ejus vices agente ad expeditiones bellicas evocantur. Nullum illis a Rege ſtipendium, aut veſtimentum. Suis quisque armis, equis, ac cibariis inſtructus militat, quoties, & quamdiu præfectis viſum.

Hiſpanos militari virtute præſtantes, ſemper ſtrenuos, acerrimosque bellatores omnis ætas, omnis provincia experta eſt. Qui veteris, novique orbis hiſtorias pervolverit, eximia eorum facinora ignorare haud poteſt. Hiſpanis heroibus enumerandis nulla arithmetica, celebrandis nulla rhetorica par eſſe videtur. Ingenio prompti, manu ſtrenui, ad belli labores impigri, in periculis terra, marique intrepidi, cœli cujuscunque, ærumnarumque patientiſſimi, animi magnitudine nemini ſecundi ea ubique terrarum patrarunt, quæ majorum expectationem, poſteritatis fidem, & prope humanas vires excedere videantur. Nil exaggero Hiſpanorum laudes, vel merita. Tot illa ſunt, tantaque, ut verbis a me æquari neutiquam poſſe, potius doleam. Reportatæ de bellicoſiſſimis nationibus victoriæ, ſubactæ bello provinciæ, ampliſſima, opulentiſſimaque Americæ portio ſub jugum miſſa Hiſpanæ fortitudinis teſtimonia, monimenta, & ut verbo dicam, trophæa ſunt luculentiſſima. Invidere iſta vicinæ gentes poterunt, negare nunquam, nec eripere. Injurius ſit nobiliſſimæ, & militaris rei gloria florentiſſimæ nationi, qui ſecus ſentiat. Binis, & quod excurrit, decenniis Hiſpanos inter in America ſum

versatus; Annis totidem eorum strenuitatem, sagacitatemque suspexi. Ne per ea, quæ de Paraquariensi militia optima fide scripsero, Hispano nomini labes aspergeretur, paucula hæc præfari visum est.

Haud omnes, qui in Paraquaria Hispanam originem jactant, Hispanorumque honorifico nomine gloriantur, re ipsa Hispanos esse, quis ignorat? In tanta gentium variarum colluvie permulti sane ex æthiopibus, Mauris, Indis, matreque Hispana, aut vicissim prognati, aut mixto ex iis omnibus sanguine oriundi Hispano nomine abutuntur, factis tamen ab Hispana strenuitate alienissimis ad aliud hominum genus se se pertinere identidem produnt. Flavescens, obscuriorve vultus color, imberbe mentum, crinium lanescentium cacabo nigriores cincinni originis vel Africanæ vel Americanæ multos certissimo argumento convincunt. Hispani Europæi alteri in Paraquaria nato indignantes per contemptum dicere consueverunt: *O es del Ynga, ò del Mandinga.* Ortus est ex majoribus vel Indis, vel Afris. *Ynga* enim Peruvianorum Rex appellabatur quondam. *Mandinga* Nigritiæ in Africa trans flumen Nigrum provincia est. Innumeri se pro Hispanis genuinis pleno ore venditant, quibus si venas omnes scalpello pertuderis, exhauserisque, ne unicam quidem Hispani sanguinis guttam toto in corpore invenias. Ad Historicos Americæ planius intelligendos, operæ pretium fuerit hoc loco varia hominum ex diversæ nationis parentibus procreatorum nomina adnotare. Ex utroque parente Europæo in America natos vocant Criollos. Ex variis Africæ provinciis maxime ex Angola, Congo, Loango, Mandinga, Madagascar seu insula sancti Laurentii, ex insulis, quas olim Hesperides, nunc promontorium viride appellant, aliisque ex locis, ut

man-

mancipiorum instar serviant, advectos, & ex illis in America subinde progenitos Hispani, Lusitanique *Los negros* nigros vocant. Nomine ex atro illorum colore deducto. Istos germani Mauros (die Mohren) perperam appellamus. Haud equidem Mauri in Barbaria, seu Mauritania Tingitana nati atra omnes sunt facie, neque lanæ instar crispis crinibus. Algiriensi enim in urbe (olim Julia Cæsarea, vel Ruscuno) nati, educatique Mauri indigenæ eo sunt vultus candore, ac elegantia, ut in Anglia geniti videantur. Id ex tribus sacerdotibus Germanis Carmelitis alterum in annum istic captivis Ulyssipone intellexi. Quamvis Algirienses cæteri, qui ruri agunt, ferventissimi solis æstu non mediocriter fuscentur. Nemo tamen illorum, ut plerique alii nigricantes Afri, simis, sursum versus repandis naribus, laneis capillis, labris turgentibus ab Europæo distinquitur. Incredibilem Cœli Algiriensis ardorem ipsi mense Februario anni 1748. rigidissima per vicinam Italiam hyeme experti sumus; dum navi ob malaciam detenta diem integrum Algiriensem prope portum nobis subsistendum, sudandumque fuit. Neque vocabulo *Æthiops* ad quemcunque Afrum nigri coloris significandum rite utimur. Hoc enim solos Æthiopiæ incolas denotat. Nam licet Æthiopes sint nigri, non omnes nigri sunt Æthiopes, sed ex diversis Africæ regionibus oriundi. Mihi tamen eodem vocabulo, quod apud latinos scriptores civitate donatum, ad nigros quoscunque significandos porro utendum putavi, ne a recepto more discederem. Hispanorum nomine apud Indos veniunt Europæi omnes. Indi dicuntur, qui ex parentibus Indis orti. Cum igitur diversæ hæ nationes, Europæi scilicet, Indi, & Africani per connubia permisceantur, Nati ex illis filii pro varietate permistionis varia nomina acquirunt. Sic;

Ex

Ex Europæo & Inda natos vocant	Meſtizos.
Ex Europæo & Meſtiza	Quarterones.
Ex Europæo & Quarterona	Ochavones.
Ex Europæo & Ochavona	Puchueles.
Ex Indo & Puchuela	reputantur jam Hiſpani, ſeu Europæi.
Ex Europæo, & Nigra	Mulatos.
Ex Europæo & Mulata	Quarterones.
Ex Quarterone & Europæ	Saltatràs.
Ex Mulato & Inda	Calpan mulatos.
Ex Calpan mulato & Inda	Chinos.

Ex ſanguine Indico, & Æthiopico qualitercunque oriundos etiam Zambos, vel Zambaigos dicere ſolent.

Ex Europæo & Inda, vel Mulata nivei interdum coloris, & Hiſpanis quibusdam candidiores naſcuntur proles, ut adeo Virgilii monitum ſæpe locum habeat: *Nimium ne crede colori.* Superi boni! quanta gentium genio, ingenio, colore, forma, moribus, lingua, religione a ſe diſcrepantium permiſtio! Quam diverſa, abſurdaque nomina! Sed quid vetat, omnes iſtos cum diverſis nationibus permiſtos uno nomine hybridas appellare. Sic Svetonius in Auguſti vita Themaſinum quemdam Epicardum hybridam vocavit, quod ex patre Partho, matre Romana prognatus eſſet.

Ex tot hominum generibus militares copiæ conflantur in Paraquaria. Cum plurimi eorum, Hiſpano

no quamvis cognomine ſuperbiant, ut ab Hiſpania, ſic ab Hiſpanorum intrepida pugnacitate longiſſime abſint, quid mirum, ſi imbelles, imberbesque hi milites, adoptivi Bellonæ filii a ferocibus Barbaris nefrendulorum inſtar toties jugulentur. At vero digni ſunt venia, quin & commiſeratione. Præterquam enim quod eorum manibus arma plerumque idonea deſunt; Certe ea tractandi peritia deſtituuntur. Præter natandi, equitandique ſcientiam, omnibus prope Americanis in Paraquaria communem, belli leges, militaremque diſciplinam omnino ignorant. Quid quod milites Cordubenſes ne natandi quidem uſum habeant. Quam plurimi, dum in Barbaros eundum, pro haſtis nodoſas, rudesque, quas obvia ſylva offert, ſudes adferunt, quibus ſi pugionis, cultrive fracti reliquias, vel ferreum mucronem præfixerint, tum enimvero præ Hercule, præ Marte inſigniter armati ſibi videntur. Extemporaneos hos, maleque perſonatos bellatores riſum moviſſe Abiponibus, quos territuri venerant, toties, nunquam ſine rubore, ipſi vidimus. Sclopi non niſi opulentioribus ſuppetunt, quod magno fere pretio veneant, ſæpe nusquam venales proſtent. In urbe Boni aeris ſclopi, quos equites adhibent, & Carabinas vocant, ſinguli viginti quinque ſcutis Hiſpanienſibus, ſeu quinquaginta florenis Germanicis, me præſente, vendebantur, nuperrime ex Hiſpania advecti. Quo remotiores ab emporio Boni aeris Coloniæ, eo plus eorum, uti cæterarum mercium, ſolet pretium accreſcere. In urbibus certe ſancti Jacobi, Aſſumptionis, Corrientes &c. quadraginta, imo & ſexaginta ſcutis ſclopos non elegantiſſimos veniiſſe, ex ipſis emptoribus intellexi. Quodſi pars ſclopi aliqua vitietur, fabrum, a quo reparetur, raro invenias. Hinc ſclopi, quos milites non pauci circumferunt, tales ſunt ſæpe,

ut



ut ex pumice aquam extundas citius, quam ex illis vel ignis ſcintillam. Vitiis aliis, atque aliis laborant; Nam in diuturnis itineribus jam ſtipiti, jam ſaxo alliduntur, jam madeſiunt, jam alio labefactantur modo; Sub dio ſemper, Cœlo ſæpe pluvio, noctes agendæ, natatu transmittenda ingentia flumimina, equitandum per paludes, per ſylvas ſalebroſas, per rupes. Inde ſcloporum haud optime cnſtoditorum ruinæ. His adde ſuppellectilis variæ, quæ ad ſclopos onerandos, exonerandosque pertinet, jam penuriam, jam corruptionem his militibus perfrequentem eſſe. Verum etſi omnes ſclopi partes ſint numeris omnibus abſolutæ, ac vitii expertes, igniarius lapis decies chalybi alliſus decies jaculatoris fallit expectationem. Silices ad ſcloporum uſum peridoneos varii coloris paſſim profert Paraquaria; Nigerrimi, rubicundiſſimique, quia igniculis pluribus prægnantes, cæteris præſtant etiam Europæis; Aſt hominem, qui ignivomos hos lapides rite ſcindere norit, ac ſcloporum uſibus aptare, nusquam illic reperias. Sic aliis quoque in rebus liberalem fruſtra naturam experitur Paraquaria, multis tamen, quibus carere vix poſſit, ſemper eget, quia arte, artificibusque deſtituitur. Variis in Coloniis milites hoſtis adventuri rumore perculſi turmatim ad noſtras confluxere ædes, lapidesque igniarios, qui nobis quoque rari, & pretioſi, infimis precibus mendicarunt. Centurionem itineris comitem integro menſe habui. Quoties ſeu meridiaturi, ſeu pernoctaturi ad focum conſedimus, ſclopo ſuo coriaceis funiculis ligando occupabatur, quibus trochleas ferreas, clavis firmamenta, dudum perditas ſupplebat.

Quoties vel noſtra ætate trecenti milites, dum fulmina minitantes Barbarorum ſtativa aggrediebantur,

tur, vel Chalybe rubiginoſo ignem negante, vel nitrato pulvere humido flammam recuſante ſclopos explodere vix pauci poterant, a Barbaris egregie exploſi omnes, multi haſtis confoſſi fuere. Folia implerem notis, quas deploravimus, ejus generis hiſtoriis. Binas, quippe recentiores, adfero. Per S. Jacobi territoria Abiponum manipulus graſſabatur. Triceni, qui eorum motus obſervarent, milites miſſi, ſed ſub auroram per inſidias ab irruentibus repente Barbaris oppreſſi, & ad unum omnes miſere obtruncati ſunt. Sub dio noctem egerant. Sclopis male cuſtoditis copioſa roris humiditas pulveres pyrios adeo corrupit, ut accendendis iis ne ipſe quidem Veſuvius ſufficeret. Hæc cladis origo a viginti Abiponibus juvenculis illatæ. Ducenti ex Aſſumptionis urbe milites Tobarum ferocium contubernia invaſerant Fulgentio de Yegros ductore. Ab hac expeditione ad oppidum Roſarii reduces militum præfectos lamentantes alios, alios publico in foro me audiente per jocum gloriantes, obſtupui, quod ipſo in aſſultu Barbarorum ſclopos ſuos ſibi refractariolos, ac prorſus inutiles ſint experti, ſcilicet vel rubigine obductos, vel madidos. Maximam noctis partem in ſylva arbores inter rore plurimo ſtillantes in equis conſumpſerunt, ut albeſcente mox Cœlo non obſervati hoſtium ſtativis incumberent. De hac expeditione plura alibi. Ex ſtragibus Provinciæ per Abipones identidem illatis, quas dein' ordine referam, argues & arma militibus, & milites armis plerumque deeſſe.

Tumultuarios, & extemporales Paraquariæ bellatores armis vel ſervandis, vel tractandis neutiquam aſſveviſſe uti exploratum nobis, ſic mirandum nemini. Idem noſtratibus ruricolis, imo & civibus, dum re-

pente in milites transformantur, usuvenire experimur. Aliis equidem seu artibus, seu operibus per omnem ætatem distinentur. Militaris institutio nisi præcesserit, militem idoneum quis in castris speret? Bellicæ disciplinæ expers multitudo campum numero implebit quidem, sed una penum vacuabit annonariam, nullo hostium damno, nullo patriæ emolumento. Multi sæpe adversus Barbaros excurrunt, sed solo nomine milites, solo nomine Hispani. Si quando pinguioris fortunæ, locoque meliore nati Coloni, quibus arma, armorumque scientia, ad excursiones bellicas evocentur, alios, quos ære conducunt, sæpe ineptissimos sibi substituere consveverunt. Alii, ne tantisper conjugis amplexu carere, ne hostilibus telis exponi debeant, militares præfectos præmiis corrumpunt; Quo fit, ut armorum egentissimi, ignorantissimique, qui inermes ruri degunt, belli onera potissimum sentiant, Barbarisque pugnacissimis, objiciantur luculento provinciæ damno, & Hispani nominis dedecore. Plebeji cum pauperes sint, militare jubentur opulentioribus ad rei familiaris curam domi relictis. Cumque illi iterum iterumque excurrere, pluresque subinde menses extra ædes suas consumere cogantur, se ipsis pauperiores evadunt quotidie, suaque cum familia miseriis conficiuntur.

Si ab expeditionis duce sclopis instruantur aliquando, eos finita expeditione, quin vel culicem mactassent, labefactatos reddunt plerumque. Hunc certe in finem ab Assumptionis urbe ducenti sclopi insignes, cum suo quisque pugione, ærarii publici sumptibus procurati sunt. Vix triennium abiit, ex ducentis soli sex, qui porro usui essent, restabant, destructis cæteris. Pugiones aut deerant, aut, quia assandis carnibus, secandisve lignis in itinere adhibiti,

ti, igne emolliti, fractive. Cordubensium præfectus Regius ad flumen tertium forte excurrit, de Barbaris Pampis hostile quid suspicatus. Collectis rure militibus sex pyrii pulveris portiones papyro clausas, & singulas singulis sclopi ictibus destinatas porrexit. Heroum istorum quispiam confestim omnibus his sex portionibus sclopum farcit suum, & dum ad summitatem ejus tubum haud impletum esse videt, haud satis sibi pulveris pyrii datum, sclopi sui fistulam nondum plenam, Præfecto suo queritur. Miles alter Paraquayensi ex territorio tres pulveris pyrii portiones sclopo intrusit, cumque papyrus, qua claudebantur, obstruxerit forameu fistulæ, per quod flamma ingreditur, tentatis nequidquam ictibus explodi haud potuit; observato per socium errore Martius ille Dameta me adstante liberaliter a commilitonibus explodebatur. Plerique, cum theca sclopetaria careant, illas pulveris nitrati portiones papyro discretas pessime custodiunt, rumpunt, conterunt, madefaciunt, & non raro humi effundunt. Plurimi, dum suo se more armant, bubulo in cornu nitratum pulverem, alio in marsupiolo globos plumbeos, vel plumbi frusta circumferunt. Papyri loco, quæ pulveri, globoque stipando adhibetur, Gossipio utuntur alii, alii musco, vel stupa, aut quidquid demum præ manibus, injiciunt. Plerique hunc in usum lanam ex laneo ephippiorum stragulo evellunt. Tota hæc rerum necessariarum supellex cum tot servetur in locis, ut singulæ alibi, atque alibi sint conquirendæ, incredibile est, quantum temporis spatium in sclopo onerando absumant. Tantæ cunctationi cum exigua in collineando dexteritas accedat, id denique impetratum est eheu! ut ignifera Europhæorum arma eo liberius indies ab Abiponibus spernantur, quo plus olim timebantur. Magnifice se cir-

circumſpiciunt innocui hi milites, fauſtos ſe, fortunatosque putant, dum, quod prodigio ſimile, ſclopum ſuum fumantem viderint, tonantem audiverint, etſi, ne pilo quidem hoſtium læſo, ſolum aerem attigerint. Mihi indubitatum prorſus, Paraquarienſes equo ſtrenuo inſidentes haſta, enſeque plus poſſe, quam ſclopo. Si quæ Barbaris illata ſtrages, hanc ferro, non plumbo tribuendam, e vulneribus patuit.

Eccur igitur, quæret aliquis, rudes hi coloni ad armorum tractationem non erudiuntur? Dudum id a bonis omnibus optatum, ſæpe, ſed caſſo labore, tentatum, ſperandum nunquam. In vanum cecidere multi multorum conatus. Jam, qui belli artes docere poſſint, jam, qui doceri velint, deſiderabantur. Me iſtic agente juſſu Regio Franciſcus Gonzalez equitum protribunus cum aliis præfectis militaribus ex Hiſpania miſſus eſt ad Boni aeris urbem, ut numeroſiſſimos illius agri colonos bellicis diſciplinis inſtitueret. At enim, qui diſcipuli eſſe vellent, magiſtris defuere. Hiſpani opulentiores, qui in urbibus, coloniisque honeſtioribus degunt, militiæ aſperitates fere recuſant; Cæteri per prædia remotiſſima ſparſi pecoribus tuendis, augendisque dant operam; Hæc enim præcipuæ ſunt Paraquariæ opes, & cum metallorum fodinis, ſæpe etiam commercio deſtituantur, unicæ. Tantis leucarum ſpatiis diſtantes, jam fluminibus, jam ſylvis, jam immenſa camporum planitie a ſe diviſos in unum, ubi bellicas artes edoceantur, locum cogere, arduum eſt, & centum difficultatibus implicatum negotium. Prima vice ad militarem ſcholam evocati aderunt complures, novitate Europæorum, quos ridere ſolent, equitum allecti, non diſcendi animo. Altero die exſatiata ſcilicet videndi curioſitate multo pauciores numerabis

Ter-

Tertio demum vix decadem. Jubeantur Regio nomine institutioni bellicæ interesse, imperio minas licet admisceas, nihil admodum proficies. Absentiam alii alio ex capite excusabunt. Hic vel suum, vel suæ conjugis, aut prolis morbum causabitur; Iste vias, imbrem, fluviumve, quod cœlo procelloso transitum negaverint, accusabit; Ille itineris, negotiive, quod differri nequeat, obtendet necessitatem. Alii denique sibi haud collubitum fuisse, proterve fatebuntur. Hæc ita esse Franciscus Gonzalez, mihi familiaris diu, in urbe Boni aeris comperit, ubi otiosus dudum, sed otium pertæsus, desidebat cum suis.

Quid si, inquis, ad coercendos Barbaros Legionarii ex Hispania milites singulis in Coloniis excubarent? Neque id quidem probavero. Provinciæ latissime, longissimeque patenti vel justus exercitus vix sufficeret, & in tot partes divisus quid tandem contra hostium multitudinem poterit? Ejus generis milites jaculandi, pugnandique scientia Americanos superabunt, sed, quia Europæi, ab his natandi, equitandi peritia, itinerum, æstus, sitis, inediæque tolerantia longissime superabuntur. Tentoriis, plaustris, cymbis, vel pontonibus, quibus isti carere non possunt, impediti circumvolitantes equites Barbaros non assequentur, minus illorum contubernia, quæ ducentas leucas ab urbibus absunt interdum. Sane Hispani dimachæ, Boni aeris præsidiarii, perinviti adversus Australes Indos excurrebant, quippe a quibus vulnera sæpius, quam victoriam retulerunt. Legionarios pedites urbi sanctæ fidei ab Abiponibus, Mocobiisque olim propemodum oppressæ suppetias missos nihil admodum profuisse, nemo ignorat, Barbaris scilicet statariam pugnam cum pedite callide subterfugientibus. Haud nego, Pizarro, Cortesio ducibus ab Euro-



ropæo milite Indos innumerabiles Cæſos, fugatos, ſub jugum miſſos, ſed Indos adhuc pedites. Si Abipones, Mocobios, Tobas, Quaicurues, Serranos, Chiriguanos, aliosque Paraquariæ equeſtres populos oppugnaturi redirent hodie iidem heroes, plus certe negotii, minus Gloriæ illis auſim polliceri. Primos illos, qui Americam attigerant, Hiſpanos equo ſublimes, ferro indutos, enſibus fulgurantes, ignivomis fiſtulis tonantes, myſtacibus hirſutos imberbes Indi, nudi, inermes, aut ſolo ligno armati, novum hominum, qui mori neſcirent, genus rati vel fuga declinarunt, vel, ſi fugere haud licuit, obſequio ſibi devinxerunt. Qui hodie bellum movent Hiſpanis Barbari, quotidie illos vinci, ac mori poſſe vident, haſtis ferreis, equis pernicibus ad eorum impetus eludendos, quin ad eos, dum lubet, impetendos ſagaciſſime uti norunt. Perſequuntur illos, & aſſequuntur; jam fugant ſibi infeſtos, jam fugiunt. Fulminatrices illas ſcloporum fiſtulas, quas ſæpius nec tonare, ſæpius, caſſo fulmine, nil præter innoxium crepitum edere experti ſunt, jam raro ſibi periculoſas, metuque ſuo indignas credere paulatim incipiunt. Usque adeo tempus ut res cæteras, ſic belli rationem, nationum mores, inſtitutum, animos immutat. Centum Indos a decem olim Europæis profligatos, fugatosve, legimus; Hac ætate decem Indis aſſilientibus centum Europæos fugiſſe, toties vidimus. Neque id rarum eſſe ſpectaculum, quamvis incredile videatur, ex iis, quæ porro mihi ſcribenda reſtant, planiſſime cognoſces.

Ego quidem, longo rerum Paraquarienſium uſu edoctus, ſic exiſtimo: Homines Americanos, ſi bellicis artibus, armis idoneis, ſupellectili neceſſaria inſtruerentur, ob nativam equitandi, natandi, cœli, belli-

que

que aſperitates tolerandi habilitatem præ Europæo milite utiliorem adverſus Barbarorum incurſiones operam navaturos. Per univerſam Paraquariam paſſim videas adoleſcentes & origine, & nomine, & animo vere Hiſpanos, Sagaces, agiles, intrepidos, robore, ac proceritate conſpicuos, equites, ſi qui uſpiam, ad ſtuporem dexterrimos, e quibus ſi quovis in territorio una conflaretur centuria, & a Præfectis ſtrenuis gubernata ſtabili gauderet ſtipendio, næ! Indos hoſtes ad frugem, ad Hiſpanorum amicitiam facile revocandos, amicos in officio retinendos, colonias a vexationibus reſpiraturas exiſtimavero. Quod ſi ex quaternis, vel quinis ejusmodi centuriis, quoties periculum urget, conjunctis agmen conflaretur, nulla Barbarorum, quamvis numeroſiſſima, ſtativa illi inexpugnabilia forent, dummodo exploratæ virtutis, experientiæque dux præfuerit expeditioni. Quinquaginta circiter ejusmodi Equites, quos ſanctæ Fidei civitas ære ſuo aluit, & Blandenges vocavit, rem ſæpe præclare geſſerunt. Petrus Cevallos clariſſimus Hiſpanienſium copiarum Dux delectos ex Paraquariæ Coloniis equites in illo contra Luſitanos bello ſibi magno uſui fuiſſe, iterum, iterumque palam affirmavit. Eorum in equitando celeritatem, in trajicendis ſine navi fluminibus promptitudinem, incredibilem in omnibus alacritatem Marchioni Valdelirios me adſtante magnopere dilaudavit in Quaranico S. Borgiæ oppido. Ejusmodi equites, qui in ſingulis Hiſpanorum excubarent coloniis, partim ex ærario Regio, partim opulentiorum Hiſpanorum ſumptibus facile ſuſtentarentur, quorum maxime intereſt prædiorum, commerciique ſecuritatem a Barbarorum incurſionibus ſartam, tectamque conſervari.

CAPUT XLII.

Quæ Cæſorum ſors apud Abipones victores.

Ut primum haſta a ſe ſauciatum quempiam procumbere ſenſerint Abipones, prima illis cura eſt, morientis caput amputare. Incredibili id præſtant celeritate. Anatomes experientiſſimis magiſtris certe palmam præriperent. Non jugulo, ſed cervici cultrum infigunt, ictu certo, breviſſimoque. Quamdiu ferro omni caruerant, concha, piſcis Palometæ maxilla, fiſſa arundo, lapis ſolerter exacutus illis pro cultro fuere. Noſtra quoque ætate cultello ſæpe tenuiſſimo caput, velut ſi papaveris eſſet, reſecare norunt ea promptitudine, quam vel Europæis in carnificibus, licet enſe inſtructis, raro deprehendas. Longo uſu, exercitatione quotidiana hanc ſibi dexteritatem Barbari compararunt. Quotquot enim hoſtes trucidant, totidem fere capita domum aſportant vel ephippiis ſuis, vel cingulo crinibus alligata. In tutiora poſtquam loca ab hoſtium ſuſpicione remoti ſe receperant, allata capita pelle nudant. Ab una aure ad alteram infra naſum cutem incidunt, eamque una cum capillis ſcitiſſime, citiſſimeque avellunt. Abſtractam ſic a calvaria pellem ſicco gramine farciunt, quæ aere paulatim exſiccata capillitii arte facti imaginem refert, ac trophæi inſtar a ſingulis conſervatur eadem ſollicitudine, qua Europæi erepta hoſtibus ſigna ad perennem vi-

victoriæ memoriam ſacris in ædibus poſteritati ſolent oſtentare. Cuicunque Abiponum plures ejusmodi pelles domi, is militaris gloriæ fama reliquos præcellit.

Cranium quoque cæſi hoſtis, os illud ſcilicet verticis, quod calvam dicunt, aſſervant aliquando, feſtivis in compotationibus pro poculo adhibendum more apud alias quoque gentes paſſim recepto, ut ex hiſtoricis compluribus liquet. Inde forſitan Ambroſius Calepinus occaſionem nactus eſt dicendi in verbo *Cranium*: *Eſt calva capitis*, & *poculi genus*, *calvæ figuram referens*. Wayerlinkius genus illud poculi, quod Teutones Topf, & olim forſitan Kopf, Galli vero corrupta non nihil voce *coupe* vocant, antiqui moris, cranii nempe pro poculo adhibendi, veſtigium putat. Aventinus certe, ſi fide dignus, Germanos quondam ex humano cranio bibentes vidiſſe ſe, teſtatur. Herodotus L. 4. Scythas cæſorum hoſtium pelles, victoriæ ſuæ indices, circumtuliſſe, eorumque Calvariis pro poculo uti ſolitos, memorat. Galli prælio defuncti hoſtium demeſſa capita ex equorum cervicibus ſuſpendere, ac denique in domus ſuæ poſtibus ſuffigere ſolebant olim, ut ſtrabo L. 4. Geograph. Scribit. Belgas priſcos eodem fere ritu allatis hoſtium capitibus domus ſuæ limina ornaviſſe, Diodorus L. 5. cap. 9. refert. Severini in Hungaria caſtri propugnator in partæ victoriæ ſignum duo plauſtra Turcarum capitibus onuſta Budam, regni metropolim, miſit, ubi anno 1492. Proceres Uladislao Rege jubente congregati. Ita Bonfinius L. 2. decadis quintæ. Neque miror, tantam fuiſſe ſemper in amputandis, adferendisque hoſtium capitibus populorum ſollicitudinem; Certiſſima enim hæc trucidati hoſtis documenta. Holofernis caput a Judith reſectum,

allatumque de ejus morte dubium omne Bethulienſibus exemit. Haud omnes, qui vulnerati procumbunt in acie, illico mortuis ſunt adnumerandi. Multi, ut vitam ſervent, veluti exanimes commilitonum inter cadavera ſe abdunt aſtute. Mocobii poſt cruentam cum Abiponibus velitationem illorum celebrioribus primipilis, quos exſpiraſſe viderant, capita amputarunt ad augendum triumphi apud ſuos ſplendorem. Duobus e vulgo Abiponibus juvenculis, quos haſtis terebratos undique dudum occubuiſſe putarunt, necdum exſaturata rabie violentas manus injecerant, uni auricula, alteri duobus digitis crudeliter mutilatis. Sed hem! perſanatis Vulneribus paucas poſt hebdomadas ambo incolumes in S. Ferdinandi oppido comparuere hac ſolum ratione infelices, quod nec huic nova auricula, nec alteri novi digiti ſuccreverint.

Ychoàlay, formidabile olim Hiſpanis nomen, Abiponum campeſtrium dux illuſtris poſtquam Debayakaikin Abipones ſylveſtres inter facile principem ſibi per annos ſeptemdecim infeſtum in acie demum obtruncaſſet, illius, & aliorum primi nominis commilitonum capita publico in foro e furca, hunc in finem parata, ſuſpendit, quæ a fœminis quotidie ſub veſperum non ſine lugubri carmine ad tugurium quodpiam deportata, ne a Debayakaikini amicorum aliquo noctu cleperentur; Sed primo diluculo rurſus furcæ infami affixa fuere. Dies aliquot id continuatum, dum denique, neſcitur, a quo, clanculum ſublata ſunt. Id probri genus vindex Ychoàlay in præcipuum totius nationis ducem, ſibi ſanguine propinquum, ſed tot dimicationum, cladiumque authorem ſtatuit, ut illius ſemper turbulento capiti jam palam illuderetur, cujus manus plurimarum cædium, latrociniorumque inſtrumenta exſtitere, id

quod

quod clarius tibi fiet, dum de S. Hieronymi oppido mihi ſermo fuerit.

Execraberis utique hanc in ſecandis hoſtium, deglubendisque capitibus atrocitatem Abiponum; Sed tuus, opinor, miteſcet animus, rudesque Barbaros venia aliquantulum dignos judicabis, ſi tecum reputaveris, id eos & majorum ſuorum inſtituto, & plurimarum per orbem gentium exemplo agere, quæ ſæviendi in hoſtes opportunitatem nactæ omnem humanitatis ſenſum videntur abjeciſſe, putantque ſibi victoribus in victos omnia licere, ut adeo crudelitatem quamvis militaribus virtutibus auſint adnumerare. Præter ea, quæ paulo ante de Scythis, Belgis, Gallisque veteribus ex variis hiſtoricis recenſui, alia, quæ ad hoc argumentum pertinent, memoranda veniunt. Scythæ, aliique Aſiæ, ac Europæ ferociores populi, teſte Herodoto L. 4. N. 64, primi, quem ex hoſtibus jugularunt, ſanguinem potant, reliquorum capita Regi adferunt ſuo. Ni enim hoſtium caput aliquod quis exhibuerit, omni ad captas bello prædas jure excidet. Pelles ex hoſtilibus capitibus detractas jam equo ſuo, velut trophæis, ornando appendunt, jam ex pluribus conſutis ſibi veſtem, jam equi ſtragulum concinnant. Sunt, qui pellem cum unguibus ab hoſtis dextera avulſam pro ſagittarum theca adhibent, quippe beſtiarum corio craſſiorem, candidioremque. Ipſius ego vidi pellem Tartari exploratoris belle concinnatam, quem in obſidione Viennenſi anno 1683. interceptum Germani milites excoriarunt. Non pauci Scytharum pelles ab hoſtium corporibus abſtractas, ſubactasque ſibi, equisve tegendis impenderunt. Elias Skeed in Libro de religione veterum germanorum gallorum &c. hunc capita hoſtium glubendi ritum omnibus prope, quæ

ſoli orienti propiores habitant, nationibus ſolennem fuiſſe, affirmat. Quid ſi ad hoc probandum illa verba in Cantico Moyſis Deuteronomii libro, cap. 32. verſ. 42. fors aliquid valeant: *Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus devorabit carnes, de cruore occiſorum, & de captivitate nudati inimicorum capitis.* Caput hoſtium pelle nudatum hoc loco intelligi, veri ſimilius mihi videtur, quam caput galea nudatum, ut quidam arbitrantur memores conſvetudinis, juxta quam cæſis hoſtibus, vel captis caſſides detrahebantur, ut nudis capitibus victorem exercitum captivi ſequerentur. Alias aliorum interpretationes nec ignoro, nec impugno. Innumeræ ſunt, quas alii per Americam Barbari in hoſtes a ſe vel interfectos, vel captos exercere ſolent, crudelitatis formæ. Hiroquei in Canada immanitate vincunt cæteros. Ex hoſtium necdum exſtinctorum capitibus ſæpe pellem avellunt. Noſter Joſephus Lafitau inter illos Barbaros diu verſatus in libro ſuo: *Moeurs des ſauvages Americains &c.* linguis variis toties typo dato fatetur, viſam a ſe mulierem origine Gallam, gallo nuptam, pluriumque prolium matrem, quæ capite ab Hiroqueis excoriato dudum ſuperſtes, ſoſpesque fuit, a Gallis propterea *la tete pelée* dicta. Plures alii hanc capitis excoriationem paſſi citra vitæ jacturam dicuntur. Nonnulli Indorum Canadenſium totum, quantum eſt, occiſi hoſtis corpus excoriant, ejusque exuvias, veluti victoriæ, ac fortitudinis teſtimonia circumferunt, oſtentantque. Interdum detractam hoſtili manui pellem in tabacæ thecas convertunt, quæ in canada provincia *Sacs a petun* a gallis vocantur. Tantus quamvis mortuos laniatus maneat corporum, optabilius tamen, tolerabiliusque fuerit in acie occumbere, quam ab Hiroqueis abripi in captivitatem; Hæc licet ſæpe breviſſima quavis alia morte videtur

acer-

acerbior. Ex captivis enim bellicosiores, quos reformidant, infantes, vetulos, vetulasque, a quibus in itinere molestias sibi fore prævident, primo mox die, ac veluti in acie cremant. Alios, atque alios diebus posteris, ut ad accelerandum reditum sint expeditiores. Si insectantium hostium timore fugam præcipitare eos oporteat, morarum impatientes captivos singulos singulis arboribus alligant, vicinasque accendunt arbores, ut lento igne torreantur, intereantque, certe, si quando flamma lanquidior illis parceret, inedia certe extinquantur. Captivos reliquos, quos sibi utiles domi fore existimaverint, constrictis fune brachiis abducunt. Noctibus singulis, ne tenebris ad fugam abuterentur, singulos pedibus, manibusque (figuram literæ X exprimunt) expansis, funiculoque totidem sudibus adstrictis custodiunt; His addunt funem duplicem longiorem; Altero collum, pectus altero vinciunt, circumligantque. Hujus extremitatem herus Barbarus manu complectitur sua, ut, si captivum fugæ cupidum de vinculis se extricare suis conantem sentiat, expergiscatur. Acerbissimæ, & siquid aliud, Intolerabiles miseris noctes videbantur. Totum prope corpus nudi equidem ab infinito advolantium culicum, vesparumque examine dilaniabantur, cum pedes, manusque vincti, motus omnis impotes adversus hos tortores tueri se se neutiquam possent. Calamitoso itinere defuncti victorum in patria vel ad miserabilem servitutem, vel ad rogum damnantur. Hæc, pluraque id genus refert noster Lafitau fide utique dignissimus; Nam, præterquam quod ipse Hiroqueos inter versatus sit diu, fatetur, se cætera, quæ scripserit, omnia accepisse a Juliano Garnier Sacerdote nostro, qui annos sexaginta aliquot eidem nationi Christum, humanitatemque docendæ impendit, linquarum Barbarum scientissimus,

mul-

multa expertus, plurima passus, religionis amplificandæ studio, ac quotidianis in se ipsum rigoribus demum consumptus. Familiari hujus consvetudine, institutioneque dictus Lafitau diligenter utebatur.

Eadem prope feritate Australis Americæ Barbari in captivos animadvertunt suos. Brasilienses certe illos aliquamdiu saginatos non sine multis cerimoniis inspectante, & plaudente populo clava capiti impacta enecare solent. Dissecti corporis artus festivum universo contubernio epulum præbent, quo non stomachum duntaxat, sed & ardens in hostes suos vindictæ desiderium cupiunt exsatiare. Sunt equidem anthropophagorum ex genere, perpetuisque adversus finitimos bellis impliciti. Nefas sit hoc loco Mammaluccos silentio præterire, homines vel Europæos Brasiliensibus cum fœminis conjunctos, vel talibus e nuptiis in Brasilia prognatos. Illi Christianos se se jactabant equidem, sed venandis, capiendisque christianorum gregibus semper occupati præ quovis Barbaro sæviebant. Captivorum, quos scilicet lusitanis in Brasilia ad Sacchari, aliasque officinas perutiles ingenti cum fœnore venditaverant, negotiatio impia unicum illis negotium fuit. Ab hac hominum colluvie (ut fusius in libro prodromo explicui) aliquoties centena Quaraniorum millia partim crudeliter trucidata, partim in captivitatem abrepta fuere, qui incredibili nostrorum hominum labore per sylvas conquisiti, in oppidis, quæ condiderant, collocati, ibique sanctam religionem, mores, artesque congruas docti fuerant. Ferro, plumboque, & mille fraudibus armati hi prædones Quaranios ligneis duntaxat armis instructos oppressere. Uno sæpe die, eodemque ex oppido plures seu Neophytorum, seu catechumenorum centuriæ, ut pecorum greges, abigebantur, nul-

nullo ætatis, ſexusve diſcrimine. Quotquot ad fugam aut procliviores, aut aptiores viſi, loris, funibus, catenis vincti rapiebantur interdiu, ſole præcipitante in altas, quas adventantes eum in finem foderant, ſcrobes conjiciendi quotidie. Decrepiti, morbo imbecilles ne reditus celeritatem retardarent, ipſo in itinere variis modis interempti. Proles lactentes, ne matribus porro oneri eſſent, partim manibus diſcerptæ, partim enſibus in centum fruſta ſectæ, partim ſolo alliſæ vias paſſim omnes funeſtarunt. Pudet, pigetque plura dicere, quæ cogitari a lectore facilius, quam a verecundo calamo exprimi poſſint. Nefarios hos Indorum Paraquarienſium venatores crudelitate, laſcivia, lucri cupiditate æſtuantes omnis hiſtoricus, qui partium ſtudioſus non fuerit, teterrimis coloribus pinxit; Quodnam tamen horum ſcelerum apud illos principatum obtinuerit, arduum ſit, ſententiam ferre. Relege, ſilubet, quæ de Mammalucis in libro Hiſtoriæ prodromo adnotavi. Haud reticendum hoc loco ſingulare crudelitatis genus in captivos, quod Barbari Auſtrales, agro Boni aeris finitimi excogitarunt. Si quem hoſtium in campo deprehenderint, ira efferveſcente haud illum enecant, ſed pede utroque mutilato iſtic relinquunt, ut motus omnis ad viam proſequendam impos lenta morte diriſſimos inter dolores contabeſcat.

Ab atroci hac in captivos, vel mortuos hoſtes ſæviendi conſvetudine, quam in Indis aliis averſamur, longiſſime abſunt, abhorrentque Abipones. Interficiunt, ſed eos duntaxat, quos pro hoſtibus habent ſuis, quos ſibi vel pernicioſos experti ſunt, vel periculoſos porro, ſibique infenſos, opinantur. E vulnere morientes neque torquent, neque excruciant. Hiſpanorum, Indorumve contubernio expugnato

nun-

nunquam promiſcue incolas trucidant omnes, quotquot poſſunt. Ætati teneræ, imbelli ſexui parcunt plerumque, niſi accepta injuria vehementiſſime irritati internecione dignos arbitrentur univerſos. Avulſas a cæſorum capitibus pelles, facinorum ſuorum teſtes domum aſportant, ne inglorii, ad ſuos redeant; Illis tamen ad ſe, vel equum tegendum, ut quidam ſolent, non abutuntur. Bello captos, equisque ſuis impoſitos & in itinere, & domi comitate, benevolentia, beneficentiaque incredibili plerumque proſequi conſveverunt, quod ſuperius cap. 13. de Abiponum moribus, & conſvetudinibus, uberius explanavi. Ex quo ſane intelliges, Abiponum captivos ſorte ſua contentos vivere, ſed ſæpiſſime ad heri ſui offenſam, Hiſpanorum perniciem, ſuumque exitium turpiſſime abuti, ac ipſis denique Barbaris evadere deteriores. Optaveram perſæpe, ut Patres familias, Præfecti militares, magiſtri tam faciles, tam beneficos ſe præberent ſuis famulis, militibus ac diſcipulis, quam ſui ſtudioſos, amantesque Abipones experiuntur captivi. Hurones, Hiroqueosque, etſi cæterum Barbarie inſignes, bello a ſe captis nihil admodum moleſtiarum domi ſuæ faceſſere, niſi eorum ſint ex numero, qui primis ab adventu diebus optimatum ſententia ad rogum crudelem damnantur, Pater Lafitau teſtatur.

CA-

CAPUT XLIII.

De Abiponum armis, & aciei forma, dum aliis cum Barbaris confligunt.

Hoſtes diſpares diſparia ſæpe arma, aciem diſparem ſvadent; Alia, atque alia, tum quibus offendimus, tum quibus defendimur, belli inſtrumenta poſcere videntur. Abipones ſane, quoties ſibi cum Hiſpanis confligendum, in equo celeri, haſtaqne firma plus præſidii, plusque ad victoriam momenti ineſſe exiſtimarunt ſemper. Hinc thoracibus, quos ex alcis pelle concinnatos pro lorica adhibent, abſtinere ſolebant; Nam hi præterquam, quod contra pilas plumbeas ſecuritatem præſtant nullam, fugientium perinde, ac aſſilientium celeritatem pondere ſuo retardant. Arcus quoque, dum adverſus Hiſpanos excurrunt, negligunt. Enimvero deliramenti genus foret, arcus ſclopis, lignum plumbo, ſagittas glandibus opponere; Hæ enim feruntur longius, quamvis ſagittæ feriant certius, eoque periculoſius, quo lignum, oſſaque, e quibus componuntur, humanæ carni præ plumbo magis noxia, & infeſta. Quod ſi tamen domi ſuæ ab externo, quisquis ſit, hoſte invadantur Abipones, arcubus utuntur ſuis feliciter; Horum enim, quam a pueris didicere, ſcientiam quotidiano per omnem ætatem belli, venatusque exercitio ſic perficiunt, ut ictu certiori, quam ſclopo Hiſpani, quidlibet attingant. Oculorum teſtimonio convictus toties, id audenter affirmo.

Sed

Sed fingamus, per Abiponum contubernia de adventuris propediem Barbaris ſpargi rumorem. Si vires ſuppetant, animique profligandis hoſtibus pares, ad cognoſcenda eorum itinera fidi ſpeculatores quaquaverſus emittuntur. Reliquis interea curarum prima eſt, potionem ex melle, vel, ſi in promptu ſint, ex ſiliquis græcis apparare, compotationi publicæ mox ſervituram. Nunquam equidem aut in conſultando perſpicaciores, aut in dimicando acriores ſibi videntur Abipones, quam quando fuerint inſigniter temulenti; Namque tales, ut ipſi quidem autumant, pericula non videre, vel ſi videant, contemnere: Paucos multis ſe adverſariis objicere: Vulnerum acerbitatem nil admodum ſentire: Vitæ neſcios mortem oppetere: Conſopitos in pectore Mavortii furoris igniculos expergefieri, ajunt. Et vero certiſſimum id nobis videri poſſet, ſi, quod Famianus Strada noſter, in ſua de Bello Belgico hiſtoria, de Martino Schenckio laudatiſſimo apud Belgas & Duce, & milite ſcripſit, in memoriam revocamus. *Arma nunquam* (ait L. 10. decadis ſecundæ, folio mihi 633.) *accuratius tractabat, quam quum effuſe potus, ac vino amens.* Idem prorſus, quod Schenckii, Abiponum eſſe inſtitutum, fatum idem, ſæpiſſime comperi. In S. Ferdinandi Colonia certis authoribus accepimus, hoſtile agmen ex Tobis, Mocobiisque compoſitum magnis itineribus adverſus nos adventare, biduique minimum intervallo adfuturum. Attoniti hoc nuncio, non territi Abipones conſultando, compotando, cantandoque ante victoriam triumpho aſſultum præſtolabantur multorum pauciſſimi. Equis, ut ad manum ſemper eſſent, intra oppidi ſepta concluſis, vultu ad terrorem picto, poculum manu altera, altera ſagittarum faſcem complexi biduum conſumpſerant. Dominica Quinquageſimæ illuxit. Tertia

tia a meridie hora Barbarorum equitum turma in conſpectum ſe dedit eminus. Abipones licet poſt tantam compotationem neque mentis, neque greſſus ſatis compotes arrepta haſta fœminarum ope in paratos aſſiliunt equos, per campum nullo ordine ſparſi horrificos inter lituorum ululatus in obvios hoſtes curſu effuſiſſimo invehuntur felicitate tanta, ut illi abjecto mox vaſtandæ coloniæ propoſito adjacentibus in ſylvis ſecuritatem quærerent ſuam. Verum ab inſtante undique, & obſtante Abipone via excluſos alios alio fuga abripuit. Hi greſſum citatiſſimis equis accelerare: Ille procurrentium terga premere conatus. Non pugna, ſed hinc fugientium, illinc fugantium curſitatio fuit. Pernicitate equorum certatum magis, quam telis, quæ quidem ultro, citroque mittebantur, ſed quia ictu parum deſtinato, citra multorum noxam. Victores noſtri non niſi multa jam nocte ad coloniam rediere, quin ſub auroram aliqui, incolumes præter unum, cui clava caput contuſum, omnes, omnes ſereni crapula, quod mireris, non dormiendo, ſed currendo, pugnandoque exhalata. Quot hoſtium in tanta inſectatione ſauciati, quot cæſi fuerint, fateor, me ignorare. Ducentis plures a ſeptuaginta temulentis in fugam actos fuiſſe, luculentæ victoriæ inſtar nobis erat. Sed jam cæteros, quos Abipones pugnæ præmittere ſolent, apparatus, videamus.

Procuratis, quæ ad compotationem dimicationibus præviam pertineant, omnibus eo ſuas cumprimis ſollicitudines convertunt, ut equorum ſuorum agmina hoſtium oculis, manibusque ſubducantur. Melioribus, qui ad belli uſus prompti, & veluti in conſpectu ſint, vicinas intra ſepes reſervatis reliquos iis in ſtationibus collocant, ad quas vel fluminum altioris



ripæ, vel ſylvarum objectu, vel viarum ignoratione difficilior hoſtibus patet acceſſus. Latebras quoque, ubi vigente adhuc periculo uxores, liberosque, ac cæteram imbellem turbam abderent, circumſpiciunt. Integras ſæpe Indorum familias in fluviis, lacubusque paluſtres inter juncos anatum more demerſas, ſoloque capite prominentes a ſe detectas Hiſpani mihi referebant. Ut primum de hoſtis propinquitate rumor apud Abipones percrebuit, fucata illico facie telorum faſces, lituumque militarem e cingulo ſuſpenſum circumferunt ſemper, quem concubia potiſſimum nocte inflant identidem eo conſilio, ut excuſſa timoris ſuſpicione conflictus avidi, vigilantesque ab hoſtium emiſſariis, cognoſcantur. De hoſtilium copiarum propinquatione redditi certiores aliis, atque aliis rationibus ſibi conſulunt. Si pro adventantium numero pauciores ſe ſe videant, calliditate infirmitatem ſupplent ſuam. Ne ad ſuſcipiendam aperta fronte pugnam adigantur, variis artibus hoſtem a ſtativorum ſuorum prohibent acceſſu. Obviam facti jam hoſtem imparatum per inſidias opprimunt; Jam multiplicato tubarum militarium tumultu numeroſos ſe mentiuntur; Interdum cornicinibus, buccinatoribusque pluribus remota in ſtatione a tergo relictis ſe anteceſſores ſolum, ac partem pone ſequentis agiminis fingunt; Jam Hiſpanorum, ſi quas habent, veſtibus induti comparent aliqui, Hiſpanosque milites propinquos ſibi fore ſubſidio, perſuadent. Ejusmodi dolis circumventi relicto præliandi conſilio iter relegunt hoſtes non raro. Tantillæ artis eſt, Americanos natura meticuloſos territare. Pugnam recuſant, niſi de victoria certi.

At vero nullus ſæpe ſtrategemati locus eſt ſuper. Interdum repentina hoſtium incurſione compulſi, a-

lias victoriæ fiducia allecti statuunt denique certamen, pro quo committendo campum hosti adventanti obversum, contubernioque vicinum designatur, ut uxoribus, prolibusque suis forsitan periclitaturis præsto esse queant. Feciales quandoque ab hoste præmittuntur, qui belli causis expositis incolas ad pugnam lacessant. Sed, quod observatum a me sæpius, buccinarum, cornuumque boatum, horridam ad arma provocantium vociferationem pro responso auffere solent. Dignum profecto, si quodquam aliud, Europæorum oculis, cachinnisque spectaculum illa omnia, quæ pugnam seu præceduut, seu comitantur. Viderent sub conflictus initium præstigiatores aliquot equo sublimes, gestu corporis ridiculo palmarum ramos in gyrum circumagentes inimicum agmen ferali carmine diris devovere; Præstigiatrices item vetulas jam humi reptantes, jam leviter subsilientes per forum corrugata fronte, torvis oculis, rauca voce, nescio, quid ominis, vel execrationis deblaterare. Viderent Abipones illitis vultui coloribus truculentos, vertice avium multicolores plumas, manibus arma ostentantes, thorace suo tectos alios, alios agilitatis gratia omnino nudos, gradu ad pompam composito, & quasi orbi terrarum minitantes in aciem coire Montes videntur parturire, quamvis murem prodire ridiculum mox videamus. Volunt isti heroes in acie constituti a Patre, coloniæ curatore, lustrari, numerarique, numerare seipsos cum nesciant. Illorum ordines percurrens: *Sumusne multi?* Interrogabar identidem, quibus more meo: *Estis quam plurimi*, respondi, ne paucitate sua territi animos, spemque victoriæ abjiciant. Quamvis certissimum experientia, oppida tum fere a numeroso hoste fuisse invasa, cum paucissimi incolæ domi superessent, reliquis venationis gratia longe, lateque sparsis. Sed nempe sagaces



Barbari affiliunt, dum præsidiariis nudatam coloniam suis e speculatoribus intellexere. Aciem, si locus id ferat, quadratam statuunt. In medio sagittarios, utramque ad alam hastatos collocari, aliquando observaveram. Alias & hastis & arcubus instructi singuli promiscue aciem occupant. Mocobii, Tobæ, Quaikurui, etsi equites, equis tantisper in conspectu sepositis, pedites manus conserunt. Cazikius, aut alter quivis spectatior, qui præsit omnibus, & pugnam moderetur, equo insidens in fronte aciei consistit primum; Sed inchoata jam pugna tam equo, quam statione illa relictis immistus aliis confligit. Abiponum duces fere pugnacissimi sunt, ac ante cæteros strenui. Cum ducum exempla plus ponderis, quam verba habeant apud militem, qui libentius ducem suum acriter dimicantem sequitur, quam eminus adhortantem.

Initio confertis, mox, dum petendus vel arcendus hostis, ita laxis stant ordinibus, ut quisque spatium quatuor, imo sex cubitorum quaquaversus habeat. Neminem eorum, dum confligunt, videas erecto corpore, vel quietis pedibus consistere. Irrequieti semper curvo in terram corpore, fixis in contrarios oculis ictus vel declinandi, vel designandi causa hac illac cursitant. Ore minante simul, simul hostem provocando solenne illud suum: Hò hò hò repetunt voce ab imo ad summum ascendente. Manum dextram identidem terræ affricant, ne chorda arcus non volentibus e lubricis sudore digitis effluat, qui, sudore pulveribus soli absterso, utique asperantur. Neque Indi Europæorum morem, qui glandium procellam eodem tempore in objectos hostes temere effundunt, sibi putant imitandum. Singuli singulos ad ictum solent destinare, ceu scopum; Hinc

alter

alter alterius oculos, motusque omnes ſollicite circumſpectare ſatagit, & dum a collineante aliquo peti ſe ſenſerit, ſtationem dextrorſum, ſiniſtrorſum ſaltitans mutat priorem. In belli ducem, & bello illuſtriores multa multorum tela, quamvis raro impune, jaciuntur; Quippe ex iſtorum cæde in ſe plus gloriæ, in hoſtes plus terroris quisque prævidet redundaturum. Cum unus ſæpe a pluribus ad ictum deſtinetur, etſi Argo ſit oculatior, vento quovis agilior, ſecuritatem nemo ſibi audet polliceri. Ut adeo, ſi quis ſoſpes acie excedat, fortunæ tribuendum ſit ſæpe, raro dexteritati, thoraci coriaceo rariſſime; Nam hunc non haſtis modo, ſed & validioribus telis cedere, ipſi vidimus, queis nec lignum impervium, etſi lapide durius.

Sagittas ab hoſte miſſas, ſi propriæ deficiant, remittunt. Exhauſtis tamen, uti accidit, pharetris, animisque ipſo certamine magis jam efferatis, poſtquam arcu eminus depugnarunt aliquamdiu, haſta cominus inceſſunt ſe ſe vulnera declinandi, inferendique ſollicitudine pari. Neque timendum tamen, ne humani ſanguinis alluvione turgeſcat campus. Magna eſt equidem in lacertoſis illis Barbaris ad vibrandos ictus brachiorum vis, ac ferocia, ſed ad hos eludendos major pedum velocitas. Tota ſæpe dimicatio comminatione mutua, vociferationeque definitur, ut ſtrepitus quidem multos exaudias, fluere tamen ſanguinem videas rarius. Sauciantur interdum complures, pauciſſimi pro ſauciorum numero occumbunt; Ni enim vel perfoſſum caput, transverberatumve cor ipſum fuerit, de vulneratorum vita conclamatum eſſe, nemo illorum ſomniat. Confractas coſtas, immania per artus reliquos vulnera nihil admodum habere ſeu admirationis, ſeu diſcriminis vulgo ſibi perſvadent, at-

que adeo ſine doloris ſignificatione, ſerenis oculis ea contuentur, & ſemivivi, reluctantesque ex acie alienis brachiis aſportantur. Illud mihi compertum, hoc Barbarorum genus ni fuga iis intercludatur, raro ad experiunda ultima obſtinare animos. Commilitonum pauculorum cæde territi, nulla ducis cura, quaqua poſſunt, dilabuntur. Nil opus eſt receptui canere. Fugiant deni, vicenive, tum enimvero veluti pudore omnes exſoluti equorum, ſi qui præſto ſint, ungulis vitam credunt ſuam, & amnis inſtar rupto aggere extra ripas effuſi, ruunt. Urgente metu ſæpe binos, aliquando ternos uno ſedentes in equo, avolantesque conſpicias. Velitationem pedeſtrem auſpicati, ne fugæ deſint inſtrumenta, ſollicite provident. Hunc ſane in finem a tergo pugnantium, extra teli jactum, equi præparati, quibus adoleſcentes inſident interea, & præliantium viciſſitudines velut ex orcheſtra, impune ſpeculantur, præliandique artem ſecuri condiſcunt.

Quod ſi vero hoſtes iniquiorem ſibi belli aleam experti recipiant ſe ſe, contrariorum inſectationem pertinaciorem in reditu quod timeant, vix habent. Victores enim gloriæ jacturam facere, magnopere cavent. Nolunt ancipiti dimicatione fortunæ vices, novumque diſcrimen experiri. Haſtam forte, veſtemve aliquam ab hoſtibus in acie ſibi ereptam probroſiſſimam nationis ſuæ labem interpretantur Abipones, acerbiusque ferunt, quam legionarii Europæi vexillorum, tympanorumque militarium jacturam. Haſta, binæque veſtes in velitatione aliqua gregariis Abiponibus extortæ diuturni Debayakaykinum inter, & Ychoalayum belli origo, certe occaſio fuere. E pacis, quam ſanxerunt in S. Ferdinandi oppido, conditionibus princeps erat iſtarum recularum reſtitutio.

Hæc

Hæc cum aliquot menſibus nequidquam exſpectaretur, bellum recruduit. Victorias, ſecundosque præliorum eventus non ſuæ dexteritati tribuere ſolent Abipones, quin potius præſtigiatorum ſuorum artibus in acceptis referre. Quamvis reliquas Paraquariæ nationes deſpicatui habeant, ſeque illis omnibus militari audacia præferendos putent, Quaycurus tamen Barbaros ſibi formidabiles eſſe nunquam inficiantur; Illorum haſtis ſe fungorum inſtar in acie proſterni, ajunt, non quod iſti armis melioribus, corporum firmitate, aut animorum magnitudine excellant, ſed quia præſtigiatoribus multo doctioribus comitati pugnam inire conſveverunt. Iſtorum vel ſolo halitu afflatos, veluti fulmine ictos ſe humi procumbere, Alaykin Abiponum veteranus ductor, mihi affirmaverat. En miſerandam Barbarorum credulitatem! Verſipellibus propemodum Cœleſtem affingunt virtutem, qui præſtigiis, fallaciis, dolisque putidis eos circumveniunt, nihilque norunt, nihil poſſunt præterea.

Sed jam Abipones pugna defunctos feliciter, ovantesque contemplemur. Si res ad votum fluxere, lætis de victoria rumoribus, & plerumque exaggerata hoſtis clade, implent omnia. Qui præ cæteris ſtrenue rem geſſerant, omnium oculos, auresque in ſe convertunt. Qui vulnera ex acie retulerunt, concurrenti præſtigiatorum medicorum turbæ exſugendos ſe, curandosque præbent, ſpectatorum, qui circumſtant, multitudine eorum conſtantiam, maſculamque fortitudinem laudibus, & admiratione palam proſequente. Ad ſpectandas, ſi quas ab hoſte attulerant, exuvias, manubiasque maximi fiunt undique concurſus. Fœminas in hilaritatem impotenter effuſas non tam geſtire, quam inſanire gaudio, cre-

das; Nullum facerent cantandi, ſaltandi, plaudendique finem, niſi eas mox parandis ad publicam maritorum compotationem rebus curas omnes intendere oporteret. Hanc, ut de faciendis conſultent, pugnæ præmittunt Abipones; Eandem, ut a ſe facta celebrent, pugnæ confeſtim ſubjungunt. Dilapſis hoſtibus quemadmodum horrificos e vultu colores, ſic præteritas de conflictu ineundo ſollicitudines ex animo poculis abſtergere quamprimum adlaborant. In hoc compotantium cætu inconditis clamoribus, cucurbitis, tympanisque cantui conſonantibus dum victoria celebratur, poſtquam liberaliore mellei liquoris hauſtu incaluere omnes, ſua quisque facinora commemorare, alter alterius errores, timiditatem, fugam, dicteriis perſtringere ſolet. Quod cum Abiponum ferat nullus, pugna defuncti pugnis primum, mox bile magis magisque efferveſcente, haſtis, ſagittisque inter ſe contendunt atrociter. Ni fœminarum conciliatricularum ſvaves induſtriæ in armis eripiendis, in abducendis domum maritis accederent, plures poſt pugnam, quam in pugna trucidandos Abipones, mihi extra dubium eſt. Qui citra noxam acie exceſſerunt toties, temulenti temulentorum manibus intereunt non raro. Neque eſt, cur ob Barbarum hunc morem Barbaris ſuccenſeamus, apud Europæos milites minime rarum. Horum quot incolumes præliis interfuere, a ſocio ſubinde inter pocula conciſi, mutilative! Videram abhinc annis quadraginta Militares Præfectos quinque conſociatos in foro. Inſignem ſinguli cicatricem vultu circumferebant. Næ! iſti cominus hoſtem videre, ajebam veterano ejusdem legionis Præfecto, cum quo forte ſermonem iſtic miſcui familiarem. Amice! nemo iſtorum, is mihi repoſuit, ab hoſte vulnus unquam abſtulit. Cicatrices hæ,

quas

quas ſuſpicis, Bacchi ſunt, non Martis monimenta. Mihi fidem habeto. Dudum novi ſingulos.

Paucula, quæ ad hoc argumentum pertinere videbantur, Corollarii loco adjicio. Si in remotioribus ab oppido locis commiſſa eſt pugna, eques, ejus ſucceſſum qui contubernalibus nunciet, ex acie præmittitur. Hunc eminus viſum obviam effuſa turba concuſſis identidem dextra labiis conſalutat, ſtipatumque ad ejus ædes comitatur. Per forum ſilentii ſemper tenaciſſimus ex equo ad lectum præcipitat. Inde veluti ex cathedra circumfuſæ multitudini prælii eventus voce gravi exponit. Si vel pauculi hoſtium obtruncati, ſauciative fuerint, ſolenne his nunciis orationis exordium eſt: *Nalamichiriñi* internecione deleti ſunt. Quod compoſito ad ſeveritatem vultu arroganter cunctabundus pronunciat, & circumſtantium plauſu excipitur. Enumerat dein' aliquot in acie a ſe cæſos, & de plerisque, ut victoriæ augeat ſplendorem, affirmat: *Eknam Capitan* Iſte fuit Capitaneus, quo nomine illi nobiliorem quemque intelligunt. Sit Indus, ſit æthiops, dummodo Hiſpanorum more elegantius veſtitus, Capitaneus, nobilisque ab illis dicitur; Nam ex veſtitu quorumcunque metiuntur conditionem, dignitatemque. Quoties cæſi in acie hoſtis nomen profertur, totus his vocibus aer reſonat: *Kem ékemat?* Ta Yeegàm! quibus verbis admirationem explicant ſuam. Mox captivorum, equorum, plauſtrorum, quæ rapuerant, exaggeratus plerumque numerus decantatur; De ſingulis enim: Ea eſſe innumerabilia *Chik Leyékalipi*, aſſerit, cum ultra triadem neſciant numerare verbis propriis, ut alibi explicui. Ad quamvis de prædis innumerabilibus mentionem in hanc: *Ndre* voculam erumpunt auditores, qua rem ſibi inexſpectatam, nunquam auditam decla-

rant. Enarratis, quæ pugnam arduam, victoriam luculentam facere videantur, minutatim cæteris, commilitones ſuos in acie vulneratos detegit denique. Ad ſingulorum nomina: vox *Tayreta* pauperculus cum gemitu repetitur a circumſtantibus. Contubernalium, qui in acie occubuerunt, tragica enumeratio pro relationis epilogo reſervatur, omnemque de victoria, de ſpoliis plauſum in planctum convertit. Cum Abipones nefas putent vitâ functi nomen pronunciare, pugnæ relator hunc fere in modum circumſcriptione utitur: *Yoalè eknam oanerma Kamelèn Lauenek là chitkaekà*. Vir fœminæ Hamelèn maritus jam non eſt. *Yoale eknam Pachiekè Letà la chitkaekà* vir Pachiekè pater jam non eſt. Sic cæteros, ſi plures obiere, enunciat. Facta vel unius ſuorum interfecti mentio omnem de quantacunque victoria jucunditatem, ut aqua ignem, exſtinquit, ejusque vel recordationem reddit intolerabilem. Hoſtibus ad unum omnibus internecione deletis ſi Abiponum vel unus occumbat, victoriam, licet clariſſimam, captivorum agmina, ſpoliorum ſupellectilem omnem diris devovebunt omnibus, quia vel unius ſuorum morte emptam. Hinc ille victoriæ prædicator nuncius, ut primum de contubernalium mortibus vel extimis labris muſſitare cæperit, ab avidiſſimis diu auditoribus ſolus relinquitur aliis alio dilapſis. Mulieres univerſæ ſolutis, quos in funem colligere ſolent, crinibus, cucurbitis, tympanis arreptis longo ordine ſibi ſuccedentes forum omne percurſant, horrendoque cum ejulatu (ululatus diceretur rectius) in horas plures producto ab hoſtibus interemptos lamentantur, quod alibi de luctu, exequiis, funeralibusque Cerimoniis Capite 26. fuſius expoſuimus.

Abipones ab expeditione reduces non uno agmine, ſed in manipulos diviſi contubernium ingrediuntur ſuum, ſine oſtentatione, ſi victores: ſine mæroris ſignificatione, ſi victi, vel graviſſime etiam ſauciati; Niſi Cazikium ſuum, expeditionis ducem in illa amiſiſſent. Tum equidem attonſis non nihil capillis redeunt ad luctum teſtificandum, Cazikiique demortui oſſa carne prius nudata, uti & cæterorum, qui occubuerant, non ſine funebri apparatu adferunt, quem cap. 27. curate deſcripſi. Bellatorum anxie exſpectatus reditus omnium ad ſe oculos, aures, ora, manusque rapere ſolet, his equorum agmina, captivos, prædas cæteras, victoriæ fructus aſpectantibus; Illis de cognatorum incolumitate percontantibus; Aliis ſauciorum vulnera, idoneamque illis curandis medicinam conſiderantibus; Fœminis omnibus planctu occupatis. Captivos, equos, mulos, reliqua, quæ quisque rapuit, ſibi retinet: ni, ut moris apud illos, amicis malit largiri plurima. Uno ſæpe itinere prædiis pluribus, campis ampliſſimis omni ex parte exhauſtis plura equorum millia adferunt. Hos, neſcio, quibus legibus, ea tamen ratione inter ſe partiuntur, nullus ut ſit diſſidiis locus. Diebus poſteris equos, qui cuique in partitione obtigerant, avidiſſime periclitantur. Illos cæteris præferunt, quos velociſſimos experiuntur, & alias fere, quæ equum ornant, pulchritudines parvi facere conſveverunt. Videas quotidie adoleſcentum turbam curſu certare, imo & verbis contendere, unoquoque ſuum præ alieno laudante. Uti pomum recens, quod ipſi ex arbore decerpſimus, ſapidius putamus. Sic illi, etſi præſtantiores domi habuerint, nuper adductos equos omnibus præſtare, arbitrantur. Reportatæ de hoſte victoriæ recordatio quantum illorum animos oblectat, tantum perturbat; Illos enim, quos clade affecerant

nu-

nuper, quamprimum ad vindicandas Cædes, rapinasque adfuturos, diu, noctuque timent. Hinc ad tranquillandam mentem, ad excogitandas propulſandi hoſtis rationes illis maxime cordi eſt, publicam de more compotationem illico adornare, certiſſimum illud, ut credunt, ſagacitatis remedium, atque magnanimitatis inſtrumentum.

CAPUT XLIV.

De anniverſaria Victoriarum memoria, & Compotationis publicæ ritibus.

Haud ſatis eſt Abiponibus, dum ab hoſte redeunt, cruentis adhuc manibus recentem victoriam celebrare, ejus memoriam publica quot annis lætitia renovare ſolent. Cantu, potu, inſaniis, quanta quanta illa eſt, definitur. Poſtquam mel, potionis materiam, copioſum e ſylvis congeſſere ſinguli, anniverſariæ huic cerimoniæ dies præfigitur, domus item, quæ convivarum par numero eſſet, amplior deſignatur. Ultimo, quod ſtatum diem antecedit, triduo elegantiore conveſtitus pallio præconum aliquis omnia circumcurſat tentoria; Ad ſingulorum ingreſſum feſtiva labiorum percuſſione ab incolis fœminis ſalutatur; Ejus haſtam, quam tintinnabulo æneo inſignitam geſtat, mater familias quælibet honoris gratia e venientis manibus accipit, redditque dein' abeunti. Ingreſſus domum præco humi diſpoſito jam pulvino, ephip-

ephippiis, vel ferinæ pelli insidet. Conceptis mox verbis ad communem victoriarum concelebrationem, cantionemque patrem familias invitat. Digredientem solita labiorum percussione prosequuntur mulieres domesticæ. Eadem prorsus ratione contubernalium cæterorum obit stativa, comitantium puerorum turba semper stipatus. Præconis officio, quod Abipones Patritii detrectant, aspernanturque, proletario genere orti, ætate graves, & præstigiatorum nomine insigniti funguntur. Plebejum vocant omnem alienigenam, e majoribus Hispanis, aut nationis alterius Indis oriundum. Se se enim solos (Risum comprime) nobilissimos reputant Abipones, quosvis alios quasi obscuro, humilique loco natos superbissime, stultissimeque contemnunt. Hispana bello capta, sit nobili genere, ætate floreat, & forma, amasium Abiponem, minus maritum sibi speret, quia extera, & vel hoc nomine Abiponensi impar nobilitati.

Domum interea futuro conventiculo destinatam tumultuario instruunt apparatu. Solum tigridum partim, partim taurorum pellibus, queis insideant hospites, convestiuntur. Extemporalis moles ex arundinibus nullo artificio compositis assurgit, cui avulsæ ex hostium capitibus comatæ pelles affiguntur, ceu trophæa. Si quando sub dio extra tentorium victorias celebrare illis visum, in circulo, intra quem consident, solo infiguntur hastæ, e quibus trophæa illa pendent. Sole præcipitante invitati ad locum designatum confluunt, humique considentes coriacea mulsi vasa in medio, suoque in conspectu habent, quamvis compotationi non nisi sub Auroram principium detur. Noctem enim omnem decantandis victoriis impendunt. Diu, multumque cogitan-

tanti mihi idonea ſatis vocabula, quibus peregrinum nobis Barbarorum concentum exprimerem, vix totum Latium ſuppeditavit. Viva voce, characteribusque muſicis facilius id, meliusque præſtarem.

Nunquam omnes, ſed bini concinunt, magno ſemper vocis ſurſum, deorſum currentis diſcrimine, alio alium jam præcurrente, jam ſequente, jam interrumpente, interdum comitante. Nunc hic, nunc ille per breve intervallum conticeſcit. Alia, atque alia pro cantionis argumento modulorum varietas, ſoni in mæandros inflexio, atque liceat dicere, criſpatio multiplex. Qui citatiore Gutturis motu cantum modo ſuſpenderit, modo protaxerit, modo gemitibus vel riſu interceperit, qui ſoni gravitate tauri boatum ſimul, ſimul capellæ tremulam vocem æmulatus fuerit aptius, is enimvero omne tuliſſe punctum, is magnus Apollo dicetur. Nemo fuerit Europæorum, qui, neſcio, quem mærorem, horroremque a Barbaris his cantoribus ſibi afflari diffiteatur. Adeo ferali carmine aures feriuntur, ipſeque adeo animus percellitur, nocturna caligine horriſonarum vocum triſtitiam incredibiliter augente. Cantorum quilibet cucurbitam oblongi colli ex frumenti turcici, aliisque ſeminibus injectis ſtrepitantem manu circumagit motu ad muſicos numeros accomodato. Interdum ſymphoniacorum more ſola cucurbita cantui præludit, alias cantoris ſequitur vocem, rarius tantiſper conquieſcit. Id viſum adnotare, ne infernalem hanc muſicam ſuo carere artificio ſuſpiceris. Admiratione profecto digna videtur tanta vocum diſcordium concordia, duobus concinentibus. Neminem illorum in cantando hæſitare unquam, vel obmuteſcere, advertas. Et vero non ſubito calore, atque ex tempore, quidquid in buccam venerit, effundunt;

dunt; Quin diu meditati ad canendum accedunt ſinguli. Memoriæ mandant, quod e labiis depromendum publico in cœtu. Cantilenæ nulla ſunt lege metrica adſtrictæ equidem, rhytmicum tamen quid ſonant aliquando. Verſuum numeros haud ſuo quisque arbitrio, ſed pro argumenti, quod decantandum, varietate moderantur. Non niſi expeditiones bellicæ, hoſtium cædes, manubiæ ex illis captæ, oppidorum expugnationes, plauſtrorum, prædiorumque direptiones, Hiſpanorum coloniæ incolis exhauſtæ, vel in cineres redactæ, ac aliæ id genus tragoediæ cantandi, lætandique materiem Barbaris præbere ſolent. Quæ cum loco, aut tempore, quo parta victoria, conjuncta ſunt, non plebejo, ſed exquiſito ſtylo deſcribunt. Veluti furore entheo perculſi jam indignabundos, jam trepidos, jam minaces, jam feſtivos verbis idoneis, varia vocis modulatione haud inepte ſe fingunt; Jurares te modo Herculem furentem, modo Truculentum Plauti militem, modo Anchiſen Pergamis ſuis illachrymantem audire. Quamvis, ne hilaria funeſtent ſua, vix aliquam de Abiponum mortibus, vulneribusque inſpergunt mentionem, totique ſunt in hoſtium cladibus, funeribusque exaggerandis. Hæc dum epinicia tot horis decantantur, auditorum nemini nec hiſcere, neque mutire, licebit unquam; Quin nocte ipſa ſomnum ſvadente, ne oſcitare quidem videbis quempiam. Adeo heroum, facinorumque ſuorum laudibus capiuntur, ut ſomni immemores e cantorum ore pendeant omino.

Cum, Horatio teſte, commune id cantoribus ſit vitium, ut, niſi rogati, non cantent, & injuſſi nunquam deſiſtant, de fine cantui imponendo quodvis cantorum par admonetur per fœminas, quæ a viris ſecretæ circumſtant, & dum bini cantores horæ

qua-

quadrantem circiter impleverant, labiorum repetita percuſſione, ſatis eſſe, ſignificant, hasque voculas: *Kla Leyà* jam ſufficit, pronunciant. Admoniti morem gerunt illico, & magnificam rerum truculenter a ſe geſtarum commemorationem hoc omnes claudunt epilogo: *Denique tales ſumus nos. Gramachka akam*, ut oratores, dum finiunt: *Dixi*, & pöetæ: *Cecini* adjicere ſolent. Mox aliud par ſuccedit prioribus, atque eadem ratione cantus ad auroram usque extrahitur. Tum enimvero mutata ſcena compotationi principium datur, feſſaque ac ſicca Guttura Americano illo nectare recreantur, quod ſive ex melle ſylveſtri, ſive ex ſiliquis græcis aquæ injectis, & horarum aliquot intervallo vineſcentibus compoſitum voluptatem adfert bibentibus, ac moderate ſumptum incredibiles corporibus præſtat utilitates, ut ſuperius capite ſeptimo uberius explanavi. Potum ex ſiliquis græcis maxime ægris, tabeſcentibusque præ omni pharmaco, ſenio confectis pro lacte eſſe, multorum experientia conſtat. Nam collapſas vires inſigniter inſtaurat, quod in ipſis quoque beſtiis paſſim hoc fructu veſcentibus experimur. Fœminis tamen Abiponenſibus alio præter aquam potu uti, nefas. Abſtinentiæ hujus cauſam indagare, nunquam mihi in mentem venit. Solam conſvetudinem pro lege eſſe, opinor, ut aliis in rebus. Divino tamen conſilio ejusmodi morem apud Abipones ſtabilitum fuiſſe, conjicio, ut temulentos identidem maritos, dum mutuas in cædes ruunt, ſobriæ cohibeant uxores, quæ dum pacificationis ſtudio digladiantium circulis ſe ſe inferunt, dum maritorum haſtas, telaque cætera jam abdunt, jam eripiunt, plurium vulnera impeditura, frequenter, graviterque vulnerantur. Adhuc cælibes, quamvis adultiores, a publico compotantium coetu excluduntur quidem, clanculum tamen mellea po-

cula

cula delibare illis integrum, uti & fœminis quibusque mel purum haurire, & filiquis græcis vesci. Sapienter ab Abiponum majoribus cautum est, ne adolescentes compotationibus publicis interessent; Noxas ex illorum vinolentia enascituras, exemplo suo docti prævidebant. Juvenes equidem ipso ætatis ardore ferventes, dum temeto quovis se se ingurgitant, ignes ignibus addunt, ut ovidius canit: *Et venus in vinis, ignis in igne fuit.*

Mel, ex quo potus confiat, in sylvis conquirere, virorum est. Totus labor potionis qualiscunque conficiundæ in fœminas recidit. Illarum est filiquas dum maturuere, ex arboribus sternere, equo domum deportare, in mortariis conterere, eis aquam, quam cantharis ex amne adferunt, affundere, pelles bubulas, quæ vasa supplent, concinnare. Audi structuræ methodum. Amputatis pedum extremitatibus corium bovis quadratur. Quatuor ejus lateribus in duarum Spithamarum altitudinem elevatis, loroque colligatis, quidquid liquoris infuderis, fundo recipit, fideliter, quin Guttula effluat, complectitur. Corium eadem ratione dispositum, dum vasis agit vices, ab Hispanis *El noque*, ab Abiponibus *Aápè* vocatur; Dum ad transmittenda flumina cymbæ instar servit ab Hispanis *La pelota*, ab Abiponibus *Ñetak* dicitur. Quomodo corio insidentes ab alio natante tracti lacus, fluviosque trajiciamus, jam alias significatum.

Mel, vel filiquæ Græcæ aquis immersæ jam citius, jam tardius pro aeris calidioris, vel minus calidi temperie optabilem illum gratæ acrimoniæ gradum attingunt, & sine rei alterius accessione quodamodo vinescunt. Abipones, compotationis avidiores, alii, aliique coriacea illa vasa accedunt identidem, olfaci-

untque, num potio mellea maturitatem habeat ſuam. *Layam ycham.* Jam jam vineſcit, recedentes exclamant ſinguli. Dum denique his ſuccedat quiſpiam, qui naſo judice, ſententiam pronunciet: *La ycham. Jam habet neceſſariam aciditatem.* Quo vulgato deſtinatum in locum confluunt univerſi. Coriacea illa vaſa mulſo ebulliente plena ſex, octove puellarum manibus apportantur ſingula; Iſtæ depoſito onere, ne verbo quidem ad compotantes prolato ad ſuas ſe recipiunt ædes, digniſſimæ profecto, quæ Europæis puellis modeſtiæ, pudorisque ingenui magiſtræ præficerentur. Primo vaſe necdum conſumpto aliud adfertur, huic tertium ſuccedit, quartum tertio, ut adeo viri in exhaurienda, fœminæ in ſubminiſtranda potione certare videantur. Nil mirabar, impigras in præſtando obſequio mulieres, ſtrenuasque eſſe, dum, quanto quævis ſolertior, tanto apud populares ſuos celebrior, tantoque de mariti gratia certior evadit. Repudiandas ſe jure timent, certe frigidius amandas, omnem ni moverint lapidem, ut ſitientibus ſemper viris ſua nunquam deſint pocula, nunquam diſpliceant. Fatendum tamen, Abipones compotationum licet ſtudioſiſſimos privatim, dum prandent, dum cænant, nullo præter aquam potu quotidie uti. Quid, quod & noverim omnium ex melle, & ſiliquis Græcis potionum ſemper abſtemios, verum tam paucos, uni ut omnes annulo queant inſculpi. Tales, cum eximia, rariſſimaque abſtinentia commendare debuerat, reliqui ut ignavos, degeneres, ſtupidosque averſantur. Et vero proſapia, militari gloria, authoritateque qui præcellunt maxime, eos maxime bibulos plerumque obſervavi. Adeo ebrioſitas excellentiæ apud iſtos modo ſignum, modo inſtrumentum, vel præmium eſſe videtur. Vix ullum videas compotanti-

tium circulum, cui Abiponum optimates, pro heroibus vulgo habiti, non assideant, præsideantque, quamvis oborta, ut solet, temulentos inter contentione a quovis infimæ notæ plebejo pugnis sæpe contundantur, postridieque compotationis plures, quam in iride numeres, colores circumferant vultu. Bellicosæ nationis primores perpotationibus immodicis plurimum indulgere, ut mihi certissimum, sic nemini mirandum, qui antiquitatis historias pervolverit. Ex illis equidem liquet, ubique gentium summos viros non raro vinolentia laborasse. Alexander Macedo, Holofernes, Antiochus magnus, (quanta nomina, sed quanti potatores!) Dionysius minor, Mithridates Ponti Rex, Cleomenes Spartanorum, Cambyses Persarum, Prusias Bithyniæ, Mezentius Hetruriæ, Attila, Bela secundus Pannoniæ Reges, Demetrius Phalereus, Marcus Antonius, Maximinus junior &c. &c. natalium suorum, facinorumque splendorem vini intemperantissimo usu non obscurarunt modo, sed & propemodum exstinxerunt. Ebrietatis vitium Catoni minori Julius Cæsar objecerat libris duobus, quos Anticatones vocavit. Confirmavit idem Horatius L. 3 Carminum: *Narratur*, ait, *& prisci catonis sæpe mero caluisse virtus.* Tiberius Nero Cæsar in Castris Biberius Mero passim dicebatur, quod vitiis cæteris ebriositatem adjecerit. Monumento Darii, Histaspis filii inscriptum est: *Potui large vinum Bibere, idque egregie sustinere*: Sic Strabo L. 15. In omnium ætatum, provinciarumque annalibus maximos passim homines, belli, pacisque negotiis functos invenias, qui semper parum sibi bibisse videbantur, nisi nimium biberint, eumque in finem nati, ut biberent, non ut viverent, per jocum dicebantur. Ecquis stupeat istiusmodi helluonum imitatores inter Barbaros reperiri in calentissimis Americæ tractibus? Illis sane, quippe qui-

bus plus ſitis, minus mentis eſſe ſolet, eo lubentius ignoſcendum.

Interfectorum hoſtium, ut dixi, Calvariis interdum, alias cucurbita, ſæpe cornu bubulo pro poculis utuntur. Europæorum morem convivarum ſaluti pocula libantium ignorant. Expeditionis bellicæ ideam proponat quispiam, & ad illam invitet aſſidentes, hi arreptis poculis: *Là jam* exclamant, ratumque ſe, quod proponitur, habere hauſtu ſtrenuo ſignificant. Id quoque memoratu dignum: Abipones quamvis alias, ut Americani cæteri, voraciſſimos vix aliquid cibi capere, quamdiu dies, noctesque potando conſumunt. Ex quo palam fit, & ſiliquas græcas, & mel, e quibus illa potio conficitur, magnas ad alenda corpora vires, & non modicam cum cereviſia ſimilitudinem habere, cujus uſu crebriore Europæos pingueſcere, experimur. Ego profecto nunquam a me impetrare potui, ut, quamvis centies invitatus, vel ſemel illud Abiponum nectar labiis admoverem, vomitum mihi certum declinaturus; Sæpius equidem obſervaveram, Siliquas illas, & mellis favos jam dentibus cibi inſtar comminutos ab iis egeri rurſus, & in ſcutella, futuræ potioni miſcendos, reſervari. Exiſtimant enim, illa ſiliquarum rejectanea, quippe ſalivis permiſta, fermenti loco fore, quod reliquam maſſam celerius ad gratum ſaporem faciat aceſcere. Eadem ratione ducti Indi, Hiſpanique Paraquarienſes triticum Turcicum (Quaraniis *Abati*, Abiponibus *Nemelk*, Hiſpanis *Màyz*) potui deſtinatum Vetularum dentibus comminui, curant. Nolunt eam provinciam demandare fœminis junioribus, quas ſiniſtris humoribus ſcatere arguunt. Hic mos Americanis & antiquiſſimus, & univerſalis. Id qui noverit, poteritne ſtomacho, quàmvis patientiſſimo, perſvadere,

re, hanc potionem (Chicha dicitur a Paraquariis, Laagà ab Abiponibus) ut ſine nauſea admittat? Ipſa certe viſcera mihi vomitu evertenda, metuerem. Hæc tamen ſpurciſſima, quia vetularum ſaliva horrens potio plures in America procos habet, quam Helena olim Græcorum.

Compotationis celebrandæ multas ſemper habent cauſas; Frequentiores ſunt: Parta victoria, imminens pugna, juſta funebria, genetliaca de nato Caziquii filio lætitia, viduorum, viduarumve tonſura, nominis mutatio, Capitanei, qui recens inauguratur, renunciatio, hoſpitis inſignioris adventus, nuptiæ, & quod frequentiſſime recurrit, bellicum de hoſtibus ſeu invadendis, ſeu evadendis conſilium. Nam, quod alias dixeram, nunquam ſibi plus ſapere videntur, quam dum inſigniter temulenti maxime deſipiunt. Neque ſoli Abipones id ſibi perſvaſum habent. Alii quoque populi eodem laborarunt errore. *De ſumma rerum inter pocula deliberant Perſæ*, Herodotus L. 1. ait. Perpotando ingenium exacui plures alii putarunt cum illo cretenſi, cujus verba apud Gellium L. 15. cap. 2. *Vinum fomes eſt, atque incitabulum ingenii.* Confirmatur ovidii ſententia: *Poetæ carmina, vino ingenium faciente, canunt* - - Hanc Ovidii opinionem exemplis illuſtravit Horatius Libro 1. epiſt. 19. Ait enim: Nullum boni coloris verſum, aut qui placuiſſet, e poetis aquæ potoribus unquam fluxiſſe:

Nulla placere diu, nec vivere carmina poſſunt,

Quæ ſcribuntur aquæ potoribus - - -

Ennium, latinæ pöeſeos parentem nunquam, niſi vino bene madidum, carmina ſcripſiſſe.

Ennius ipſe Pater nunquam, niſi potus ad arma
Proſiluit ſcribenda - - -

Homerum quoque, qui vinum tantopere commendarit, de vinolentia ſibi ſuſpectum eſſe:

Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus.

Quod ſi igitur potando ingenii acies obtinetur, quis inique ferat a Platone, ſapientiæ magiſtro, moderatas compotationes laudari, & ab Abiponibus tum maxime frequentari, dum de bello ſuſcipiendo deliberare illis viſum. Quamquam extra deliberationis tempora haud minus iis pocula ſapiant. Adſit materia parandæ potionis, cauſa, voluntasque potandi deerit nunquam. Promulſidem, cum mel quærentibus paſſim præſto ſit, quavis anni parte in promptu habent, quæ dulcedine ad alliciendos, robore ad opprimendos Indos plurimum quidem valet, pro illorum tamen numero cum tanta mellis copia raro ſuppetat, melleæ iſtiusmodi compotationes fere perbreves ſunt, & procellæ ſubitæ, vel turbinis inſtar durare diu haud poſſunt. A Decembri ad Aprilem usque, dum ſiliquis maturis nemora abundant, compotationis tempeſtas graſſatur potiſſimum. His menſibus nulla a potu vacatio, intermiſſio nulla. Non ceſſant nocturno certare mero, putere diurno, ut Horatius L. 1. epiſt. 19. canit. Dies nectuntur noctibus vix alio ad ſomnum, cibumve obiter capiendum intervallo, niſi dum ebrietate ſtupefacti humi concidunt, aut e ſomno expergefacti eſurire ſe tantillum animadvertunt. Plerique poſt ſoporem breviſſimum mente ſibi vix dum reddita ad combibonum coetus, gradu ſæpe titubante regrediuntur. Per omne id tem-

tempus eos rariſſime ſui compotes invenias, vivere illis bibere eſt, & *quanto plus biberint, tanto magis eos ſitire* diceres, quod teſte Plinio L. 14. cap. 22. ſcytharum legati de Parthis affirmavere. Diogenes certe ſua inſtructus lampade minus hic, quam in confertiſſimo olim foro Corinthi hominem inveniret, vel Abipones ebrios Corybantes crederet, qui, ut memorant antiqui, poſtquam e Gallo Phrygiæ fluvio bibiſſent, furore perculſi ſunt, & quoties cybeles honoribus ſacra fecerant, in rabiem verſi ſua cultris brachia dilaniarunt. Aſt quid Galli fluvii unda ad Americanum vinum? Quid Corybantum furiæ ad Abiponum temulentorum deliramenta? Iſti equidem (cauſas alibi dixi) crocodili acuminatis oſſiculis, ſpinis acutiſſimis pectus, brachia certatim compungunt, ipſam non raro linguam transfigunt. Quid quod nonnulli terebrant - - Sed apage. Scribere pudet, quod verecundiam adferat lectori, &, quamvis certiſſimum mihi, aliis vix veriſimile poſſit videri, & cum vitæ periculo conjunctum. Profecto inſaniæ genus eſt, delicatiſſimos artus, ſenſuque acerrimo præditos atrociter cruentari a Barbaris, ut ſe doloris ſenſu carere, ad ſanguinis conſpectum nil trepidare, vulnera pro deliciis habere alter alteri perſvadeat. *Natis in uſum lætitiæ ſcyphis pugnare Thracum eſt.* Horatius dixit, ex quo hiſtorici colligunt: Scythas, ac Thraces ſuis in compotationibus poculorum numero certaſſe. Apud Abipones ebrios quotidianum in cruciandis corporibus certamen. Familiaris de magnanimitatis prærogativa diſceptatio. Hæc vociferationum inconditarum, digladiationum, vulnerum, cædiumque origo ſæpiſſime. Hac in velitatione terga vertiſti timidus, forte alter alteri exprobrat. Hic probrum ſibi minime ferendum ratus: Quid? Quid ais? *Hegà? Hegmeèn gracàtegi?* replicat. A verbis ad

 co-

colaphos, ad haſtas, ad ſagittas, ni obſtent alii, ſenſim venitur. Sæpe orta duos inter contentio implicat, concitatque univerſos adeo ut arma arripiant ſinguli, jam hujus jam illius partes ſecuti in aciem prodeant duplici agmine, fraternæque acies, ceu hoſtiles, atrociter ſe ſe impetant, conficiantque. Haud infrequens compotationum tempore id ſpectaculum, in plures aliquando horas magna confligentium vociferatione, ſanguinis effuſione non minori productum. Adeo in tigrides convertit Americanos potus intemperantia, quavis circe crudelior.

Solenne erat ſpartanis, ut Plutarchus inſtit. Lacon. refert, ſervos inebriare ſuos, ebriosque, dum maxime ineptiebant, filiorum in conſpectum adducere, ut viſa eorum dementia vinum, ceu magicum liquorem, execrari diſcerent, quo ſcilicet homines in beſtias transformentur. Quotidiana hæc Abipones compotantes inter metamorphoſis, ſed alias, atque alias temulentorum cerebro imprimens figuras. Hi ſolutiſſime cachinnantur ipſa hilaritate hilariores: Illi mærore oppreſſi plorant: Iſti facinorum ſuorum recordatione inflati, thraſone comico Terentii, & Plauti milite glorioſo minaciores inſolenter ſe jactant: Plerique alii furibundi extrema obviis minantur. Novi, qui trienni filiolo, quoties ebrius, ſemper necem intentabat, & cum pedibus inſiſtere haud poſſet, humi ſtratus ad conjugem adſtantem verba fecerat maxima, ut per omnem viciniam exaudiretur, vocis contentione. Erat, qui temulentus baptiſmum ſibi ſemper expetierat a nobis: *Tak nakarigi yemarat! Grabalgali!* Propera, lava meum caput, identidem exclamans, etſi ſobrius de baptiſmo nil unquam cogitaret. Alius præter morem ſuum, ad exoſculandas Patrum manus cum magna venerationis ſignificatione

ac-

accurrit. Quidam nullius apud ſuos nominis, arcu, ſagittisque inſtructus ad noſtras adrepſit ædes, &: Num magnus mihi capitaneus, vir ſcilicet factis grandibus inſignis videretur, minitabundus ex me percontabatur. Ego torvam interrogantis frontem, ſagittarumque faſcem veritus magnificam enimvero panegyrim illi pro reſponſione obtruſi ſemper, quamvis homo meticuloſiſſimus deſpicatui paſſim haberetur. Fuit, qui, quoties temulentus, toties de uxore repudianda, aliaque priori ſubſtituenda agebat, quod pluribus commune. Senex quispiam in S. Ferdinandi oppido, & genere, & factis inglorius dum a combibonibus plebejus, *Lanaraik* vocitabatur, clamoribus abſurdis, armisque ulciſci convitium fruſtra contendit. Nam uxor, pugnax vetula, furenti marito invigilaverat ſemper, ne combibonum vel pugnis vel mucronibus ſuccumberet. Hinc illum pedibus, ceu temone apprehenſum per forum raptabat, domique depoſitum ad ſomnum, ſilentiumque nequidquam hortabatur; Is equidem ſociorum contumelia animo identidem recurrente nullam cepit quietis partem, neque vicinos ſivit quieſcere rauca voce illud usque ejulans: *Tà yeegàm! Aym Lanaraik? Tà yeegam! Là ribè labè*. Papæ! Egone plebejus? Ego ignobilis? vindictam poſco. His efferatus cogitationibus in pedes erigere ſeſe dum parat, haſtam arrepturus ab irata conjuge iterum, iterumque humi ſternebatur. Plurium ſæpe horarum is ludus cum incredibili pone habitantium faſtidio fuit. Pauci indignationem comprimere, nemo riſum tenere potuit. Idem fœminis plerisque omnibus negotium, dum maritis arma, armis temulentorum contubernalium maritos ſubducere non citra vulneris ſui periculum adlaborant ſtrenue. Actum erat dudum de univerſa Abiponum natione, ſi ut viri mariti, ſic fœminæ

etiam, ac adoleſcentes compotationibus intereſſent, qui ad tranquillandos temulentorum, dum in mutua ruunt vulnera, animos fœminis operam navare conſveverunt.

Enimvero conſvetudo illa, quæ apud Abiponenſes viget mulieres, temeto quovis ſemper abſtinendi, lex fuit Romanis mulieribus & antiquiſſima, & ſeveriſſima. Audi Gellium L. 10. cap. 23. *Qui de victu, atque cultu populi Romani ſcripſerunt, mulieres Romæ, atque in latio ætatem abſtemias, & invinias* (vini expertes) *egiſſe, hoc eſt, vino, quod temetum priſca lingua appellabatur, abſtinuiſſe dicunt.* Abſtinentiam hanc non fuiſſe arbitrariam, ſed lege imperatam ex aliis, quæ author eodem loco ſcripſerat, luculentum eſt. *Marcus Cato: Si quid perverſe, tetreque factum eſt a muliere, mulctatur; Si vinum bibit, ſi cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur. Ecce! quomodo vinoſa mulier paria adulteræ feciſſe judicatur.* Ob legis iſtius violationem acriter olim animadverſum fuiſſe in quaspiam, ſcribunt. *Pompilius Faunus Fatuam Faunam virgis myrteis ad mortem usque cæcidit, quod contra morem, decusque Regium clam vini ollam ebibiſſet, & ebria facta eſſet.* Romulo adhuc ſuperſtite mulier, quæ vinum attigerat, impune a marito interfecta eſt, judicibus ejus cædem excuſantibus. Neque adoleſcentibus promiſcuum vini uſum permittendum temere, veteres exiſtimarunt. Plato ſapientiæ magiſter equidem in ſuis pro Republica perfectiſſima legibus juvenes annum duodeviceſimum nondum ingreſſos vino interdixit. Alio loco ſvaſerat, ut juvenes coram ſenioribus vinum biberent, ne in temperantiam peccarent, utque, ſi in illam peccaverint, ab illis reprehenderentur. Platonis conſilio morem gerunt Abipones juniores, utinam & adulti eorum ſobrietatem imitarentur, ac Cretenſium

La-

Lacedæmoniorum, Carthaginenſiumque exemplum, qui milites ſuos vino interdixerunt omnino, ut Alexander ab Alexandris adnotavit. Peſcennius Niger bellica virtute ad imperium evectus copiis, dum in caſtris verſabantur, vinum adferri, vetuit, & legionibus in Ægypto vinum ſibi poſcentibus reſpondit: *Nihil opus eſſe vino, quibus Nilus præſto eſſet.* Soli aquæ ut aſſveſcant Abipones, id enimvero optari, ſperari vix poterat. Piſcibus, ut aquæ valedicant, facilius perſvadebis. Bellatores ſunt Abipones, ſed & potatores egregii. Syracuſanorum ebrietatem nonaginta interdum diebus non fuiſſe interruptam, Ariſtoteles ſcripſit; Abipones a Decembri ad finem Aprilis usque, quibus ſcilicet menſibus & ſiliquarum Græcarum copia, & quotidianæ diu noctuque compotationes, temulentos eſſe, & vix per breve intervallum ſui compotes, affirmo. Eosdem menſes bellico ſtrepitu turbulentiſſimos quoque ſum expertus. Pauci abeunt dies, quibus temulenti novas expeditionum militarium ideas non procudant, aut de hoſtium adventu rumores non circumferantur. Bibitur ſemper, ſemper trepidatur.

Quidquid flagitiorum, quæ in Americanos cadere poſſint, ex illorum animis evellas citius, quam nefariam hanc, & exitialem compotandi licentiam. Una ut conjuge contenti vivant Abipones: Cædibus, rapinisque, in quibus conſenuere, ut abſtineant porro: Avitas ſuperſtitiones ut aſpernentur: Agro colendo, ſtruendisque ſibi ædibus ut operam navent, ſemper alias laborem exoſi, id ſenſim perſvadebis denique. Publicarum compotationum morem abolere, id enimvero opus, ſi quodquam aliud, perarduum, is annorum plurium labor, hoc negotium, cui perficiendo nulla par ſeu eloquentia, ſeu induſtria



ſtria illorum, quibus curæ, ac cordi fuit Barbaras gentes ad Romana ſacra traducere, divinisque legibus conformare. Hoc nos annis pluribus apud feros Abipones, idem alii ſocii apud nationes cæteras Americæ experti. Improbo tamen labori improbam ceſſiſſe perpotandi conſvetudinem, ac plerosque divinæ legi victas dediſſe manus, læti paſſim vidimus. Abiponum ad pelles potu melleo plenas conſidentium conventicula quid niſi imago ſunt feſtorum, quibus antiqui Bacchum coluere. Alia dicebantur Aſcolia a græco nomine 'ασκὸς, quod utrem ſignificat; Utres enim vino turgentes his ſacris adhibuerunt. Orgia dicebantur alia, a quibus nulla ſceleris, furoris, turpitudinisque aberat nota, ut adeo vix ſenatus authoritate abrogari poſſent impia hæc ſacra. Qui primis ſeculis Chriſti religionem ſunt amplexi, licet cæteras ſuperſtitiones, & ſimulacra dudum execrati a celebrandis Bacchanalibus ægerrime demum avertebantur. Noſtra utinam ætate nulla etiamnum Bacchanalium veſtigia apud Chriſti ſectatores, reſtarent!



CA-

CAPUT XLV.

De ritibus Abiponum, dum quis de re militari bene meritus inauguratur, renunciaturque Capitaneus.

Neque inter feras gentes ſua virtuti deſunt præmia. Homines ſe eſſe utut vix norint, honorificis gaudent titulis, quibus alter ab altero diſtinquatur, præ altero honoretur. Probiſſimam nobilitatem putant Abipones non illam, quæ ſanguinis jure hæreditaria, & patrimonii inſtar, ſed quæ meritis propriis comparata. Apud illos ut filiorum nemo patris ſui nomine inſignitur, ita nemo patris, avi, vel atavi factis egregiis nobilitatur. Nobilitas non generis, ſed magnanimitatis, probitatisque in pretio iis eſt, ac honore. Hic Barbarorum ſenſus, quamvis Europæorum mori ſæpe contrarius, ſapientum diſciplinæ, rationique conſentit profecto. Nam, ut ille apud Ovidium metamorph. L. 13. verſ. 140. ait: *Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra puto.* *Qui* enim (ut Seneca tragœdus in Hercule furente verſ. 339. affirmavit) *genus jactat ſuum, aliena laudat.* Rationem hujus reddit Seneca philoſophus: *Nemo in noſtram gloriam vixit; Nec quod ante nos fuit noſtrum eſt. Animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione ſupra fortunam licet ſurgere.* Hinc veriſſimum illud Juvenalis ſatyra 8: *Nobilitas ſola eſt, atque unica virtus.* Idem prorſus ſentiunt Abipones. Non

e pa-

e patritiis natos, ſed animi nobilitate conſpicuos maximopere reverentur. Caziquiorum, Capitaneorumque, ut ajunt, ſuorum filios, ac nepotes naturali quadam propenſione, ceu ſtirpis patritiæ ſurculos, proſequuntur; Eosdem tamen, ſi ſtupidi, ſi meticuloſi, ſi aſperis moribus, ſi abſurdo ingenio ſint, nihili prorſus faciunt, contuberniis regendis, expeditionibus militaribus præficiunt nunquam. Alius de vulgo, quos ſtrenuos, ſagaces, intrepidos, modeſtos compererint, ſibi rectores, ducesque deligere ſolent. Quicunque virtutis bellicæ documenta dederint, bellicis honoribus non ſine cerimoniarum, quas mox referam, apparatu initiantur.

Abiponum, qui necdum militari gradu inſignes, nomina in varias deſinunt literas. Recitabo aliqua. Novi, qui oahè, oaharì, kiemkè, ychohakè, Hemakie, Rachik, Evoñayelek, Neochiralari, Cañali, Laagalà, Caámerga, Tabañari, Melle, Ypiz, Ychoalay, Kebachichi, Hanà, Narè, Devork, Richivil, Rebachigi, &c, vocabantur. Poſtquam vero ſolenni ritu ob militaria merita in nobilium ordinem adſcripti fuerint, relicto, quo adoleſcentes utebantur, nomine aliud obtinent, quod ſemper in ſyllabam *In* terminatur. Et horum audi paucula: Debayakaikin, Ychamenñaikin, Alaykin, Malakin, Kebachin, Ychilimin, Ypirikin Caziquii omnes. Alii Geernñaikin, Hamihegemkin, Nachiralarin, Laamamin, oaherkaikin, Nakalotenkodin', Neotenkin, Kepakainkin, Pazanoirin, Oapelkain, Kain', Kapalaikin, Kaamalarin, omnium univerſæ nationis ſeniſſimus, qui ſacris undis a me ablutus dormiens ſubinde ſvaviter expiravit. Majorum inſtituto ſolenniter inaugurati *Höcheri* dicuntur, propriaque gaudent dialecto. Etſi enim popularibus utantur verbis, ea tamen jam interjiciendo,

jam

jam adjungendo varias ſyllabas adeo transformant, obſcurantque, ægre intelligi ut poſſint. Hanc loquendi methodum dudum explicui. Non defuere, qui vel proſapia, vel rebus præclare geſtis illuſtriores modeſtiæ apud ſuos laudem captarent, nulloque unquam tempore adduci poſſent, ut recepto more Höcherorum numero adſcribi ſe ſe paterentur, nomine, quod illis in pueritia obtigit, & linquæ plebejæ dialecto vulgari per omnem ætatem contenti. Hos inter primo utique loco commemorandi veniunt Ychoálay, & Kebachichi. Quanta hæc apud Abipones nomina! quanta Hiſpanorum in auribus fulmina! Rebáchigi ex iis, quæ adoleſcens belli patraverat, ambobus major futurus arguebatur paſſim, ni a lethifero angue ictus vivendi ſimul, ſimul vincendi finem intempeſtive feciſſet. Nunquam is ad militaris honoris gradum, toties meritum, aſpiravit. Ritus, quibus ad hunc alii promoventur, paucis complectar.

Si cui cæterórum arbitratu talis decretus eſt honos, tolerantiam, communi omnibus experimento, prius periclitantur. Globulo nigro ejus linguæ impoſito ipſum triduum domi conſidere, ſilere, ac cibo omni, potuque abſtinere jubetur. Aſpera ſane lex, ſvaviſſima tamen, ſi in memoriam revoces cruciatus, qui in flumine urinoco Indis quibusdam honorum militarium candidatis ſunt ſubeundi. Craticulæ, cui ſubjecti ardentes carbones, imponuntur, &, quo calor eſſet, fumusque intolerabilior, palmarum foliis non teguntur modo, ſed propemodum opprimuntur miſeri. Alios melle totum corpus perunctos, arborique alligatos apium, veſparum, fucorum, crabronumque morſibus exponunt. Plura id genus quæ Gumilla in ſuo flumine Urinoco illuſtrato ampliſſime

re-

refert, militaris patientiæ tentamenta taceo, & ad Abiponem ſuo in tugurio tacentem, eſurientemque redeo. Ipſo, qui ſolennem functionem præcedit, veſpere mulieres univerſæ ad ejus tugurii limina congregantur. Veſtibus ab humero ad umbilicum usque retractis, paſſis crinibus longo ordine conſiſtunt, & tum inconditis vocibus, tum conſonantium cucurbitarum crepitu, tum brachiorum, pedumque agitatione continua majores lamentantur illius, qui militari gradu poſtridie condecorandus. Neque antea lamentorum finis, quam tenebrarum. Albeſcente primum Cœlo candidatus noſter gentis more eleganter veſtitus, haſtamque manu complexus in equum plumis, campanulis, phaleris oneratum potius, quam ornatum inſilit, atque gradu concitatiſſimo ſeptentriones verſus procurrit, longo Abiponum agmine illum inſequente. Mox eandem viam eadem celeritate remenſus ad tentorium accedit, ubi præſtigiatrix anus, cerimoniarum antiſtita, candidatum ſolenni ritu dein inauguratura. Illius ex equo deſilientis haſtam, unaque habenas officioſe capeſſit fœminarum nobilior quædam, reliquo matronarum circumſtantium choro ſolita labiorum percuſſione iterum, iterumque applaudente candidatus vetulæ corio inſidentis oratiunculam velut e Delphico tripode profecta oracula, venerabundus excipit. Mox conſcenſis denuo equis, eo quo prius, modo meridiem verſus, tum ad orientem ſolem, denique ad occidentem excurritur, ſemperque poſt ſingula itinera ad idem tentorium deſcenditur, ubi itidem Phoebas illa Pythia facundiam expromit ſuam. Quaternis excurſionibus defuncti, equis dimiſſis, ad ſacrum, ſi ſuperis placet, illud tentorium ſe ſe recipiunt omnes, ſolennem, qua inaugurari ſolent bene meriti milites, ſpectaturi cerimoniam. Hæc tribus potiſſimum definitur:

tur: Imprimis capillus candidati a vetula raditur ita, ut a fronte ad occiput usque calvitium quoddam, ſeu alba quædam ſemita tres digitos lata appareat, quam *Nalemra* vocant. Ipſis quidem utriusque ſexus infantulis (ut capite tertio de forma Abiponum expoſui) aliquot in ſincipite comas veluti religionis inſtinctu reſecari curant; Verum adoleſcentes neglecta paſſim hac ſuperſtitione capillum alunt integrum, & provectiore ſolum ætate, dum inaugurantur, eo, quo dixi modo, attondentur.

Terminato capillorum negotio panegyrim adornat vetula, candidati facta egregia, militare ingenium, armorum, equorumque ſcientiam, intrepidum in arduis animum, hoſtium occidionem, rapta ex iis ſpolia, majores bello claros, & quæ non alia recenſet; Atque adeo multis nominibus dignum ſibi videri, qui gentis ſuæ capitaneus, bellator nobilis renuncietur, eorumque, qui Höcheri ſunt, juribus gaudeat, ac prærogativis. Novum illius nomen, quod in ſyllabam *In* deſinat, palam promulgatur, & ſuccuſſis manu labiis a circumſiſtentium fœminarum corona feſtive admurmuratur. Viris ſpectatoribus neutiquam volupe eſt, ſiccas in longum extrahi cerimonias. Pocula præ verbis malunt. Hinc ad præparatas jam, melleoque potu turgentes pelles læti convolant, totique functioni nobiliſſimum corollarium adjiciunt compotationem.

Illud ſingulare, mulierum quoque non paucas ad honoris, nobilitatisque gradum evehi, Höcherorum prærogativis gaudere, eorundemque dialecto uti. Iſtarum nomina in *En* ſyllabam, uti virorum in *In* terminantur v. g. Napalahen, Hamahen, Rekalenken &c. Sed quibus demum meritis hunc honoris



gradum plebejæ etiam fœminæ consequantur, ignoro; Responsionem absurdam metuens nunquam ausus sum interrogare. Veri tamen simillimum mihi semper visum, suffragantibus parentum, maritorum, vel fratrum meritis ejusmodi prærogativam mulieribus concedi, non ætatis, Venustatisve ratione. Audivi sæpe juvenculas patritiorum lingua sermocinantes; Matronas & rugis, & annis spectabiles vulgi ignobilis ore loquentes. Quamvis nullo plebejo liceat citra publicam authoritatem nomen in *In*, vel in *En* desinens sibi arrogare, multi, multæque tamen Höcherorum dialectum affectant pro arbitrio jam ad ostentationem, jam joci gratia. Ut sæpe Europæum vulgus insolens seu vestitu, seu locutione nobilissimos quosque imitatur.

Nefas putant Abipones nomen suum palam pronunciare. Si quis illorum noctu portam pulsavit meam, interrogatus a me: quis es? *Miekakami?* Nil aliud respondit unquam vel decies repetita interrogatione, quam: *Ego sum. Gramachka aym.* Advenæ ignoti rogati a me, quo nomine vocentur, adstantem sibi socium impacto cubito, ut sui loco respondeat, admonent. Alter scilicet alterius nomen prodit, nemo suum. Nomen item nuper vita functi pronunciare, flagitii instar est. Quodsi nominandus tamen; *Ille, qui jam non est Eknam chitkaeka* ajunt, additis, cognosci ut possit, signis. Si quis inter pocula legis immemor demortui nomen proferat, cruentis sæpe altercationibus dabit occasionem. Et hæc profecto, ut grammaticis solenne, lis est de nomine. Id quoque ridiculum, fœminas complures nomine carere. Catalogum incolarum oppidi conscripturus viros contubernalium suorum scientissimos convocaveram. Isti de fœminarum nominibus interrogati respondere sæ-

pius;

pius: *Hæc nomen non habet*, vel *illius nomen non eſt in uſu jam. Chitkaeka lacalatoèt. Chitlquihe localatoèt. Chigàt eyga.*

Appendicis inſtar accedit; Indita ſibi nomina ab Abiponibus perinde mutari, ut ab Europæis veſtes. Cauſæ mutationis nominum eſſe ſolent vel facinus quoddam illuſtrius, vel obitus patris, filii, conjugis &c. ad luctum ſignificandum propinqui omnes nomen vetus, cum novo commutant. Novi, qui progreſſu temporis ſena, qui plura ſibi nomina adſciverunt, ſed priori ſemper relicto. Romani quoque jam a rebus præclare geſtis aliis, aliisque nominibus inſigniebantur. Inde Scipio Africanus, Germanicus, Numantinus, Aſiaticus, cunctator &c. jam a corporis, animive habitu: Sic Craſſus, Pulcher, ſuperbus Pius &c. Sic apud Abipones: *Kauirin* laſcivum. *Oaherkaikin* mendacem. Ychoalay rerum ſuarum tenacem. *Neetraikin* potatorem ſignificat. Filiis, filiabusque ſingula nomina a parentum nominibus penitus diverſa obtingunt. Apud Quaranios jam Chriſtianos filii patrum, filiæ plerumque matrum cognomen ſibi ſumunt. Idem mos apud Xarthios populos quondam viguiſſe aſſeritur in commentariis Taciti ad uſum Delphini editis. In tertia hiſtoriæ parte, quæ jam ſub prælo eſt, illatas ab Abiponibus, acceptasque clades, coloniarum, quas illis condidimus, progreſſum, ac viciſſitudines, ortaque ex illis Hiſpanorum emolumenta exponemus.



INDEX.



CA-



CA-





Menda ſic corrige:

Pag.	Lin.	Pro		Lege.
16	6	Verſiculoribus	—	Verſicoloribus
17	22	propriores	—	propiores
29	20	crimium	—	crinium
45	2	venialia	—	venalia
67	15	Chyrurgo	—	Chirurgo
81	17	Propinguare	—	Propinquare
95	30	Alieni	—	Alicui
108	29	Inveterat amatrum	—	Inveterata matrum
109	2	Arbortuumque	—	Abortuumque
119	21	Quærentibas	—	Quærentibus
123	34	motibu	—	motibus
124	7	villoſi	—	villoſos
—	8	proniſſni	—	Proniſſimos
148	22	Im̃erſant	—	Im̃erſerant
—	30	Bellos	—	Bello
174	14	ſingul	—	ſinguli
185	3	Quem	—	Quen
191	22	El-rka	—	Elerka
192	12	affecti	—	affecti
—	24	Iay̆ra	—	Tay̆ra
200	23	ille	—	illi
210	14	liguam	—	linguam
229	22	Arbitro	—	Arbitrio
243	26	ſauciat a vomitu	—	ſauciata vomitu
256	9	ſalubritatam	—	ſalubritatem
263	1	veratus	—	verſatus
268	31	Numia	—	Numina
284	6	Herhariaque	—	Herbariaque
294	14	ui	—	qui
316	9	ſerpentes	—	ſerpens
317	4	jaculantur	—	jaculatur
318	19	Meditaminum	—	Medicaminum
323	11	luſitatis	—	luſitanis
331	15	Inſimuare	—	Inſinuare

Pag.	Lin.	Pro	Lege.
354	22	Eus	— Ejus
362	31	Entis	— Cutis
364	4	occafinculam	— occafiunculam
376	6	Durite	— Duritie
405	30	fericeis	— fericis
410	1	confiliique	— confiliisque
436	16	difc-imen	— difcrimen
437	28	Ed	— Sed
444	8	Europæ	— Europæa
448	1	Pente	— Repente
478	13	Protaxerit	— Protraxerit
499	2	Localatoèt	— Lacalatoèt

Si quæ alia minoris momenti menda, uti u pro n, t pro r, h pro b, vel viciffim collocata inveneris, tute corriges, benevole lector, & Typothetæ veniam dabis.



MAPPA PARAQUARIÆ.
In multis a me Correcta.
Quid si in pluribus porro peralios Corrigenda?
Authore M.D eius provinciæ Missionario
EL REYNO DEL PERU
CHIQUITOS
CHIRIGUANES
CHACO
TOBAS
MOCOBIES
LULES
VILELAS
ABIPONES
CHUNIPIES
TUCUMAN
MBAYAS
PARAQUAY
RIO PARANA
RIO PARAGUAY
CHARRUAS
EL REYNO DE CHILE
LA CORDILLERA DE CHILE
EL MAR DEL SUD
MARE PACIFICUM
VALLE DE CALCHAQUI
LOS LLANOS DE MANSO
Civitatem
Pagum
loca destructa
R vel Rio Fluvium Significat
Buenos Ayres
Corduba
Assumpcion
Rio de la Plata

